RAMVS

651

Vest 1ere T. L 24

VCR 6= 6513

PETRI RAMI
PROFESSORIS REGII, ET AUDOMARI TALÆI COLLECTANEÆ

BIBLIOTHÈQUE de Mr COUSIN

Præfationes,
Epistolæ,
Orationes:

Cum indice totius operis.

6513

PARISIIS,
Apud Dionysium Vallensem, sub Pegaso, in vico Bellovaco.
1577.

Cum privilegio Regis.

Privilegii ſententia.

CAVTUM eſt authoritate Regia, ne quis alius præter Dionyſium Vallenſem, in alma Pariſienſi Academia Librarium ac Typographum, hæc PETRI RAMI *profeſſoris Regii, &* AUDOMARI TALAEI, *Collectanea Præfationum, Epiſtolarum, &* Orationum, anté decenniũ ab editione proximum, in hoc Francorum regno imprimat, neve alibi impreſſa vendat: idque omnibus perinde clarum, notum, indictũ habeatur, ac ſi Regii diplomatis ſententia operis initio præfigatur, finive poſtponatur. Secús qui faxit, & libris ipſis, & pœnis dicto Regio diplomate contentis afficietur. Datum Pariſiis, Regio conſenſu ſubſignatum, decima nona Octobris 1576.

DELAVBESPINE.

NICOLAVS BERGERONIVS, I. C. LECTORI benevolo S.

En (candide lector) miſcellanea quædã PETRI RAMI *opuſcula, aut opacã potiús opuſculorum ſylvam, auctario commẽtationum aliquot* AUDOM. TALAEI *auctam, & á te ſæpiús efflagitatam, tandem aliquando tibi offerendam cenſuimus. Ac licet bona magnáque pars horum quaſi foliorũ Sibyllæ, & tabularũ naufragii, in rutis et cæſis, imó in quiſ-*

quibus prædonũ, iniquitate temporum, ut pleraque alia miserè dissipata jacuerit, tamen pro facultate subsecivarum horarũ (quæ mihi á forensibus gravioribusque negotiis, supereſſe possunt) vicaria & subsidiaria Burseti amici nostri opera & arte adjutus, ac typographi assiduitate et industria recreatus, hanc molem laboriosé undiq; coacervatã, ac initió satis rudem et indigestã, non invitus recognovi, et utcũque in ordinem formãq; voluminis (quatenus per otium licuit) digessi. Eo verò lubentiús huic operi manum admovi, quód sperẽ hujusmodi ramusculos non omnino inutiles, nec injucũdos fore, propter copiosam fructuũ varietatẽ, quæ lectori mirum in modum per se

placet, cúm illud poëtæ dictum æquè de librorum lectione, atque de ciborum delectu veriſsimum eſſe vulgó comperias,

Tres mihi convivæ propé diſſentire videntur,
Poſcentes vario multum diverſa palato.

Adde quód noſtræ ſint partes (qui teſtamenti RAMEI *procuratores executoreſque, á teſtatore ipſo nominati, & S. C. confirmati ſumus) quæcunque ad colendam & vindicandam ab oblivione et ſilentio defuncti memoriam, tum ad promovenda eo nomine literarum ſtudia pertinere videbuntur, omnibus modis procurare & exequi. Interea (pie lector) his libellis, veluti poſthumis liberis,*

gratus gratisque utere-fruere, & totus obnixé nobiscū in hoc ipsum incumbe, ut aliquando, per tempus, justa et integra tanti professoris Regii opera, in rem communem extare possint. Bene vale.

DIONYSIVS VALLENSIS AMICO LECTORI S.

Cum perſpicerem (amice lector) pleroſq; omnes, recuperãdarum PETRI RAMI, eloquentiæ & philoſophiæ profeſſoris Regii, itidemque AUDOMARI TALÆI, Orationum, Epiſtolarũ, Præfationum, ardenti deſiderio flagrare: non potui quin tandem bonorum, doctorumque amicorum ſuaſu impulſus, aratro (ut aiunt) manum adhibuerim, magnoque cum labore ac diligentia, undequaque quot quot hîc habes Analecta, mihi colligenda eſſe perſuaſerim, ſingulaque meliori quam fieri poſſet ordine diſpoſita, & in unum corpus redacta, typis excuderem: ne forté tantorum viro-

virorum, tam insignes, ponderosæ & graves vigiliæ, incuria perirent. Non licuit tamen, tanta diligentia, singula investigare, quin adhuc horum præstantium virorum, quædã præclaré scripta desiderentur: quæ siquis bonus civis, é manibus prædonum eripuerit, aliove quodam fato nactus fuerit, oratum illum velim, ut mihi ea cõmunicare molestũ non sit, quó in usum Reipub. cum investigatoris commendatione postea edantur. Interea hæc qualiacunque sint á nobis exarata (nostros typographicos defectus supplendo) æqui bonique consule. Vale.

PETRI RAMI ELOQVENTIÆ ET PHILOSOPHIÆ *professoris Regii, præfationes Grammaticæ,*

AD

CAROLUM LOTHARINGUM *Cardinalem.*

PRIMA.

DISPUTAVI (MOECENAS) dies aliquot in schola Cameracensi theses quasdam de Grammaticis præceptis ordine pauló commodiore, quám adhuc fuissent, instituendis : subductisque veterum & recentium Grammaticorum decretis, summam Grammaticæ artis feci : separatim etiam in grammaticas scholas conjeci quid quaque de re Grammatici nobiles sensissent, & quibus nos ipsi argumentis adversus eos nonnunquam moveamur,

atque omnino quamobrem vetere via relicta, novam sequamur. Materies Grammatica est, sed artificium formandi Philosophicum & ex eadem Logicæ officina depromptum. ex qua nescio quæ nugarum & ineptiarum nostrarum turba nobis excidit & in manus hominum pervenit. ψχολογίαν primúm populo exhibuimus, & quidem, ut simpliciter & aperté dicam, ea fiducia, qua Rhetor summus de hac arte præcipiens affirmavit inter Grammatici virtutes habendum, aliqua nescire. Vix enim pro diligentia ulla sperare possum, in tanta præsertim rerum omnium commutatione, quantam novi partus nova forma necessarió peperit, primis lineamentis nihil abfuturũ. At ursinos ingenii nostri mores (ut Maronis etiã me vitiis exornem) jampridem perspectos habes, qui rudes fœtus elambendo fingere sensim paulatimque soleamus. Ἐλεγκτικὰ veró illa quid mereant ut lucem intueantur, rebus ipsis vel lenté & fastidiosé probatis, æstimabitur. Equidem scio quantis vigiliis mihi constiterit res hominum judicio plané puerilis, tantumque gratia puerorum elaborata. & tamen viris de liberorum institutione sollicitis reddenda ratio fuit quamobrem sic hoc, aliter illud ageretur. Quapropter Grammatica nudé & simpliciter explicabitur, ut artes explicandas arbitramur. explicationis cujusque causſæ si requirantur, dicentur in scholis Grammaticis. Vale. Lutetiæ in Prælco 3. Idus Maii 1559.

SECUNDA

SECUNDA.

SI requiris Lector, quid hæc Grammatica ſupra cæteras omnes grammaticorum artes adferat, certé ut ſit brevitate & facilitate accuratior. Etymologiam enim ſingularum vocum, deinde conjunctarum ſyntaxim interpretãdo, fuſas etiam per utramque proſodiam & orthographiã interpretatur: communia ſemel exponit, ut ſyllabæ quantitatem, ut vocis accentum, ſpeciem, figuram, numerum, ut genera nominum: propria propriis locis digerit: Sic ordinis compendio & claritate totum dimidio brevius & facilius efficit. Genera autem declinationum & conjugationum ad infinitam vocum multitudinem apta partitione diſtinguendum, præcipui laboris fuerunt: in quibus ſi contra grammaticos alia probata, ut pleraque anomala, alia repudiata, ut ſeparatam á nominibus grammaticam pronominum & participiorum, ut cõmenta in verbis modorum & formarũ inchoativæ, frequẽtative, deſiderative, ut verbi cõmunis, item perſonarum: ut *Amantote*, *Amaminor*, ut participiorũ tempora, ſed prẽcipué futurum in *dus*, ſi totam deniq; Grãmaticæ ſpeciem mutatã miraberis, Scholæ grãmaticæ cauſſam tibi explicabũt. Unũ certé quidẽ & in etymologia & in ſyntaxi á nobis elaboratũ eſt, ut grãmatica ex uſu bene loquentiũ deprõpta, & ad eundẽ uſum apta traderetur. Nihil enim huc ex opinione grãmatici cujuſquã trãſlatũ, ſed per nos é præſtãtibus authoribus obſervata probatáq; omnia tibi tradidimus. Vale.

TERTIA.

STATUERAM (Mecœnas) in his ſcholis Grammaticis nomine tuo non abuti, non quia mihi nihil eſſe videantur, cúm tam magnificé (ut præfatione ipſa profitemur) populo vẽditarim: ſed quia me importunitatis meæ ſuppudebat, qui uno pene tempore & Mores veterum Gallorum & Militiam Cæſaris, & Grammaticam & Scholas Grammaticas tanquam Ariſtarcho neſcio cui otioſo legendas proponam. Verumenimvero iſtam immodicæ ſedulitatis culpam tarditas conſequentium ſtudiorum facilé præſtabit. Nec enim Archimedeus ille pulvis, quem deinceps excitare cogito, iſtam mihi facilitatem pollicetur. Quare ſi nihil á nobis ad annos aliquot audies, ſolenne ideo & ſacrum Pythagoreo ſilentio votum perſolvi judicato. Vale. Lutetiæ. é Præleo noſtro Calend. Auguſt. 1559.

QVARTA, QVÆ INSTAR ORATIONIS HABET.

FREQUENTIA hæc tanta (Aud.) quátam, vel florentiſſimis Academiæ temporibus, animadverti ſſe non memini, admirationem veſtram tacita mihi ſignificat, quid cauſſæ ſit quamobrem Regius eloquentiæ & Philoſophiæ profeſſor, res adhuc in oratoribus & philoſophis graves ſecutus, tandem ad puerilem Grammaticæ artis conſiderationem deſcen-

deſcenderim: Verúm, ſi vel hominum qui idem fecerint, ſplendorem ac dignitatē, vel facti ipſius cauſſam facultatēque æquo & attento animo reputare mecū volueritis, intelligetis profectó non ludicrā puerorum luſionem neſcio quam induci, ſed ſummorum & in literis facilé principū hominū honeſtiſſimum exemplū revocari, ſtatuetiſq;, comparatis rebus & diligenter animadverſis, receptæ profeſſionis munere alienum nihil á me ſuſcipi. Etenim, quos & quantos in utraque lingua viros arbitramur Grammaticæ artis magiſtros extitiſſe? Græcia nempe philoſophos imprimis Platonem & Ariſtotelem, deinceps innumerabiles alios extulit. Platonis tempore Grammatica nihil aliud admodum fuit, quám literas legere & ſcribere: at in Philebo videmus á Platone tractatum, qua via deceret literarum doctrinam inſtitui: nec Cratylo ejuſdem philoſophi dialogo ſingulari, aliud quám grammaticum argumentum diſputatum eſt, quippe qua ratione nomina rebus eſſent impoſita. Ariſtoteles ultra Platonis initia progreſſus, genera quæ primis elementis efficerentur, comprehendit, comprehenſaque poſteritati mandavit. Theodectes Ariſtotelem magiſtrum imitatus eſt, ingeniumq; in grammaticis ſtudiis exercuit, adeoque philoſophus uterque Grammaticæ artis velut inventor aut certé imprimis author á Quintiliano efficitur: ſic enim ait lib. 1. cap. 4. Ariſtoteles quoque atq; Theodectes verba modo & nomina & convinctiones tradiderunt, videlicet quod in verbis vim ſermonis, in nomibus materiā (quia alterū eſt quod loquimur,

alterum de quo loquimur) in cõvinctionibus autem, rerũ complexũ esse judicaverunt, quas conjunctiones á plerisque dici scio. Sed hæc videtur ex συνδέσμω magis propria translatio. Hæc igitur de Aristotele & Theodecte Quintilianus. Paulatim á cæteris philosophis maximeque Stoicis Grammatica res augeri atq, amplificari cœpta est: unde intelligimus literarum studium apud Græcos in eo laudis & dignitatis loco fuisse, ut summi philosophi hujus artis commendatione, nominis sui famam memoriamque posteris gratam esse voluerint. Quid Romani? quo numero quóve loco Grammaticam habuere? Grammatica olim (ait Suetonius in libello de claris Grammaticis) Romiæ ne in vsu quidem, nedum in honore ullo erat, rudi scilicet ac bellicosa etiam tum civitate, necdum magnopere liberalibus disciplinis vacante. Initium quoque ejus mediocre extitit: siquidem antiquissimi doctorum quidam & poëtæ & oratores semigræci erant, Livium & Ennium dico, quos utraque lingua domi foriſq; docuisse adnotum est. Nihil amplius quám Græcé interpretabantur: ac si quid Latiné ipsi composuissent, prælegebant. Primus igitur (quantum opinamur) studium Grammaticæ in urbem intulit Crates Mallotes Aristarchi æqualis, qui missus ad Senatum ab Attalo Rege inter secundum ac tertium bellum Punicum sub ipsam Ennii mortem, cúm in regione Palatii prolapsus in cloacæ foramen crus fregisset, per ómne legationis simul & valetudinis tempus plurimas ἀκροάσεις subinde fecit assidueque disseruit, ac nostris exemplo fuit ad imitan-

imitandum. Denique magis ac magis (ait idem) & gratia & cura artis increvit, ut ne clariſſimi quidem viri abſtinuerint, quo minús & ipſi aliquid de ea ſcriberent, utque temporibus quibuſdam ſuper xx celebres ſcholæ fuiſſe in urbe tradantur. Hæc Suetonius. Hi veró clariſſimi viri qui tantúm proponũtur, nominatim non appellãtur fuere (ut ex hiſtoria percipi poteſt) M. Terentius Varro, M. Tullius Cicero, C. Jullius Cæſar: doctiſſimus undecunque Varro cúm pleraque alia, tum præcipué grammaticum hoc argumentum, quatuor & viginti libris explicaverat: ſex adhuc licet mutilati: attamẽ ex eo numero libri ſuperãt, unde poteſt univerſæ commentationis ſummã perſpici. Eſt enim ſeptimi initio, tranſitio poſita, quæ partes omnes oſtendit, ubi ſic Varro loquitur: quum oratio, natura tripertita eſſet, ut ſuperioribus libreis oſtendi, ejus prima pars quemadmodum vocabula, rebus eſſent impoſita, ſecunda quo pacto de heis declinata in diſcrimina ierunt, tertia, ut ea inter ſe, ratione conjuncta ſententiam efferant: prima parte expoſita, de ſecunda, incipiam hinc. Hæc partitio indicat triplicem linguæ latinæ doctrinam á Varrone deſcriptam eſſe. Etymologiam, Analogiam & Syntaxim. Etymologia ſex primis tradebatur, Analogia ſex proximis, reliquis duodecim Syntaxis. duodecim nempe libri in ſingularum vocum origine & proportione, id eſt, in Etymologia, cujus pars eſt ſingularum vocum Analogia: duodecim in earum cõſtructione verſabantur. Sed Etymologiæ doctrina qualis fuerit ſimili trãſitione, initio quarti libri

declaratur. Sic autem loquitur Varro: Quemadmodum vocabula essent imposita rebus in lingua Latina, sex libreis exponere instituí. De his, treis ante hunc feci, quos Septimio misi, in quibus est de disciplina quam vocant ἐτυμολογικὴν, quæ contra eam dicerentur, volumine primo: quæ pro ea, secundo, quæ de ea, tertio. In heis ad te scribam á quibus rebus imposita sint vocabula in lingua Latina: & ea quę sunt in consuetudine apud poëtas. Tres igitur primi libri academicam disputationem εἰς ἑκάτερον habuere. E libris Grammaticorum Aristophanis, Apollodori, Antipatri, Cratis, primus Etymologiam labefactabat, secundus contrà defendebat, tertius tanquam controversiæ judex & disceptator erat: hi libri periere, tres proximi propagines Etymologiæ tractarũt: quartus interpretabatur nomina locorũ, quintus nomina temporum, sextus poëtarum. Deinceps analogia similem philosophiam habuit é libris Aristarchi & Chrysippi: septimus oppugnator analogiæ fuit, octavus defensor, nonus definitor. Tres reliqui, quorum nihil restat, propagines analogiæ in flexionibus nominum & verborum continebant. Tertiæ partis argumentum de copia verborum & poëmatis deinceps agebatur, quæ pars magno Latinæ linguæ detrimento prorsus interiit. Ergo talis Grammatica Varronis fuit. Quid Tullius? Artis hujus (ait Quintilianus lib. 1. cap. 7.) diligentissimus fuit & in filio (ut ex epistolis apparet) certé loquẽdi, usquequaque asper quoque exactor: imó veró etiam doctor Grammaticæ fuit, eamque in prima elocutionis parte

statuit,

ſtatuit, ut percipitur oratorio 3. in præceptis latinitatis. Mirabile fortaſſe fuerit hos principes tãtis opibus tantaq; in Repub. dignitate, Grãmaticæ artis magiſtros fuiſſe. Sed de Cæſare multó mirabilius, qui duos de Analogia libros ad Ciceronem in ſummo bellorum civilium ardore conſcripſerit, qua de re ſic in Bruto Atticus cum Cicerone, deinde cum Bruto loquitur: Quinetiam in maximis occupationibus cúm ad te ipſum (inquit) de ratione Latiné loquendi accuratiſſimé ſcripſerit, primoque in libro dixerit verborum delectum originem eſſe eloquentiæ, tribueritque, mi Brute huic noſtro, qui me de illo maluit, quám ſe dicere, laudem ſingularem. Nam ſcripſit his verbis cúm hunc nomine eſſet affatus. Ac ſi cogitata, præclaré eloqui poſſent, nonnulli ſtudio & uſu elaboraverunt, cujus te pené principem copiæ atque inventorem bene de nomine ac dignitate populi Rom. meritum eſſe exiſtimare debemus, hunc facilé & quotidianum noviſſe ſermonem, nunc pro relicto eſt habendum. Atque hæc in Bruto, unde intelligimus, ab Attico Cæſaris grammaticum ſtudium commendari, unaq; Cæſarianam Ciceronianæ Grammaticæ laudem celebrari: ſed ibidem á Bruto etiam magnificentiús augetur. Tum Brutus, Amicé hercule (inquit) & magnificé te laudatum puto, quem non ſolúm principem atque inventorem copiæ dixerit, quæ erat magna laus, ſed etiam bene meritum de populi Romani nomine & dignitate. Quo enim uno vincebamur á victa Græcia, id aut ereptum illis eſt, aut certé nobis cum illis communicatum.

Hanc autem (inquit) gloriam teſtimoniumq; Cæſaris tuæ quidem ſupplicationi non ſolúm, ſed triumphis multorum antepono. His igitur exemplis perſpicimus (Aud.) tam honorificum literarum ſtudium Varroni, Ciceroni, Cæſari viſum eſſe, ut iis honoribus (quos in Repub. ampliſſimos eſſent aſſecuti) ampliorem quendam é Grãmaticæ artis illuſtratione ſibi proponerẽt. Grammaticam igitur tantorum principum gloriam ſimilibus ſtudiis æmulati ſunt Didymus, Palemo, Terentianus, Quintilianus, Plinius, Celſus, Marcellus, Cenſorinus, Macer, Gellius, Probus, Donatus, Papyrianus, Priſcianus, atque innumerabiles alii. Sed præclariſſima hominum ingenia in grammaticis ſtudiis elaboraverint: cauſſam laboris rationemq; conſiderare, majus fortaſſe atq; optabilius fuerit. Facultatem igitur Grammatici hujus operis efficiendi ſubducamus. Logicas faciendæ artis leges é materia artis, é forma artis repetamus, qualis grammaticæ artis materia, qualis forma ſummis illis Grammaticæ doctoribus propoſita fuerit: iſtas veró cauſſas Ariſtoteles Analyticis libris explicavit: hunc itaque philoſophũ audiamus. Materies (inquit) omnibus artibus propria certaque ſubjecta eſt, quam cõceſſu omnium conſenſuque ſibi ſumunt, nec alio ſibi demonſtrationis genere vendicant. Talis Arithmeticæ materia numerus eſt, Geometriæ, magnitudo, talis etiam Grammaticæ ſermo, græcæ, græcus, latinæ latinus: proponitq; Grammatica ſibi populum, qui certo ſermone omnibuſque popularibus familiari ac noto utatur: tum ſermonis,

quia

quia varius uſus eſſe poſſit, apud alios legitimus, contrarius apud alios, Grammaticam deſcripturus, rectum tantúm & laudabilem uſum ſeliget, neque quomodolibet loquendi artem faciet (id enim ſine arte fieret) ſed recté & puré, id eſt bene loquendi. Ergo ad legitimum verumque ſermonis uſum præceptis & regulis é propoſita materia ſeligendum, tres artificioſæ materiæ notas Ariſtoteles tradit, κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ. καθόλου πρῶτον, unde theorema catholicum artis ac doctrinæ loco dignum intelligatur. Prima nota præceptiones artis Grammaticæ, non ſolúm veræ, ſed omninó neceſſarioq; veræ eſſe debemus. Itaque ſi quid fallacibus & captioſis Grammaticorum placitis & opinionibus teneatur, id in iſta materia illegitimum erit, nec ad Grammatici operis fabricam adhibendum. Infinitæ Grammaticorum contradictiones ſunt, quæ veræ ſimul eſſe non poſſunt. Plerique feré omnes commentitiis exemplis & á ſeſe confictis ſunt contenti, exemplorum ex idoneis authoribus demonſtrationem nullam adferunt. Ac ſi qui attulerint, é ſacris literis aut é profanis nihilo elegantioribus petiuerunt: qui diligentiores fuerunt, é poëtis feré ſumpſerunt, qui tamen (ait Varro) lineas impuné trãſiliunt, quoſque ideó Antonius apud Ciceronem non attingit, ut aliena lingua locutos. Itaque Quintilianus recté ait, á poëtis ſermonis authoritatem peti non poſſe. Pauciſſimi ad Terentium, Cæſarem, Ciceronem reſpexere, atque interdum vitioſis exemplaribus inducti, falſa nobis authorum teſtimonia produxerunt. Quare ſi quis Ariſtotelem au-

dire voluerit, ad Grammaticam artem conſtruendum, Grammatici propemodum nihil niſi problemata proponant, quæ tu laborioſa uſus obſervatione conſideres, vera demonſtres aut falſa cõvincas. Id igitur primúm in ſeligendis Grammaticæ materiæ præceptis Ariſtoteleum ſignum erit, ut nihil præcipiatur niſi κϑ' παντὸς. Secundum artificioſæ materiæ Ariſtoteleum ſignum eſt καθ' αὑτὸ, quo multó plus exigitur quám primo: ut enim ſit aliquid in arte per ſe, non ſatis eſt omnino neceſſarioque verum, ſed homogeneum ac penitus cognatum debet eſſe. Ariſtotelis exempla hac in re mathematica ſunt. In Arithmetica de magnitudine dicere (ait) eſt ἀνάλογον: in Geometria de numero præcipere, eſt ἀγεωμέτρητον. Itaque ſi quid in Grammatica præter illum ſermonis uſum fuerit, per ſe non erit. Tota feré Grammatica ſignificationibus vocum referta eſt: propriarum, appellativarum, poſſeſſivarum, derivativarum, denominativarum, patronimicarum, verbalium, participalium, adverbialium: ſic in verbi doctrina formæ & genera ſignificationum inchoativæ, frequentativæ, meditativæ maximam partem occupãt, de reliquis orationis partibus ultra ſignificationes nihil feré præcipitur. At materies Grãmaticæ eſt ſermo popularis & patrius, id eſt ſignificationibus notus, nec Grãmatica ſignificationes vocabulorũ, ſed uſum docendũ ſuſcipit ex iis quidẽ non quæ ſignificãtur, ſed quæ adſignificantur, ut ſunt numeri, genera, gradus, caſus, perſonæ, tẽpora, aut é vocum ipſarũ finibus, unde nempe nominum declinationes, verborũ conjugationes informandæ

mandæ ſunt : tota denique iſta ſignificationum materia ad Ariſtotelis legem illegitima erit. De Rhetoricis tropis & figuris Grammatici quidam in Grammatica præcepere. Id non eſt καθ' αὑτὸ dicet Ariſtoteles : in Rhetorica præcipiatur. Quintilianus Grammaticæ partem fecit hiſtoricen in explicandis poëtis. Diomedes eum ſequitur. At ſi poëmate mores, numeri, res naturales contineantur, utrum potiús ad Grammaticam explicatio talis, quám ad Ethicam, Arithmeticam, Phyſicam pertinebit? Tertium artificioſæ materiæ ſignum eſt καθ' ὅλου τοῦτον, univerſaliter primum, cúm artis regulæ ſint ita propriæ, ut generalia non ſpeciatim, nec ſpecialia generatim, ſed generalia generatim & ſemel, ſpecialia ſpeciatim & ſæpiús doceantur. Ariſtotelis exempla, hinc etiam mathematica ſunt. Tres angulos duobus rectis pares eſſe, trianguli communis & generalis affectio eſt: itaque generaliter & ſemel præcipienda. Si quis per ſpecies æquilaterum, æquicrurum, varium demonſtrare contenderit, ſophiſticé demonſtrabit (ait Ariſtoteles.) Nónne (inquies) κατὰ παντὸς, nónne καθ' αὑτὸ, ſané neceſſarió & per ſe id erit: at καθόλου τοῦτον non erit. Quid habet igitur ea res vitii? Τωπολογίαν (ait Ariſtoteles) tortuoſam: tres enim doctrinas pro una faciet. Id generaliter explicatum etiam per ſpecies ſubjectas intelligeretur. Quare veré quidem illud doceretur, ſed impropriè, ſed incommodé, ſed obſcuré. Quid igitur eſt in Grammaticis regulis non καθόλου τοῦτον? Grammaticæ partes duæ ſunt, prima in ſingulis vocibus, ſecunda in conjunctis: unius illius partis

una doctrina esse debebat, quæ vocũ singularum proprietates explicaret. At á Grammaticis tres separatæ sunt, Etymologia, Prosodia, Orthographia: id igitur καθόλου θεῶρον non est. Secundó præceptum de specie & figura generale est & omnium vocum commune: quæri enim potest de quavis voce sitne primitiva an derivativa, simplex, an composita: id igitur generaliter & semel doceri debuit. At præceptum de specie & figura in omni dictionis specie in nomine, in verbo & cæteris repetitur: id igitur Aristoteles catholicum esse pernegaret. Aristoteles vocis genera duo κατηγόρημα καὶ συνδεσμον: κατηγορήματος species duas nomen & verbum fecerat, & rectè. At Grammatici pro duobus generibus eorumque binis partibus alii quinque, alii septem, plerique ferè omnes octo, nonnulli decem fecerunt. At (inquiet Aristoteles) generalia generaliter explicanda sunt. Analogia declinationum & generũ in pronominibus & participiis nulla specialis est, tota est generalis. Præpositiones & interjectiones, sicut adverbia sunt velut adjectiva, singularũ vocũ: sunto igitur genera duo, κατηγόρημα & συνδεσμος. Categorematis species sunto nomẽ & verbum, συνδεσμου adverbium & conjũctio, cæteraq; Grammaticæ artis regulæ ad istam legem καθόλου θεῶρον sunto. Hæc Aristotelea sunt (Aud.) artificiosæ materiæ signa, κῦ' παντὸς, καθ' αὐτὸ καθόλου θεῶρον, quibus consentanea Grammaticæ regula pro legitima sit habenda, dissentanea rejicienda. Ac quamvis regula Grammaticæ rara ad istam legem catholica reperiri possit, cúm anomaliam aliquam patiatur,

atta-

attamen cúm analogiæ ſuam anomaliam ſubjeceris, tum denique id totum catholicum erit. Sed optemus Apolline aliquo propitio iſtam nobis electam & explicatam eſſe Grammaticarum regularum materiam: quónam tandem ordine nobis informanda erit? Logicā etiā hic Ariſtotelis legē audiamus, ut uſu atque exercitatione difficillimā, ſic præcepto, omnium breviſſimā & clariſſimam, *Natura prius præcedat, poſterius ſequatur*. Ac quoniam gradus hic etiam ſunt, γρικώτατον & natura primum primo loco, ὑπάλληλα & intermedia medio, εἰδικώτατα & infima infimo loco ſtatuantur. Hæc artis legitimo ordine conſtructæ forma, hæc collatio eſt. Si quid igitur in Grammaticis præceptis natura prius poſteriore, aut poſterius priore loco eſt, perverſé & præpoſteré collocatum eſt. Dictionis natura, prior eſt, poſterior orationis: Dictionis igitur etymologia, proſodia, orthographia anté dicenda eſt, deinde orationis compoſitio & conſtructio. At ὕστερον πρότερον, poſt ſyntaxin de proſodia & orthographia vulgo præcipitur: id methodum eſſe Ariſtoteles nequaquam judicaret. Declinationis in nomine differētia ſpecialem generum differētiam indicat: at generum ſpecialis etiam doctrina præponitur, declinationum ſequitur: ὕστερον πρότερον Ariſtoteles id appellaret: denique ſi quod eſt in tota Grāmatica præceptum, id eſt omnino ad Ariſtoteleam artificioſæ formæ regulā revocandum. Ad rationē etiam inſtituendæ artis attinet ſermonis facilitas, ſive é Grammatica, ſive etiam é Rhetorica repetatur: ut orationis ſpecie quám facillima, unumquodque

præceptum proponatur, & ſic veteres illi Grammatici de quibus locuti ſumus, ſoluta oratione regulas artis expoſuerant, recentiores verſibus cõplexi ſunt, non dico quám ruſticé & inepté, ſed certé nimis obſcuré, ac plerumq; ne obſcuré quidem quod opus eſſet exprimentibus, ut proſa interpres neceſſarió adderetur ad explicandum, vel explendum quod verſus dicere nequiſſet. Num igitur commodius fuerat artem proſa comprehẽdere, cúm verſus nec omnia complecti poſſit, & ea ipſa quæ complectitur, proſa deinde explicanda ſint? Quare cúm in artibus inſtituendis, perſpicuitas doctrinæ præcipué requiratur, obſcuritas iſtorum carminum præſertim ineptorum & ſemilatinorum rejicienda eſt, & quám facillima clariſſimaque fieri poterit oratione, præceptum unumquodque ponendum, natura prius, priore loco: poſterius, poſteriore. Hæc Ariſtotelea formandæ artis forma eſt, præcepto, ut dixi, facillima, opere atque exemplo difficillima. Etenim, ſi frequentiſſima ampliſſimæ civitatis hujus multitudo univerſa in novam aliquam deducta colonia civitatem transferenda eſſet, atque hac philoſophica lege & tanquam Platonis præſcripto regionibus, vicis, domiciliis dividenda, quantus labor, quantum opus id eſſe videretur? Sacerdotibus ad templum, judicibus ad forum, militibus ad muros locus aſſignandus, mercatoribus item & opificibus ſua regio diſtinguenda eſſet. Atque hæc partitio tantúm prima. Sunt enim ſacerdotum, judicum, militum & reliquorum generum varii gradus, ſinguliſq; ordo ſuus honorque ſervãdus:

Attamen

Attamen in tanta varietate tantaque differentium capitum dissimilitudine, si quid offensum peccatúmve sit, id évestigio planum faciet querimonia loco dejecti, & cognationes ipsæ generum seipsas manifestabũt, ut principis error, vel certé diuturnus error accidere non possit. Atqui in ista grammaticarum vocũ innumerabili multitudine, collocatio difficultatem longé majorem efficit. Genera muta sunt, mutæ species, mutæ differentiæ, mutæ proprietates, quamvis inde fiat omnis sermo oratioque. Misceatur cum generibus species, aut cum utrisque, differentiæ & proprietates, nulla vocis cujusquam accusabitur injuria. Hinc igitur qui Pontifices, qui jurecõsulti, qui belli duces ac ministri, qui mercaturam, architecturam, nauticam, agriculturam faciunt, tibi per te tua investigatione atque inspectione discernẽdi primúm, tum ad generis ordinem redigendi, ac reliqui labores infiniti subeundi: labores (inquam) experienti tantúm, credibiles. Ergo hinc constituendæ de integro & tanquam reformandæ Grammaticæ sudores (opinor) intelliguntur, vt mirabiles Grãmaticorum errores & offensiones videri non debeant. Est enim ars una illa faciendarum artium longé maxima gravissimaque, multoque promptius est Grammatico logicam nescienti, in captiosos elenchos incidere, quám Logico Grammaticam ignorãti barbarismos & solœcismos facere. Hæc igitur Grammatici operis efficiendi facultas est quam proposueram, hæc ferramenta, hi vectes, hæc instrumenta architectis illis fuere, quibus materiã Grãmaticæ artis notare & signare,

quibus notatam & ſignatam diſponere & collocare debuerunt. Quamobrem, ſi quis initio miratus ſit cur é Rhetore aut Philoſopho, Grammaticæ magiſter factus eſſem, is cúm ſummos oratores, ſummos philoſophos, ſummos etiam Reipub. Principes Grammaticæ magiſtros fuiſſe inſtrumentiſq; ex intima philoſophia deprõptis, tale magiſterium exercendũ eſſe cognoverit, hic (ut ſpero) noſtrum in grammatico quidem argumento, at plané philoſophicum ſtudium recognoſcet, & de grammaticis inſtitutis attentiús mecum libentiuſque cogitabit.

QUINTA, GRAMMAT. GRÆCÆ.

A SERMONE græco, puerum incipere malo (ait Fab. Quintilianus) quia latinus pluribus in uſu eſt, vel nobis nolentibus ſe perhibet ſimul, quia diſciplinis quoq; græcis priús inſtituendus eſt, unde & noſtræ fluxerunt. At nos ὕστερον πρότερον ὁμηρικῶς videlicet latinam Grammaticam ſuis partibus integram priús edidimus: deinde communibus utriuſque prætermiſſis, ſuccinctè tantúm collegimus Græcæ cum Latina differentiam. Quamobrem dices? Quoniam (inquam) cúm utraque Latina pariter & Græca peregrina nobis eſt, & ad cultum ornatumq; domeſticæ linguæ referenda: Latinæ tamen uſus ad loquendum & ſcribendũ requiritur in omnibus Reipub. partibus, ſive religionem & jura civilia ponti-

põtificiaq;, ſive liberales & ingenuas artes, ſive varia plurimorum populorũ commercia cõſideres: Græcæ veró non dictio quidẽ illa vel ſcriptura, ſed duntaxat intelligentia, & quidẽ in paucis, nempe religionis & artiũ ſtudiis vulgó putatur eſſe neceſſaria. Itaque ſi tempori parere & neceſſitati obſequi rectum & juſtum videatur, nihil alienum ſit latinam Grammaticam nobis in hac Repub. conſtitutis pleniús expoſitam eſſe, tum Græcæ præcepta reliqua Latinis tantúm non communia breviús indicari.

P. RAMI, ET AVDOMARI TALÆI PRÆFATIONES *Rhetoricæ.*

PRIMA, TALÆI.

NON ſum neſcius (doctrinæ parens Academia) quam mercedem ex tuo nomine Petrus Ramus frater meus pro devotis tibi primitiis laborum ſuorũ percepit: verumtamen nulla injuria de nobis (ut pro utroque ſpondeam) impetrabit, ut tibi bené velle, deque tua laude bené cogitare, deſinamus. Una enim nobis omnium injuriarum ultio certa propoſitaque eſt omnium injuriarum in perpetuum obliviſci: de Repub. de hominum genere (quantum Deus optimus nobis conceſſerit) bené mereri, & exemplo noſtro

gloriæ tuæ ſtudioſos ad eandem contentionem cohortari. Commune veró ſtudium utriuſq; noſtrum fuit (quod item nunc eſt, eritque quandiu bené ſperare licebit) Rhetoricæ, & Philoſophiæ ſtudia conjungere, ſicut veterum Græcorum & Latinorum conſuetudo, & vetus diſciplina tibi á noſtris regibus inſtituta ferebat: & philoſophiã non tantúm tenebris, quibus circunfuſa eſt, ſed etiam barbarie, qua fœda, miſeraque eſt, liberare: atque omnino artium inſtitutionem potius ex puris naturæ fontibus, quám ex turbidis opinionum rivulis haurire. placuit enim ſemper nobis Apollinis illud oraculum, naturam potius ducem quám multorum opiniones ſequi: ut diſciplinarum principiis & cauſſis ad naturæ originem referendis doceremus horum bonorum (ſicut reliquorum omnium) authorem nobis eſſe Deum, & ad ejus amorem pietatemque teneros adoleſcentium animos, quibus iſta traduntur, excitaremus. Quod inſtitutum ſi certi homines imitari, quám æmulari maluiſſent, (nihil acerbius dicam) melius eſſet bonis literis, melius utilitati publicæ conſultum. Petri Rami conſilium dialecticæ inſtitutiones & animadverſiones Ariſtotelicæ teſtificantur: noſtrum veró vix inchoatus, nec ulla doctrinæ perfectione limatus hic labor indicabit: plenius veró, & copioſius Rhetoricæ animadverſiones aliquando declarabunt. Vale, & tuis bonis quæ quotidie magis ac magis augentur florẽs ac beata fruere. Lutetiæ Pariſiorum anno ſalutis, 1544. Idib. Ianuarii.

SECUN-

SECUNDA, TALÆI.

SI QUIS *tamen hæc quoq;, si quis*
Captus amore leget, te noſtræ Va-
re myricæ,
Te nemus omne canet: nec Phœbo
gratior ulla eſt,
Quám ſibi quæ Vari præſcripſit pagina nomen:
Liceat enim (Mecœnas optime) verſibus iiſdem te nunc affari, quibus Varum ſuum Maro noſter affatur. Te ſiquidem ſcriptorum noſtrorum tenues & humiles myricæ, te lucubrationum noſtrarũ omne nemus pro maximis tuis in fratrem meum Petrum Ramum, vel potius utrunque noſtrum meritis cantabit & celebrabit. Præcinuerũt autem Petri Rami variarum vocum modi & inſtitutionum Dialecticarum, & animadverſionũ Ariſtotelicarum, & aliarum (quæ in tuo nomine extiterunt) commentationum: noſtra deinde & pauló anté Academia: & nunc Rhetorica præcẽtionem illam ſequitur: nec Phœbo ac Muſis noſtris gratior ulla pagina eſt, quám quæ Caroli Lotharingi nomen præſcripſerit. Philoſophica autem priora illa omnia fuerunt: hæc autem oratoria, in quibus noſtrum ſtudium vehementer elaboravit, ut artes ſuis diſtinctæ præceptis explicarentur, cum alienis non commiſcerentur. Nam cũ multos annos in Ariſtotelis, Ciceronis, Quintiliani Dialecticis & Rhetoricis ea opinione verſati eſſemus, ut Dialecticam & Rhetoricam ab illis perfectas crederemus, ſeró quidem, ſed tamẽ

aliquando ab iisdem utranque disciplinam varié confusam percepimus. Invētionis, dispositionis, memoriæ doctrinam Petrus Ramus perpurgavit, & ad Dialecticā (cujus propriæ sunt) retulit. Ego deinde ejus quoque prælectionibus & observationibus adjutus, ad elocutionem & actionem (quoniam hæ solæ partes ejus propriæ sunt) Rhetoricam revocavi, per genera & species (qua via mihi adhuc licuit) explicavi, exemplis & oratoriis & poëticis illustravi: præceptiones itaque ipsæ ad verbum ex illis authoribus omnino feré sunt: sed, ut hæc prima & rudis informatio tulit, nostro & judicio probatæ, & ordine dispositæ, & genere tractatæ atque exornatæ. Faxit summus ille moderator ingeniorū Deus, ut quoniam (sicut idem poëta noster ait)

Non omnes arbusta juvant, humilésq; myricæ,
Majora, persónáque tua digniora canere valeamus.

TERTIA, RAMI.

HABES Lector, in duobus libellis Rhetoricam elocutionis & actionis ab Audomaro Talæo non tantum é rhetorum officinis depromptam, sed ex eloquentium hominum spatiis observatam & legitima imprimis methodo cōformatam. Quidquid enim Aristotelis vel Isocratis arculæ, quidquid Ciceronis vel Quintiliani μυροθήκια de hac arte complectuntur, id totum

tum hic copioſé & integré popoſitum eſt: Hic inſignibus poëtarum & oratorum exemplis, id eſt uſu ipſius eloquentiæ magiſtro demonſtratum & illuſtratum: quæ ſit in tropis gratia, quæ delitiæ ſint in figuris verborū: qui in figuris ſententiarum nervi ac thori, quæ vis in voce, quæ ſuadæ medulla ſit in geſtu totaque actione: corpuſq; artis univerſum partibus ac membris aptiſſime compoſitū atque collocatum: deniq; vivam quandam eloquentiæ imaginem Apelles hic noſter tibi repræſentare voluit, quo facilius præſtātium in dicendo hominum rhetoricas virtutes & intelligeres & intellectas imitando & commentando tibi comparares. Qua laude Grammatica omnium artium apud omnes ſcholas, de quibus quicquam noſſe potui, cumulatiſſima eſt, paucis præceptis, exercitatione frequenti & aſſidua, grāmaticos innumerabiles informando. Rhetorica ſi ita doceretur, ſi ita exerceretur, oratores tam multos exhiberet, quām multos grammaticos grammatica quotidié nobis exhibet. Si quid autem rhetoricum in ipſa Rhetorica prætermiſſum putabis, Rhetoricæ in Ciceronem & Quintilianū ſcholæ tibi ſatisfacient. Vale.

QUARTA, RAMI.

SPERO, Henrice Valeſi, Franciæ Rex Chriſtianiſſime, amplitudinem tuam me nihil offenſurum, ſi Rhetoricas ſcholas non ſolúm ad te mittere, ſed etiam in tuo nomine divulgare audeam. Nanque & hujus artis, & omnium omni-

no doctrinarum laudandarum cognitionem non modó ingenuis animis digniſſimam, ſed etiam regum propriam eſſe ſtatuo. Etenim quid eſt tam regum proprium, quám quod á ſummis regibus ad omnium dignitatem regnorum eſt inveſtigatum, & æternis literarum monumentis poſteritati relictum? Quæramus igitur á quibus tandem hominibus tam varias, tamque multiplices artes vel ad orationis cultum, vel ad rationis ſolertiam atq; judicium, vel ad cæterarum rerum fructum & uſum inventas & deſcriptas accepimus: reperiemus profectó horum bonorum invẽtores & authores, potentiſſimos principes & imperatores extitiſſe. Ponamus ante oculos (ut á primis literis incipiam) M. Varronem, Julium Cæſarẽ: quorum alter de analogia, alter de lingua Latina tam multa ad Ciceronem perſcripſit. At quantis opibus, quanta dignitate in ampliſſima orbis terrarum Republica viri? Quid Pericles, quid Demoſthenes Athenis? quid Romæ Cato, Antonius, Cicero, Brutus, quæ imperia, quanta Reipublicæ gubernacula tenuerunt? At orandi & leges & exempla ab illis omnia feré tenemus. In Dialecticis deos præceptores Plato ſtatuit. Quid veró in Phyſicis Platonem, aut Ariſtotelem potius cõmemorem, quám Alexandrum Macedonem? Is enim nobiliſſima ſcientiæ cupiditate inflammatus, tot hominum millia (quot tanto Aſiæ, Africæ, Europæ imperio venatus, aucupia; piſcatus alebant, quibuſque vivaria, armenta, alvearia, piſcinæ, aviaria curæ erant) conduxit, omneſque omnium ea de re hominum conſcriptos libros

conqui-

conquirendos curavit: ut & peritos rerum naturalium percunctando, & libros varios perlegendo præclara de tot rebus occultis volumina hominum generi cõpararet. Interroga medicos de ſuæ artis origine: Æſculapios tibi & Apollines reſpondebunt. Quid Mathematicæ artes & diſciplinæ? nónne ſibi (vt variæ teſtes ſunt hiſtoriæ) tum primos ab initio mundi patriarchas, Adamũ, Sethum, Noëum, Abrahamum: tum Africæ atq; Europæ clariſſimos reges, parentes vendicant & aſſerunt? Inſtituta veró de vita hominum & moribus, tametſi optimi quippe rerumpublicarum principes gloriæ ſuæ propria ſemper eſſe duxerunt, tamen regnis & imperiis humanis excellentiora & præſtantiora eſſe confeſſi ſunt, cúm certis numinibus leges ſuas attribuerunt, Licurgus Appollini, Solon Palladi, Minos Iovi, Charundas Saturno, aliique diis ac deabus aliis. Cúm igitur doctrinas non ſolúm ingenuas, ſed regias dico, nihil amplificandi cauſſa dico, ſed earum nobilitatem veré ac ſimpliciter exprimo. Age veró, cúm magnifica iſta artium regna, mẽte atque animo complexus eris, ad amplitudinem generis tui oculos converte: patrem regem conſpicies in iſto genere laudis regum omnium longé primum & maximum. E cæteris enim regibus nonnulli poëtas amaverunt, alii philoſophos coluerunt, alii aliarum peritos artium in honore habuerunt. At Franciſcum Valeſium omnium literarum patrem verius, quám mecœnatem poſſumus appellare: á quo Latinæ, Græcæ, Hebraïcæ linguæ interpretes, Philoſophiæ, Mathematicæ, Medicinæ do-

ctores honeſtiſſimis ſtipendiis affecti & ornati ſunt. Quo regnante, imó veró cohortante, tot populorum rectores, tot ſenatores, tot omnium generum homines incredibili literarum amore ſunt incenſi. Tum veró quum á tali patre diſceſſeris, quem potius, quám te unum, te, inquam, unum in tanto ſplendore conſpicies, qui paternis paſſibus ad eandem gloriæ æternitatem graderis, qui ſimilibus honoribus doctos homines & eruditos afficis, quibus anté pater affecerat? imó veró qui ſuſtentes eos, de quibus eruditionis ac doctrinæ ſpes aliqua fore videatur. Cur enim ingraté reticeam unum me (quem noſtrates Ariſtotelei & lingua & manibus ita conſtrinxerant, ut de philoſophia nec dicere, nec ſcribere quicquam, ac vix quidem cogitare poſſem) unum me, inquam per te priſtinæ libertati reſtitutum? juſſumque reſciſſis Ariſtoteleorum judiciis liberé de his artibus (in quibus me exercuiſſem) & cõmentari & ſcribere, & philoſophari? Quo tuo beneficio ſic adhuc uſus ſum, & ſuperis bene faventibus impoſterum ſic uſurus ſum, ut vel Ariſtotelei Petrum Ramum (quem tam vehementer & acerbé afflixerant) per te ſuſtentatum & liberatum eſſe gaudeant. Quamobrem Rhetoricas ſcholas, quoniam hæ quoq; artes, ſicuti reliquæ, regiæ ſunt, ad te & regis literarum omnium amãtiſſimi filium & regem ipſum pari ſapientiæ amore incenſum ſcribere, & in tuo nomine emittere non dubitavi: & eas quidẽ ſcholas, quæ magnorum in republica principum Ciceronis & Bruti de ſumma regendæ reipub. doctrina contentionem

nem explicarent. Etenim cúm in tanta republica, quanta tum Romana res fuit, eloquentia ſapientiæ cõjuncta unicum ad honores ſummos & ſingulare inſtrumentum eſſet, non tantum ſapientia, eloquentiaque præſtantes & ſummi viri Romæ extiterant, ſed ſumma quoque inter ipſos diſſenſio fuit de optimo virtutis hujus genere. Cicero oratoris, id eſt ſapientis illius & eloquentis viri (ſic enim appellabat) ſummã & abſolutam laudem triplicem arbitrabatur eſſe, Docere, delectare, movere: reſq; magnas graviter, & parvas ſummiſſe, & mediocres moderatè dicere: ad eamque rem Philoſophiam totam, leges, hiſtorias, Rhetoricam neceſſarias judicabat, hæc enim Oratoris ad Brutum ſententia eſt. Brutus autem, Callidius, Calvus, Cornificius, ac cæteri qui ſe tum oratores Atticos velut abſolutos appellabãt, de artium cognitione nihil diſſidebant: duas etiã primas (quæ docendi & delectandi ſunt) laudes valde probabant: moveri tamen judicem vehementius & turbari ab oratore nolebant, eoſque quorum altior eſſet oratio, furere & bacchari arbitrabantur. Hoc itaque tertium in Cicerone reprehendebant, ſicut alia quædam, quód in egreſſionibus & repetitionibus eſſet nimius, quód inſolentius aliquando ſe jactaret. Itaque & hi Ciceronem ut redundantem, & doctis atque attentè audientibus moleſtum: & illos Cicero ut jejunos & aridos, & multitudini, cui nata ſit eloquẽtia, contemptos ſæpe cavillatus eſt. At Cicero quamvis de gravitate & vehementia dicendi verius fortaſſe ſecutus eſt, hæſit tamen ſine dubio

ad illas egreſſionum, repetitionū, oſtentationum ſalebras, nec inde explicare ſe atque expedire potuit. Atque hæc Ciceronis & Bruti de cauſſis orādis diſſenſio fuit: de orandarum veró cauſſarum arte potuit etiam Bruti cum Cicerone major eſſe contentio: quód Cicero uno Rhetoricæ artis nomine multas artes varié cōfunderet, quæ præceptis diſtinctæ & facilius diſcerentur, & commodius exercerentur. Quod utrunque tamen vitium & redundantiæ & Rhetoricæ artis confuſius inſtitutæ non tam Ciceroni, quám magiſtris (quos vel audierat, vel legerat) attribuēdum eſſe arbitror. Audivit adoleſcens Menippum Stratonicenſem, Dionyſium Magnetem, Æſchylum Gnydium, Adramiteum Xenoclem, tota Aſia illis temporibus oratorum facilé principes, á quibus Aſiatica redundantia ſic imbutus eſt, ut poſtea ſe (tametſi redundantem, & quaſi, ut ait ipſe de ſe, extra ripas diffluentem ſentiret) nulla tamen ratione reprimere ac coercere potuerit,

—*Adeo á teneris conſueſcere multum eſt*:

& Ariſtotelem (qui Rhetoricas & Dialecticas artes potius é variis authoribus collegit, quám digeſſit aut diſtinxit) præcipué in Rhetoricis præceptis ſequutus eſt, & quidem ſic ut ſummus in republica princeps tantis & publicis & domeſticis negotiis occupatus ex Rhetoricis præceptis, ſicut ex juris civilis legibus, tum quoque, ſed hodie multó magis confuſis, paſſim carperet potius, & undique colligeret forenſem & civilem uſum, quám conſideraret, quám artificioſé, quamque diſtincte iſta docerētur. Quamobrem in Oratore

Cicero-

Ciceronis non solúm de Asiatica redundãtia, sed etiam (quoniam datur iis exercitationibus ea venia) de propriis Rhetoricæ disciplinæ præceptis, deque totius tractationis ratione, constantia, veritate, quærentem Brutum feci, & quidem ita quærentem, ut proprias Ciceronis laudes & virtutes ornaret, vitia non solúm á virtutibus separaret & distingueret, sed in authores transferendo, vel excusaret, vel extenuaret, singularique Ciceronianæ eloquentiæ usu vana scholasticorum rhetorum præcepta refelleret. Nam quæ viginti é discipulis nostris præcipui consilio nostro de numerosis clausulis in viginti Ciceronis præstantissimis orationibus obseruassent, ea Brutinæ inquisitioni etiam attribui. Sed lõgius progredior, dum Brutinæ disputationis argumentum planum facere cupio, quod é re ipsa forsan melius intelligetur. Itaque Brutum ipsum cum Cicerone loquentem iam nunc audiamus.

QUINTA, RAMI.

BENE (Mecœnas optime) Græcorũ illo proverbio præcipitur, Quã quisque norit artem, in hac se exerceat. Itaque tot annos, quot certé non cæterorum more gloriari placeat, sed pro tenuissimo tanti temporis fructu potiús meminisse pudeat, in rhetoricis & dialecticis occupatus, an non meo quodam jure facere videar, si me in meis studiis & artibus vel eodem argumento sæpiús exerceam?

Dialecticæ & Rhetoricæ artes ab Aristotele, Cicerone, Quintiliano confusæ sunt, argumentum unum est, materies una: adversus Aristotelem & Ciceronẽ antea disputavi: quid igitur est causſæ, quamobrem & Quintilianus in eandem quæstionem vocari non possit? Aristotelis logica multis & virtutibus carebat, & vitiis abundabat multæ definitiones, multæ partitiones argumentorum, enuntiationum, syllogismorum, methodorũ defuerant: pro una inventionis arte decem locis generalibus, causſis, effectis, subjectis, adjunctis, oppositis, comparatis, nominibus, partibus, finitionibus, testimoniis comprehensa, infinitæ tenebræ in Categorematis, Categoriis, Interpretatione, Analyticis, Topicis confundebantur, pro una judicii doctrina in enuntiatione, syllogismo, methodo, multa in iisdem libris permiscebantur: usus artis universæ nullus nisi in clamosa de artis ipsius tam vanis præceptis, & sophistica altercatione tradebatur: nos arti virtutes quæ deerant, addidimus, vitia tam varia deteximus, &, vt spero, excidimus: usum verum aperuimus, & rerum omnium communẽ demonstravimus. Ergo dialecticum hoc certamen & artis & usus vehementer acriterque certavimus. Secundum certamen nobis adversus Ciceronẽ fuit. Aristotelicas enim inventionis, dispositionisque, imó veró etiã elocutionis tenebras feré omnes ad rhetoricam transtulerat, & ex duabus artibus unam fecerat, eámq; ita confusam ad litigiosas civilium causſarum formulas traduxerat. Laudes inventionis & dispositionis jam anté docueramus. Lucem quæ elocutioni

tioni & actioni deerat, frater meus Audomarus Talæus definitis & distributis & illustratis rerum generibus adjecit & exposuit: tenebras igitur dũtaxat hic excussimus. Ecce autem Aristotelis & Ciceronis dialecticam & rhetoricam perturbationem Quintilianus sequitur, majorem etiam ex seipso comminiscitur, omnesq; omnium artium, de quibus aliquid legerat, vel audierat, scholas grammaticas, mathematicas, philosophicas, histrionicas, palæstricas, rhetoricas, in suas institutiones amplectitur. Nos rhetoricam artem á cæteris artibus distinguimus, & de liberalibus artibus artem unam, non omnium confusionem artium facimus: quæ sint ejus propria separamus, inertes & inutiles argutias detrahimus, quæ desint indicamus, & Aristotelis tenebras sicut anté in Cicerone, sic nunc easdem propemodũ in Quintiliano persequimur. Sed quoniam res eadem adversus Aristotelem & Ciceronẽ anté tractata est, permulta & breviús & remissiús agimus. Deniq; summa constantisque rationis ope nitimur, vt artium, in quibus adhuc studium operámque locavimus, vera & descriptio & exercitatio teneatur. Quot enim dies, imó quot annos & ætates fallacibus harum disciplinarum commẽtis miseré traduci arbitrámur? utinam maximo juvẽtutis meæ dispendio tantam miseriam expertus non essem. utinam doctores & rhetoricæ & dialecticæ per nos admoniti de veritate rerum & vtilitate potiús aliquando cogitent, quám de iis, ad quæ semel audita, nunquam judicata, simpliciter adhæserint, pertinaciter & obstinaté decertent: fieret pro-

fectó ut ſuccinctiús artes inſtitutæ, faciliús intelligerentur, & veri uſus aperta via, promptiús exercerentur. Veruntamen per Deum immortalem (dicet aliquis) tantumne tibi tribuis, ut vitia aut virtutes in his artibus perſpexiſſe tibi videaris, quæ tantorum virorum aciem effugerint? Ego verō, Mecœnas, (te enim, tuique ſimiles, id eſt candidos, nullaque perverſa opinione ſuffuſos judices appello) ſi Ariſtotelem in philoſophia, Ciceronem & Quintilianum in eloquētia nihil eſſe dicam, non ſatis ſanus eſſe videar: Fuerit igitur Ariſtoteles ingenio variis in rebus ac ſcientiis tam acuto, quám poſſit Ariſtoteleus quiſquam cogitare: ingenii enim abundantiam quandam incredibilem in eo philoſopho eſſe confiteor: Alexādri liberalitate fretus, ex omnium gentium inventis & libris naturalem ſcientiam compilaverit, omnes philoſophos, logicos, phyſicos, ethicos, politicos, ſua logica vexaverit: in judicādo, diſpoſitionis tantum interdum adhibuerit, quantum in ſummo philoſopho requiri poſſit. Ciceroni dialectica iſta & inveniendi, & diſponendi ornamēta paria ſi voles, attribue, nihil detraham: imó verō non ſolúm libenter, ſed etiam veré fortaſſe concedam, omnium hominum qui ſunt, qui fuerunt, quique poſtea futuri ſunt, eloquentiſſimum fuiſſe: & vix tantam vel elocutionis (quāta in ejus libris cernitur) & pronuntiationis (quanta in hiſtoriis de eo memoratur) laudem ſperari poſſe. De Quintiliano, faciā impudenter, ſi ſimile quicquam prædicem. Nam quanvis in eo ſit civilis ad agendas cauſſas facultatis commōſtrata quædam

prudentia, quanvis exempla quædá utiliter collecta, attamẽ elocutionis, quæ ſumma laus ejus eſſe poſſit, infinita eſt á Cicerone differentia. Nec enim in ſingulis verbis eadem eſt puritas, vel proprietas, vel elegantia. In conjunctis tanta eſt differentia, ut Cicero aureo quidẽ ſeculo, Quintilianus autem ferreo locutus eſſe videatur. Sed tamen ut temporibus illis diſerti homines fuerũt, ita ſané numeretur in diſertis, qualis tamen fortaſſe nec eſſe poſſim, ſi velim, imó veró ne velim quidem, ſi poſſim: tales inquam, Ariſtoteles, Cicero, Quintilianus, tantique fuerint, an tamen qui una aut pluribus virtutibus excelluerint, protinus eos omnibus excellere eſt neceſſe? protinus omnibus in rebus neceſſe eſt non homines, ſed deos exiſtimare? De maximis aliorum generum virtutibus, ubi vel Apollines, vel Joues per me licet fuerint, hoc tempore nil quæritur: de dialecticis & rhetoricis præceptionibus nũc agitur, quas etiam feré omnes ab illis magna ſui nominis gloria vel repertas primúm, vel certé collectas ex aliis concedo: quin adjungo, ſi in hiſce præceptionibus & accuratè judicandis, & ordine collocandis tot menſes adhibuiſſent, quot annos ipſe conſumpſi, equidem non dubito quin longé veriores & diſtinctiores artes nobis relicturi fuerint. At res ipſa demonſtrat ab his doctoribus multa quidem cumulata eſſe, ſed non ſatis æſtimata, hic enuntiationis aut ſyllogiſmi judicium requiro: non ſatis apto ordine diſpoſita, hic methodum deſidero. Confirmo hæc eadem noſtris inſtitutionibus & veré judicata, & rectè eſſe col-

locata. Quid ita? quia ad tractandum dialecticum & rhetoricum, tum rationis, tum orationis usum, usum inquã, vel eũ qui in libris Aristotelis, Ciceronis, Quintiliani perspicitur, dialecticæ & rhetoricæ artes Aristotelis, Ciceronis, Quintiliani fallaces & confusæ sunt: nostræ veraces & distinctæ, sicut & ars & exercitatio penitus explorata convincit. Hoc primum, hoc medium, hoc summum contentionis meæ argumentum est. Non abutor testimoniis hominũ, qui mentiri possunt, sed cõstantis & naturalis usus, quẽ tot annos maximo quotidianæ exercitationis labore persequor, usus inquam veritate & rerum experientia confirmo. Quamobrem, Mecœnas, hac pulcherrima rectissimæ voluntatis conscientia fretus, nũquam quid sentiam de his artibus, quas profitebor, scribere erubescam, ad te præsertim non tam Mecœnatem meum, quám communem bonarum literarum fautorem, Galliæ nostræ divinitus oblatum. Sed in vestibulo nimiũ diu moramur, ad rhetoricas distinctiones accedamus.

SEXTA, RAMI.

EXPLICATO Bruto, MECOENAS, studia Ciceronis, ejusque cum suis Atticis contẽtiones, dierum aliquot declamatione recolligere statueram, ut tanti oratoris imitatio discipulis nostris facilior esset: sed ingressus in cursum, memoria locos ex aliis alios suppeditante, totam Ciceronis vitam, perpetua feré ipsius oratione, in

hanc

hanc commẽtationem neſcio quo modo incluſi: ut commentarios Ciceronis, tanquam Cæſaris aſpicerem: vel potius (ut verum dicam) centones ex variis diverſorum locorum veluti panniculis contextos, & quidem valdé inſolentis artificii genere. Sed tamen cúm tantus princeps, tantiſq; Reipub. negotiis tam vehemẽter occupatus, etiá bellæ declamationis hujus auditor eſſe volueris, ut mihi pené orator viderer, quoniã auditorem tantum retinerem: quid miraris, id me abſenti ſcribere auſum eſſe, quod agere corám auſus ſim? Pompeius ex Aſia victor rediens, Rhodi & Athenis publicos artium liberalium profeſſores audivit, eaque res illi, honori ſempiterno fuit: Tu literarum doctrinarumque patronus in Gallia ſingularis, Pompeius eſſe voluiſti, dum Regios profeſſores auſcultaſti, dum mathematici examinis judex, attentione ſumma Io. Penam de mathematicis dogmatis, & diſſerentem & reſpondẽtem probaſti, virtutiſque ergô, Regium profeſſorem nominaſti: quo judicio dici non poteſt, quám multorum ſtudia ad mathematicas artes incitaveris, dum tam claré demonſtras, Regia hæc præmia bene meritis eſſe propoſita. Jam veró noſtræ partes ſunt, ut quod publici Rhodiorum & Athenienſium doctores, Pompeio retulerint, id Regii Pariſiẽſis Academiæ profeſſores, CAROLO LOTHARINGO referamus, demuſque pro ſua quiſque parte operam, ut facti exemplique tam præclari memoria meritam laudem conſequatur. Quare Ciceronianum opificium, rude quidem certé, ut anté profeſſus ſum, & valdé impolitum,

ſed tamen voluntatis nec ingratæ, nec immemoris monimentum feres: quandoquidem quodvis operæ noſtræ pretium tibi debitum eſt, ſed hoc imprimis auditione illa, tanquam licitatione ſumma tibi vindicatum. Vale Lutetiæ Pariſiorum, é Præleo tuo, 8. Idib. Decemb. 1556.

PETRI RAMI DIALECTICÆ PRÆFATIONES.

PRIMA.

VTINAM poſſis, ô doctrinarum, virtutumque omnium parēs Academia, tam multos annos beatiſſima florere, quam multis ſingularis gloria tua digna eſt, & ego precioſiſſimæ laudis hujus honori tam liberaliter inſeruire, quam libenter, & ſtudioſé velim: fieret profectó, ut omnes annos omnis generis nobilitate floreres, & in liberaliſſimam ſtudiorū meorum parentem, ſi non officioſiſſimus, certé non negligentiſſimus omnium, nec ingratiſſimus judicaret. Atque jam optati, votique mei partem non dubia teſtificatione polliceri tibi poſſum: partem nulla inertia deterritus, nulloque animi lāguore debilitatus deſperare non debeo. Etenim quo certioris authoritatis argumēto gratiſſimam ætatum omniū vitam augurari tibi poſſum, quám quód omnium ſcientiarum laudes, omniumque ingeniorum virtutes una in familia complexa es?

An

An eſt quiſquã, qui hoc ignoret, cúm hanc celſiſſimam, nobiliſſimamque virtutis, & ſapientiæ ſedem diligenter aſpexerit : non videat in tanta rerum optimarum ubertate alios divino quodam Chriſtianæ pietatis, & religionis amore ad ſacroſanctum Chriſti Euangelium profitendum, prædicandumque rapi? alios ad hominum vitæ, ſalutiſque defenſionem procreatos ad medicinæ ſtudium duci? alios ſanctiſſima, pulcherrimaq; potentium cum humilibus, mediocrium cum utriſq; concordia commotos legum, juriſque maximas moleſtias perpeti? alios mirabilium rerum præſtantia, conſtantiaque delectatos, ſyderum motus, cœlique curſus rimari? alios ampliſſimæ, & ad communem omnium utilitatem comparatæ profeſſionis delectatione captos juventutis inſtitutionẽ laborioſiſſimé,& vigilatiſſimé tueri? Hæ tot, ac tantæ laudes alumnæ tuæ ſunt: à quibus exiguũ humanæ vitæ curriculum immenſis æternitatis ſpaciis propagatur. hinc excellentium virtutes animorum, vel ab ipſis alieniſſimæ doctrinis, immortalem gloriam,& ſempiternæ vitæ fructum ſunt aſſecutæ. Itaque non & alienis meritis tantum veræ gratiæ literæ tribuent, & gratiſſimam, chariſſimamque matrem deſpicient: imó veró amabunt, colent, laudabunt, & ſe fortunatiſſimas judicabunt, ſi quantum immortalitatis habeant, id totum tibi, tuæ famæ, tuo nomini largiantur. ac vehementer, puto, verebuntur, ut tantæ gloriæ, tantæque dignitatis amplitudo poſſit à doctrinis omnibus immortalitate compenſari. ſtatũ igitur integerrimum, pulcherrimumq;

perpetuó retinebis, & æqualé temporibus vitam commendatione hominum, ac celebratione clariſſimam, florentiſſimamque deges. Quapropter hac voti parte perſoluta, ad reliquam partem nũcupationis aggrediar: ad quam perſolvẽdam animi tibi devovẽdi materiam graviſſimam quidem mihi, nec tamen á ſplendore tuo prorſus alienam, ſuſcepi. dialecticæ virtutis conſtituẽdæ laborem dico: in quo putavi primum quærendum, quæ vis eſſet ejus rei (quam ratione, & artificio inſtituram optarem) quæ, & quot virtutes eſſent, & ad quam hominum utilitatem comparatæ. Itaque cúm univerſam quãdam, & hominum propriam virtutem, rationem, eſſe judicarem, qua deos immortales, & ſeipſos, cæteraque omnia cognoviſſent: qua ſingulares ſibi dotes ingenitas ad orandum, numerandum, metiendum, canendum, & reliquas artium laudes perſequẽdum excitaſſent: rationis doctrinam omnium rerum cognoſcendarum, & ordine conſtituendarum artificem judicavi. quo poſito, quid melius, propiúſve fuit, quám naturam conſulere? explicationiſq; hujus primam conformationem ab ea petere? feci, & in præcepta monitiones naturæ contuli: inventionis, & judicii vias diſtinxi: inventionis paucos fontes ad naturæ imitationem propoſui: in judicio tres gradus ſeparavi: primi partem in Ariſtoteleis ſcholis turbatiſſimam, in ordinem redegi: partem ex aliis tranſtuli. ſecundum á Platone diligentiſſimé traditum adſcripſi: tertium in ejuſdem republica pauló ſecus indicatum ad inſtitutum noſtrum plenius explicare contendi: exercitationem

tationem totius inſtitutionis latioribus ſpatiis definivi: quód hæc pars (ut maximé omnium eſſet tractanda in ſtudiis, atque exigenda) ita neglecta, deſertaque ſemper fuit. Denique dialecticæ imaginẽ breviter & ſuccinctè, generũ, formarumq; perpetuis quaſi lineamentis adumbrare laboravi: laudes tamen omnes complecti generatim ſtudui: ut aliquando ſplendenti igne illo (quem cœleſtem vocat Plato) animæ noſtræ optima portio ex eodem igne conſtans, recreata, naturaliq; luci reſtituta, & cæterarum rerum, & ſui imprimis longé gratiſſima cognitione perfruatur. Hæc altera voti pars eſt, hæc promiſſi tibi animi eſt perſolutio: vides quid velit, quid conetur, quid appetat: maximam ſapientiæ tuæ gloriam admiratur: huic primos Rami abs te ſati, culti, educati, fructus devovet: hanc oblatis induſtriæ primitiis veneratur. O Lutetiæ Pariſiorum decus, Galliarum ſolatium, ſedem uniuerſo hominum generi conceſſam, templum religionis, aram legum, medicinæ portum, arcem ingenuarum diſciplinarum, glorioſiſſimum bonarum, laudandarumq; rerum omniũ domicilium: huc Indorũ gymnoſophiſtæ, magi Perſarum, vates Chaldæorum, Græcorum ſapientes, ſacerdotes Ægyptiorum, omniaque omnium terrarum miracula, huc tres orbis dominæ, principeſque linguæ convenerũt, & commune ſibi hoſpitium domeſtico uſu, & familiari conſuetudine fecerunt. Quamobrem (ut noviſſima conjungam primis, & deſiderii mei cõcluſionem in ſummam conferam) Utinam ô ſingulare mundi totius ornamẽtum, tandiu floreas,

quandiu dignitas tua meruit, & tam gratus sit tibi meus labor, quàm cupidus erit tui: nulla ætatis debilitate consenesceres, & in aliquo tuorum loco numerarer: at laudibus tuis nulla posteritas finem est allatura. & industriæ meæ (si nullã virtutem) spem saltem non ingratam tibi fore confido: perpetua igitur fœlicitate fruêre, & animi tibi dediti jucunda me conscientia, consolabor. Atque ut jam animi erga te mei signa appareant, ad instituti muneris expositionem, disputationemque veniam.

SECUNDA.

NON ignoras, Mecœnas, quemadmodum quondam tempestate vexati nautæ, deo munus aliquod offerebant, cujus ope sibi viderentur ad portum perducti: sic enim poëta,

Forté sacer Fauno foliis oleaster amaris
Hîc steterat, nautis olim venerabile lignum,
Servati ex undis ubi figere dona solebant
Laurenti divo, & votas suspendere vestes.

Quare si tua singulari benevolentia, Aristotelici judicii fluctibus erepti, tabulam aliquam nostri naufragii tibi offerimus, verendum, credo, mihi non erit, ne magis de præteritis malis conqueri, quàm debitam tibi & gratiam, & gratiæ materiam testificari videar: præsertim cúm mihi certum sit, non modó non pugnando, sed omnia quæ in ista causa aduersariis meis libita fuerint, patienter ferendo, novam victoriam reportare, neque solúm ad humanissimũ Thrasibuli exemplum, ἀμνησίαν,

atque

atque injuriarum oblivionē jurare, verúm omnes æmulos ad ingenii atque induſtriæ contentionem ea lege provocare, ut ſi me, quod facillimum eſt, honeſtis ſtudiis & vigiliis vicerint, Deo opt. max. gratias habeam, quód vel adverſarios mihi deeſſe noluerit, quos honeſté imitari poſſem. Fuerimus igitur omnibus tempeſtatis ſæuiſſimæ procellis ac ventis Ariſtotelico judicio jactati, liceat tamen ἀμνησίαν uſurpare, liceat hanc in partem etiam errare, ut exiſtimemus excitandi & confirmandi ingenii gratia in tantum rerum diſcrimen, quaſi aliquod certamen, nos incidiſſe: cogitemuſque potius, non ſolúm de ſingulari clementia tua, qua tam atroci turbine liberati, reſciſſaque Ariſtotelici judicii ſententia, priſtinæ libertati reſtituti ſumus, ſed multó magis de liberalitate ſumma, qua cum libertate chariſſimam huic laborioſæ vitæ, & optatiſſimam regiæ profeſſionis dignitatem conſecuti ſumus. Atque, ut beneficii tui lætitia & gratulatio ex intimo penitus animo promatur, non ſolúm carmen á lyrico poëta, ſed lyram ipſam jam nunc aſſumamus:

Mecœnas, atavis edite regibus,
O & præſidium & dulce decus meum!

Perge iſta tua cœleſti & divina virtute frui, afflictos excitare, miſeros conſolari, oppreſſos liberare periculis, ſupplicibus non ſolúm ſalutarem, ſed etiam glorioſam dexterā porrigere: Charum mihi crede, eſſe principem, bene de civibus ſuis mereri, diligi, coli, glorioſum eſt: qui veró metui quám amari, quique potentiam, quám æquitatem ſuam prædicari malunt, hi verum iter gloriæ

prorſus ignorant. Multæ ſunt & eximiæ laudes tuæ, generis ampliſſimi, & ſummorum Syriæ & Siciliæ regum ſtemmatis claritas, naturæ atq; ingenii dona prorſus admiranda, plurimæ literæ & divinæ & humanæ magnis ſtudiis acquiſitæ, tanta in hac ætate ſapientia, quantam ad res maximas perſpiciẽdum, ſeni ſatis ſit optare: ſingulares honores additi, ut & principatum inter Franciæ Pares, & ſummum in maximi adminiſtratione regni locum obtineres: quinetiam ampliſſimo de tua virtute Pontificis maximi judicio in Cardinalium ordinem cooptatus eſſes. Quæ laudes tametſi maximæ ſunt, hominum tamen celebratione & ſermone continentur: verúm manſuetudinis, beneficentiæ, charitatis gradibus (dicam veró liberé, quod veré poſſum) in cœlum ipſum mihi vidêris aſcendere. Quare virtutem tam præſtantem princeps omnium humaniſſime principum, conſerva, ac retine, eíque dicatas, ut gratiæ materiam cum gratia quoque tibi perſolvam, Inſtitutiones dialecticas accipe. In quibus ſecundo regiæ profeſſionis anno voluimus Logicam (cúm primo ejus uſum in conſularibus Ciceronis orationibus octo demõſtraſſem) multis ab Ariſtotele & variis quidẽ voluminibus fuſiſſimé tractatã, pauló plenius, atq; uti muneris nobis impoſiti fides officiumq; poſtulabat, accuratius quã antea ſubducere, ſubductamque conformare, quemadmodum ſubducendam & conformandam Ariſtoteles ipſe ſuis legibus atque inſtitutis admonuit. Ariſtoteles enim habuit aliquot millia hominũ in totius Aſiæ Græciæq; tractu ab Alexandro parêre juſſa, quos percon-

percontando, volumina de animalibus condidit, ait Plinius, ut illic inventio quidem sit aliena, descriptio autem & compositio sit Aristotelis propria: Imó veró πρῶτος ὧν ἴσμεν, συναγαγὼν βιβλία, καὶ διδάξας τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ βασιλέας βιβλιοθήκης σύνταξιν· primus eorum (quos scimus) libros congregavit, & Ægypti reges bibliothecæ ordinem docuit, ait Strabo: philosophiamque scilicet apud veteres errantem & vagantem eo studio domum reducere, & omnes ejus partes suis quamque locis ac sedibus collocare studuit. Itaque Aristotelis philosophia, ingens quædam est veterum philosophorum bibliotheca, nobili sané & laudabili studio collecta, sed interdū magis diligēter collecta, quám summis Aristotelis ipsius & catholicis principiis, quamque usui & artis fini congruenter exposita atque æstimata. In hac veró bibliotheca, libri centum & triginta quondam fuerunt de Logica ab Aristotele perscripti, ut alibi plenius exposui: sex & triginta feré adhuc integri seruantur. Organum logicum libris septemdecim vulgó dividitur, addito prętera Porphyrii libello: in quibus putatur Logica universa cōtineri: Prima philosophia libris quatuordecim distinguitur: in quibus, pauculis exceptis, Logica perpetua proponitur: Rhetorici tres libri sunt, & unus ad Alexandrum, in quibus inventio, dispositioque rhetorica, quæ dicitur, siquid veræ artis habeat, inventio est & dispositio logica: Multi prætera in reliqua Aristotelis philosophia logici loci repetuntur: in quibus reliquis libris & locis certissima Aristotelis principia de materia artis, de for-

ma artis leguntur: quibus imitandis & obſervá-dis logicam facultatem, non ſolúm breviter & aperté, ſed, quod rei caput eſt, ad humanitatis uſum accommodaté liceat inſtituere. Quibus igitur notis Ariſtoteles & ſignis ſcientiæ materiam, ac ſcientificas propoſitiones definivit, ut ex omni tot librorum locorumque copia talem materiam ſeligamus? Ariſtoteles voluit omne ſcientificum propoſitum, eſſe κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθόλου τρόπον. de omni, per ſe, univerſaliter primúm: ut ſcientifica propoſitio, rei propoſitæ cauſſas, effecta, ſubjecta, adjuncta tantúm, & quidem neceſſaria, homogenea, propria proponeret, accidentia inſuper nulla traderet, ſicuti plenius ſuo tempore dicetur: tribus, inquam, ſymbolis illis omnes ſcientiarum artiumque bene traditarum propoſitiones inſignitas Ariſtoteles eſſe voluit: Quicquid igitur in tot libris ac locis illi artificioſæ materiæ definitioni conſentaneum fuit, undique ſelegimus & conduximus: ſiquid autem non omnino verum, neceſſariumque fuit, quæ non ita multa ſunt, omiſimus, quia κατὰ παντὸς id in Logica non eſſet. Heterogenea veró & aliena multa ſunt, quædam manifeſtius: ut ſunt nonnulla grammatica de nomine, verbo, oratione: Rhetorica de elocutione & pronuntiatione: Mathematica de numero, linea, ſuperficie, corpore: Phyſica de motu: Ethica de virtutibus, vitiis, affectionibuſque animi: Theologica de primo entiũ authore: quæ omiſimus, vel potius artium ſuarum profeſſionibus reliquimus, quia καθ' αὑτὸ id in Logica non eſſet: Alia ſunt heterogenea, ſed obſcurius: ut

ſunt

sunt in Organo præsertim, communionū & differentiarum enumerationes, opinionum falsarum refutationes, modificatorum enuntiatorum conversionum, syllogisticarum & demonstrationum & reductionum & permistionum & potestatum subtilitates: itemque argutandi tantum gratia cōfictæ quæstiones, quæ certé Organi magna pars est: hæc item omisimus, quia καθ' αὐτὰ & οὐσιωδῆ, per se & essentialia in Logica non essent: Si qua tamen historia fuit, si qua etiam controversia, quæ tametsi non admodum juvare, at ornare certé & illustrare doctrinam posset, eam breviter & perspicué proposuimus, τὰ καθ' αὐτὰ hîc minus severé tenuimus. Si quid improprié dictum fuit, ut καθόλου σχῆμα id esset, proprié dicendum fuit: at ejusmodi quamplurima fuerunt: nam generalis argumētorum doctrina sæpe & varié, atque adeó improprié repetita est per speciales quæstiones, tum apodicticam de condendis scientiis & artibus, tum dialecticam de accidente, genere, proprio, definitione: tum politicā de judicio, demōstratione, consilio: tum physicam de principiis rerū naturaliū: illic enim multa de caussis, partitione, finitione, & quidē sæpius dicuntur: tum theologicā de prima rerū caussa: huc siquidē omnia feré argumentorum præcepta collata sunt: Generalis item doctrina propositionis, syllogismi, methodi, variis locis improprié repetita generalis enim doctrina, quęstionis specialis propria non est, cúm sit aliarū præterea cōmunis. Quicquid igitur sic improprié repetitū fuit, proprié diximus, semelq; tantum ac generaliter, ut καθόλου σχῆμα esset, ex-

posuimus: Si quod Logicæ præceptum necessarium, homogeneum, proprium, nominatim in Aristotelis philosophia expressum non fuit (quæ nonnulla sunt) ex Aristotelis tamen philosophia feré deduximus. Aristoteles suum sibi genus orationis habet, & in scholis jampridem usitatum, & certé perobscurum: ejus igitur orationē retinui, obscuritatem tamen explicavi: quin vocabula, quibus in una re uteretur, curiosé variis é locis in unum contuli, ambigua quæ essent, distinxi, in iisque latiné reddendis & explicandis, quó nostris scholis familiarior essem, interdum magis scholasticæ consuetudini, quàm linguæ proprietati concessi, locos omnes unde sententiæ deducuntur, & libris & capitibus notavi, eorumque quamplurimos græcé proposui, ut Logicam, quam profiterer, Aristoteleam esse fidelius ac certius ostenderem, & ad primos græcæ philosophiæ fontes hoc aureo præsertim seculo charissimos & optatissimos, discendi cupidos adolescentes invitarem: Quinetiam cúm Aristoteles ad perspicué docendum, exemplis uti jubeat, οἷα Ὅμηρος, μὴ οἷα Χοιρίλος, qualia Homerus, non qualia Chœrilus habeat nullum feré præceptum sine popularibus & electis, id est Homericis, non Chœrileis poëtarum, oratorum, philosophorum exemplis institui: idq; eó propensius & enixius etiam feci, quód existimarem iis exemplis verum artis usum imprimis explicari & approbari. Quamobrem ex Aristotelis copiis, aut certé cōsiliis totam logicæ artis materiam ita subduxi. Quid de forma? qualem in componenda scientia & arte formam Aristoteles

præscri-

præscribit? Nempe, ut á natura prioribus & notioribus progrediatur, sicuti suo loco planius intelligetur. Totam igitur illam selectam materiam ita collocare studui, ut quod esset γενικώτατον, generalissimum & natura notissimum, id primo loco esset: quæ ὑπάλληλα, subalterna, id est notione intermedia, medio: quæ εἰδικώτατα, specialissima & naturâ postrema, infimo. Itaque primis definitionibus & distributionibus expositis, totam de mediorum & argumentorũ inventione doctrinam, totis κατηγορουμένων, κατηγοριῶν, Τοπικῶν libris, aliquot etiam ἀναλυτικῶν locis diffusam, præposui, quia naturá prior esset: totã de propositionis, argumentationis, methodi dispositione doctrinã, ἑρμηνείας, πρότερον καὶ ὕστερον ἀναλυτικῶν libris feré comprehensam, postposui, quia naturâ posterior esset: invẽtionis autem doctrinam, dispositionis doctrinæ (vt in ἀναλυτικῶν aliquot locis & totis Topicis factum est) non postposui, quia totum id esset ὕστερον πρότερον, ac logicæ Aristotelis methodo prorsus aversum atque contrarium. Exercitationis rationem & in examinis analysi, quæ toto feré Organo dispersa est, sed duobus Elẽchis præcipué proposita: & in æmulationis genesi, de qua nominatim in Aristotelis philosophia non multum est, postremam locaui, quia naturâ postremũ id esset. Artis igitur collocationem ac formam, quam nobis Aristoteles imperavit, hactenus tenui, in eoq; summum studium posui, quód verũ Logicæ fructum regulis ejus ordine collocatis clarissimum & facillimum fore judicarem: Denique Aristotelea de materia artis, de forma artis principia in

omnibus Logicæ partibus, & ſingulis ſeparatim ſubducendis: & univerſis conjunctim diſponendis unicé mihi propoſui: & quam diligentiam Ariſtoteles in veterum philoſophia retexenda & ordinanda, Alexandri regis deſiderio adhibuit, eam ipſam in eadem Ariſtotelis philoſophia clarius explicanda & componenda, Henrici regis mandato, atque auſpicio imitari, & quod ille ſuo præſtitit, id meo etiam regi præſtare cupio: Atq; ita tamen cupio, ut quoties me operis hujus fabrum eſſe meminero, toties Ariſtotelem architectum authoritate & conſilio mihi fuiſſe meminero, qui materiam, quæ adhiberi potuerit, & formam, quæ ſervari debuerit, adhibendam ſervandamque præſcripſerit. Atque (quoniam nonnullis in locis tametſi cura diligentiaq; cæteris omnibus fortaſſe ſatisfacio, mihi tamen ipſe minimé ſatisfacio, fabríque ſtudium potius, quám architecti conſilium præſcriptumque exprimo) à philoſophis omnibus non deteſtãdæ á nobis & avertendæ ignavæ neſcio cujus & inertis invidiæ, ſed acris & ſolertis æmulationis cõtra nos excitandæ cauſſâ auxilium deprecor & obſecro: ut in fabricam noſtram ſtudioſiſſimé, imó ſeveriſſimé inquirant & animadvertant: quid á nobis contra ſingulares illas longeque veriſſimas Ariſtotelis leges de materia ſcientiæ, de forma ſcientiæ ſit offenſum: quid é triginta ſeptem libris & tam multis præterea (quos dixi) locis, Logicæ neceſſarium, homogeneum, proprium ſit omiſſum: quid non apté, nec ad uſum congrué diſpoſitum: idque ubi deprehenderint, palám ac luce reprehendant

hendant & corrigant, mihi nihil ignoſcant, philoſophiæ tantúm conſulant, nec eam morbis occultis aut excuſatis ægram potius, quám detectis & curatis ſanam eſſe ſinant. Illa ſiquidem, illa eſt Ariſtotelis veriſſima philoſophia, non Socrati, non Platoni, quanvis amicis, quanvis magiſtris, imó ne ſibi quidem ipſi veritatis gratia parcere: Δόξειε δ' ἴσως βέλτιον εἶναι καὶ δεῖν ὅπως σωτηρία τῆς ἀληθείας, ἂν καὶ οἰκεῖα ἀναιρεῖν, ἀλλως τε καὶ φιλοσόφους ὄντας. Videatur autem fortaſſe melius eſſe, atque præſtantius, pro ſalute veritatis, etiam ſua, præſertim philoſophos, refellere: ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν, ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν· nam quanvis ambo ſint amici, ſanctum eſt tamen anteponere veritatem. Hoc igitur eximio philoſophici liberíque candoris officio, cúm vera materies artis, veraque forma liberé probabitur, cúm falſa liberé rejicietur (quod tot annorũ millia, tot hominum huic arti deditorum ingenia ac ſtudia nondum viderunt) vitiis omnibus detractis egregiam quandã & omnibus laudibus cumulatã doctrinã, ad humanæ prudétiæ fructũ, ad naturalem & germanũ (quod totũ eſt) uſum accõmodatã videbimus: & logicę facultatis compendiũ, tam diuturnis votis ab academia Pariſienſi flagitatum, ad Ariſtotelis mentem, atque adeó ſalutem & honorem conſtitutũ habebimus. His igitur Inſtitutionibus, veræ Logicæ πρότασιν μὲν, ἀνταπόδοσιν δὲ contrariæ pleniús aliás & uberius exequemur. Quamobrem Mecœnas, ut ſuſpenſi tibi pro naufragio donarii vota concludam,

—me tabula ſacer
Votiva paries indicet humida

Suſpendiſſe potenti
Veſtimenta maris deo.

TERTIA.

QUINTUM ab hinc ac viceſimum annum, noſtra de Dialecticis inſtituta in tuo nomine primúm apparuerũt, eoque tempore omni, non ſolúm logicis informandæ doctrinæ principiis ac legibus, ſed artium liberalium reliquarum decretis præcipué tractandis & componendis, variiſque omnium generum authoribus, poëtis, hiſtoricis, oratoribus, philoſophis explicandis obſervata ſunt & explorata: ut mihi bona animi conſcientia bene conſcius ſim, nullum probandæ artis & illuſtrandæ genus in iſta commentatione inexpertum nobis & intentatum præteriiſſe: Tametſi contrá turbæ graves objectæ ſint, quæ quóvis potiús agitatam mentem impellerẽt. Theatra ſcenicis probris extructa, tribunalia judicum pœnis minacia, literatorum hominum, & in principum aulis gratioſorum ſtudia noſtris conatibus objecta ſunt. Hæc tamen omnia ſtimularunt atque incenderunt, nedum quidquam retardarunt. Interea veró tu quidem certé nos amãter foviſti ac defendiſti: regium deniq; profeſſorem Henrico Regi nominaſti: tibi autem viciſſimá nobis, amoris & nominationis fructus, variis monimentorum pignoribus caſté & integré perſoluti ſunt: præmium fortunæ cujuſquam abs te nullum unquam neque expetivi, neque vel oblatum

tum accepi : majus, & tuæ dignitati congruentius præmium abs te vigiliæ noſtræ nomini tuo dicatæ flagitabant, ut prohibitis authoritate tua interpellationum calumniis, promptiús nobis liceret jure ac legibus juſtum ac legitimum ſtatum laudandis artibus ac diſciplinis inſtituere. Conſecuta veró ſunt tempora ſalutaribus conſiliis vehementer inimica, ut non tam de philoſophia, quám de philoſophi vita laborandum videretur : Ideoque tum volui Bononiam (quó ſecundis á Senatu literis accerſebar) emigrare, neque licuit. His tamen difficultatibus ardor animi ſemel incenſi, nihilo magis quám ſuperioribus illis remiſſus eſt : ſed alacritas acrior effecta, cúm intelligerem in Apolline & Muſis omnia deinceps auxilia honeſtis laboribus & ſtudiis eſſe collocãda. Itaque vel in medio fœdiſſimi belli furore, philoſophicæ meditationes nobis aſſiduæ fuerũt. Ecce autem repentè inſperatam reſtitutæ pacis lucem admirati, tam avidé ad explendam diuturnæ cupiditatis ſitim recurrimus, ut philoſophandi labor nunquam nobis jucundior acciderit. In his vigiliis præter cæteras artes, Dialectica accuratiſſimé repetita & recognita eſt : non ut quicquam de veteris formæ lineamentis immutaret, ſed certé ut toto corporis habitu elegantior eſſet atque aptior. Verúm ipſa laudes ſuas audiendi cupidis abundé recitabit. Quapropter cúm tibi adoleſcẽtior nuncupata ſit, jam ætatæ maturior, nuncupationis non gratiam, ſed conſtantiam ſecuta, ſi placet, audiatur.

QUARTA.

ARCHIMEDES (Lector) ſphæræ & cylindri rationem (in cujus inventione vehementius elaboraſſet) ſepulchro ſuo incidi voluit. Et quidem ſi me de vigiliis ſtudiiſque meis interroges, ſepulchri mei columnam é logicæ artis inſtitutione deſiderem. De cauſſa voti reſpondebunt, primó ad artis accurationem, libri de inventione argumentorum & eorum diſpoſitione ad judicandum non ſolum ab Ariſtotele organici, Rhetorici, Phyſici, ſed á Cicerone & Quintiliano tam multi oratorii: in quibus univerſis in duorum libellorum pugnum ratione viaque contrahendis omni ſtudio diligentiaque contendimus, ne qua Logicæ particula cujuſquam vel umbra illic confuſſa eſſet, cujus veritas non hic expreſſa teneretur. Atque hæc prima problematis Archimedei conſcientia erit. Reſpondebunt deinde ad Logicæ uſum, elegantiam, dignitatem partibus omnibus explicandum excitatæ Logicis meditationibus, cum populares poëtarum, oratorum, hiſtoricorum laudes, tum liberales & ingenuæ artes novi corporis nova ſpecie ſui ſtudioſis adoleſcentiores, præclariſque dotibus ornatiores & locupletiores factę: ac ne qua agreſtium procorum protervia timeretur, ſuarum quæque ſcholarum tanquam liberali cuſtodia ſeptæ & comitatæ. Hæc ſecunda problematis Archimedei conſcientia erit. Teſtes igitur iſti Logicam & veritatem & utilitatem tot dierum noctiumque vigiliis exquiſitam teſtati de voti noſtri cauſſa reſponde-

ſpondebunt: Teque (Lector) ut ſpero, commonefacient, inſanam neſcio quam in pleriſque omnibus Europæ academiis altercandi de ſuis præceptis ſophiſticam, Logicæ & veritatis & utilitatis longe diſſimilem eſſe: teque ad veriora & utiliora præſtantiſſimæ facultatis ſtudia præmiaque inflammabunt. Ecquid veró interea turbæ tam graves objectæ, theatra ſcenicis probris extructa, tribunalia, judicum pœnis minacia, damnatio tandem fœdis ignorantiæ calumniæque notis infamis, é toto Philoſophiæ regno manibus & lingua velut amputatis inaudita præſcriptio, an exiguam voti noſtri cauſſam perhibebunt? Quid conſecuta per Henricum Regem á judicii tam dementis invidia liberatio, & in ſolidam ſanctioris judicii laudem regia profeſſio? Quid poſtea (cum logicus hic ardor in religionis cauſſam invaſiſſet) longe graviſſima offenſio, vitæ ſalutiſque propterea tribus jam bellis civilibus jactatio nullamne voti noſtri cauſſam indicabunt? imó veró etiam admonebunt, ut Deo Optimo & Maximo gratias habeamus, quod ſtudiorum noſtrorum curſum hoc tanquam circo agitari & exerceri, neque tamen ulla metarum converſione frangi voluerit. Ideoque obteſtor ut logicum lumen in bonis & veri percipiẽdi ſtudioſis ingeniis accẽdat: cumq; ad ingenuas artes exornandum tum ad cœleſtia ſacræ doctrinæ myſteria illuſtrandum magis ac magis augeat: perficiatque ut iſto in nominis ſui gloriam epigrammate logici epitaphii tabula cõcludatur.

QUINTA.

PERVENERAT libellus hic (præsules optimi) prope in manus hominum, cúm repente ad me recurrit, oravítque, ne se sine patrono in tam lubricum, tamque præceps hominum de se futurum judicium dimitterem: duo nunc oriri Galliæ nostræ lúmina, Carolum Borbonium, Carolumque Lotharingum fraterno quodam amore non minus, quám sanguine, naturaque conjunctos admonuit: quorum auxilio facilé posset adversarii quenvis impetum sustinere: Itaque cúm vestra singularis humanitas utriusque modestissimo sermone mihi perspecta, cognitaque, spem timido cliénti faceret: eamque Joannis Hannonii vobis eximia & animi probitate, & sacrarū literarum cognitione chariſſimi de vestræ bonitatis laudibus prædicatio confirmaret: permisi, ut patrocinium vestræ nobilitatis, virtutisque verecundus, & supplex oraret, obtestareturque, ut in quorum nomine liberior apparuisset, in eorum authoritate tutior, & constātior acquiesceret, quamobrē supplicem vestrum in fidem, clientelamque suscipite, & sartum tectumque (ut aiunt) ab omni detrimento, periculoque conservate. Valete.

SEXTA,

SEXTA.



IALECTICA noſtra, Mecœnas, tibi gratias habuit, quód tua benignitate atque clementia priſtinæ libertati reddita atq; reſtituta eſſet. Hoc illi beneficiū maximum fuit, quód cúm ſic oppreſſa fuiſſet, ut vel omnino interire, vel ſine authoris ſui nomine ingraté vivere cogeretur, per te non ſolúm ſibi jucunditatem vitæ, ſed parenti quoque ſuo debitam induſtriæ laudem recuperaverit. Quales veró gratias Ariſtotelicæ Animadverſiones, non dico verbis agere, ſed cogitatione complecti poterunt? Dialectica nihil offenderat, quia tamen lucem demonſtrabat, cui contrarias tenebras expelli tam moleſté homines quidam ferebant, cōmuni vindicta eſt afflicta. Verum Animadverſiones, cúm videātur Ariſtoteleæ oppreſſionis (quā tibi frater meus Audomarus Talæus in Academia modicé & modeſté deſcripſit) motus illos excitaſſe: quantó juſtiore periculi metu ſunt affectæ, tantó ſané par eſt gratius ac lætiús optatiſſimæ liberationis meminiſſe. Itaque gratias ſervatori ſuo maximas agunt, profitenturque non ſolúm ſe tibi vitam, libertatem, dignitatem, ſed omnem futuri temporis expectationem acceptā referre. Etenim, Mecœnas optime, quanvis id tibi tam liberali, tamque magnifico principi minimum videri certó ſcio: tamen cogita quæſo quantū beneficium mihi, quamque amplum una tua in nos gratia cōplexa videatur. Si me opibus (quibus abundas

maximis)cumulaſſes:ſi muneribus & donis(quorum in te magna facultas eſt) auxiſſes & ornaſſes, ea fortaſſe tribuiſſes, quæ privatim mihi magis commoda, quám ad communem laudem, & utilitatem publicã inſignia viderentur: Verúm cúm honeſtæ profeſſionis (in qua multos annos verſatus eſſem) ereptã libertatem mihi reſtituis, præteriti temporis fructũ & ſolatium mihi reſtituis, & intercluſam viam ſimul aperis, qua perſequendis inſtitutæ vitæ rationibus talentum (quantumcunque nobis á Deo creditum eſt) exercere tractando, communicare docẽdo, amplificare quærendo, Deo denique ipſi ac proximo (quorum cauſsâ nati & in hanc lucem editi ſumus) meditata vitæ ſtudia atque officia liberé præſtare valeamus. Quamobrem jam licet Muſarũ omnes fontes & montes excitemus, nunquam tamen á me non modó referri, ſed ne cogitari quidem gratia par ulla poterit: Ut animi tamen nec ingrati, nec immemoris, & gratia & memoria tibi perſpecta ſit & cognita, eniti certé atque contendere nunquam deſinemus. Itaque Dialectici hujus operis (in cujus abſolutione te domino, atque adeo velut architecto, jam non ſtudioſé ſolúm, ſed liberé incumbimus) πρόπαιον pauló anté Dialectica tibi obtulit, ἀντιπόδοσιν Animadverſiones offerunt. Quas(ut voluntatis conſiliique noſtri cum gratiis agendis etiam rationem conjungam) non ſolúm tibi, cui nuncupãtur, ſed vel iis omnibus, qui nobis adhuc adverſati ſunt, gratiſſimas fore confido: Nam quód Ariſtotelis authoritatem in Logicis ſtudiis tantoperé mirantur, hoc nos illis aſ-

ſentimur, ut Ariſtotelis legibus ac principiis (de quibus tam magnificé in Demonſtratione ab eo præcipitur) tota Logica, imò quævis alia doctrina componatur. Quód magnam juventutis exercitationem in logicis deſiderant, hoc nos cum illis cõmuni ſtudio tuemur, ut ex omnibus artibus hæc una precipué teneatur & excolatur : Quód veteres Academiæ leges de certis & temporibus ſtudiorum, & probationum publicis exemplis arcté retinendas exiſtimant, hoc nos unicé propoſitum & ſingulariter habemus : Quinetiam principiis illis Ariſtoteleis contendimus, ut & ad augendos juvenilis induſtriæ fructus, & ad minuendas longi temporis moleſtias, docendæ & exercendæ in philoſophia juventutis compendiaria quædam via publicis Academiæ noſtræ conſiliis, vel potiús votis tantoperé expetita, ex Ariſtotelis imprimis inſtitutis, & Pontificum (à quibus fundata Academia Pariſienſis eſt) legibus revocetur: ut denique Dialectica ex uſu naturalis & humanæ rationis tota deſcribatur, deſcriptaque explicandis poëtis, oratoribus exponendis, examinandis philoſophorum omniumque hominum ſententiis, ſcribendo de rebus omnibus & dicendo, omni denique fructu humanitatis exquirendo tractetur & exerceatur. Quod tamẽ inſtitutum quamvis tam ſyncerum atque ſanctum, nunquam tamen optabo ut cuiquam tam certa tamque bona ratione à nobis obſervatum videatur, ut certius & melius obſervari poſſe nihil exiſtimet. Imó veró hanc veniam deprecabor, ut quicquid his Animadverſionibus tam ſtudioſé tamque vehementer ex Ari-

ſtotelis legibus aſſeveratur, P. Rami, id eſt unius é multis homunculis ſtudium, non Pythii cuiuſdam Apollinis oraculum eſſe videatur: deque eo nihil potiús approbetur, quám iiſdem illis Ariſtotelis principiis examinetur, nequid iis repugnans agamus. Homo ſum, & hominibus pro mea tenuitate prodeſſe cupio: Sed fortaſſe quod cupio, non aſſequor neque præſto. Si quis in recta volũtate lapſus erroris inciderit, mea ſumma voluntate, imó veró deprecatione & obteſtatione corrigetur. Multis maledictis & probris & ſcenicarum fabularum & infamium libellorum ab hominibus temeré commotis & infenſis agitatus & vexatus ſum: quibus animo non tantúm facili & æquo, ſed libenti jam & grato, omnibus gratias habeo, quód me ſtimulis ſuis ad inſtitutum meum cúm diligentiús & laborioſiús, tum perfectiús & accuratiús perſequendum excitarint: Hortor tamen & moneo ut in hac diſputatione removeant authoritates collectorum ab Ariſtotele librorum, & Ariſtotelis legibus & principiis plerunque repugnantium removeant publicas poteſtates: neque enim hîc de Reipub. ſed de Dialecticæ ſtatu agitur: Deſinant theatris, bonorum famam traducere: probroſis & præter ſtultam maledicentiam nihil habẽtibus libris nominatim vexare: cæteráque ejuſmodi philoſophiæ ſtudiis indigniſſima ſophiſmata cogitare deſinant. Exemplo patientiæ noſtræ tandem aliquando moveantur, qui tanta æquitate animi tot indignitates pertulimus, quanta ipſi iniquitate machinati ſunt: quique hoc unum ultionis genus perpetuum juravimus, ut non modó nullas

tot

tot fraudum atque calumniarum pœnas repetamus, ſed ne earum quidem authores ulla ſcriptorum noſtrorum litera dignos exiſtimemus: Patientia enim & conſtantia ad honeſté vincendum, non ſtultorum & ignorantium pœna & infamia mihi opus eſſe duxi: neque enim adverſatus eſt hîc adhuc nobis quiſquam, qui vel pictam veræ Dialecticæ umbram agnoſceret. Hanc igitur veniam ſi nobis homines dederint, ut Dialecticam Ariſtotelis, dialectico Ariſtotelearum legum judicio diſceptandam & conſtituēdam arbitrentur, ô me fortunatum! ô me felicem!

—*Neque enim levia aut ludicra petuntur Præmia:*

ſed de arte, omnium (meo quidem judicio) præſtantiſſima certatur, ut vis humanæ mentis, id eſt boni bonorum, quæ à Deo hominibus dari unquam potuerunt, maximi: ut vis inquam, tam divini boni pro ſua natura ac dignitate doceatur & exerceatur.

—*Ecquis fuit alter,*
Deſcripſit radio totum qui gentibus orbem?

ait paſtor ille Virgilianus: At ego multó juſtiús,

—*Ecquis fuit alter,*

qui non totum terræ cœlíve orbem, cujus centrū certo puncto comprehenditur, extremum finito ſpatio concluditur: ſed tantum potiús mentis orbem, cujus medius locus immenſa cogitandi inveniendique ſolertia dilatatur: ambitus infinita judicandi collocandique prudentia propagatur:

—*Ecquis* (inquam) *fuit alter,*
Deſcripſit radio tantum qui gentibus orbem?

Nec enim vereor, quanvis ea res tanta ſit, quin

obſcuriſſimis tenebris clariſſimam lucem, miſerando abuſui præſtantem uſum & admirabilem præponendum eſſe, vel adverſariæ ſententiæ animis ſic affectis perſuadeam. Atque ut ſpero, omnes qui iſta legent, rem tam facilem, tam juſtam, tam laudabilem vel ultró largientur, ac nos æquitate iſta vincere potiús optabunt. Quamobrem, Mecœnas, Rami tui fructus tua non ſolúm bonitate ſervatos, ſed gratiâ & liberalitate excultos & uberiores grandioréſque factos percipito. Vale. Lutetiæ, é Præleo noſtro 1556. Idibus Maii.

SEPTIMA.

POSTEAQVAM (Mecœnas) cœpi Regia profeſſione tuum de me judicium populo noſtro probare, Logicumque & Topicę inventionis & Analyticæ diſpoſitionis uſum in oratoribus majorem frequentioremque, quám Rhetoricæ elocutionis demonſtrare, mirabilis hominum opinio nata eſt, quaſi qui argumentorum, ſyllogiſmorum, methodorum tantum fructum oſtendiſſem, poſſem quoque reliquorum Logicæ Ariſtoteleæ dogmatum parem fructum oſtendere, cúm perinde priús omnium ignotus uſus latuiſſet: Ariſtotelem veró á pueris & philoſophiæ imperitis ſcriptoribus eſſe defenſum, qui philoſophiæ uſum, id eſt, principium & extremum non modó nullum unquam diſcere voluerint, ſed ſcriptis & judiciis ſuis velut ipſi philoſophiæ perniciоſum damnarint: utjam & contra nos & à nobis Ariſtoteles defenſionem poſtulare videatur:

dicat-

dicatque (ſicuti vulgi vana hæc & ridicula eſt opinio) philoſophus ſcilicet idem quod poëta,

Nanque ea vel nemo, vel qui mihi vulnera fecit,
Solus Achilleo tollere more poteſt.

At veró nullum de tam multis, tamque manifeſtis Ariſtoteleæ Logicæ vulneribus feci. Neque enim definitionum, partitionum, exemplorum lumina detraxit: neque orationis vel homonymiam, vel ſcholaſticam infantiam (quibus Logica Ariſtotelis tam vehementer obſcurata eſt) peperi: neque aegulas eaſdem infinité repetivi: neque Grammatica, Phyſica, Mathematica permiſcui: neque de contrariis inutiles altercationes, neque modaliū, neque converſionum, neque ſyllogiſticarum reductionum, permiſtionum, poteſtatum argutias inveni: neque falſa & inter ſe pugnantia propoſui: neque totum Organum ſic ordinavi, ut ad humanitatis uſum referri non poſſet: neque omnino (quod miſeriæ caput eſt) Logicæ artis uſum é philoſophorum ſcholis ejeci: hæc (inquam) Ariſtoteleæ Logicæ vulnera non feci, ſed injuriâ vel hominum, vel temporum priús impoſita, modis omnibus ſanare volui: & quó ſalutaria remedia minús doloris facerent, lenitudinem quam licuit, adhibui: Logicos libros, ut Strabo & Plutarchus teſtarentur, corruptos & depravatos eſſe dixi, eorumque præſentem & titulum & numerum veteri & titulo & numero (ſicut ex Laërtio conſtaret) non congruere: vt commentarii potiús ab imperitis ex Ariſtotelis philoſophia deducti, quám vera Ariſtotelis philoſophia eſſe videretur. Ergo hæc ad leniendum. Sed enim longé alia majoraque ſunt,

quæ publica & voce & ſcriptura prædicavi & celebravi: Ariſtotelis philoſophiam, orbis terrarum penè totam & ſolam philoſophiam eſſe. Veteres artis Rhetoricæ ſcriptores (ait Cicero) uſque à principe illo atque inventore Tyſia repetitos, unum in locũ conduxit Ariſtoteles: quantó juſtiús, veriuſque dicam, Ariſtotelis philoſophiam, ingentem quendam bibliothecam eſſe, in quam veterũ philoſophorum, imó gentium (quibus imperavit Alexãder ejus diſcipulus) & ſua ipſius decreta Ariſtoteles aggregarit? nec aggregarit tãtúm, ſed unicam veritatem, non magiſtri Platonis aut hominis cujuſquam authoritatem ſpectans, componere generibus ac partibus explicare voluerit? Qua in tãta tamq; multiplici bibliotheca, ut Ariſtotelis ad tot res, tamque diſperſas undique congregandum, labor & induſtria mirabilis negari non poteſt, ſic ad æſtimandum de ſingulis, & accuratiús judicandũ, ſi tantúm ſtudii aut certe temporis ac vitæ ſuppeditaſſet, aut protinús Ariſtoteles aliquis Ariſtoteli ſucceſſiſſet, qui philoſophiam Ariſtotelis ad Ariſtotelis principia perpendiſſet, haberemus jampridem quod optamus. Quare ſic adhuc lenimus, & Ariſtotelicum illud veritatis inquirendæ ſtudium liberé conſtanterque ſequimur. Atque hîc nihil veremur, ne Ariſtotelis diſſimiles ardenti quodam, nec ad vulgi opinionem fortaſſe ſatis cõſtanti ſtudio videamur. Appelles, quanvis eximius & excellens pictor, imperito tamen populo tabularum ſuarum judicium committebat, & vel ab ignaris artis de artificio tamen ſuo admoneri & corrigi cupiebat: Tantus vel in manus opificio,

perfectæ

perfectæ laudis amor erat. At Aristoteles selectis tantúm & paucis discipulis, á quibus credulitatem ex pacto postulabat (notum enim illud est, δεῖ γὰρ πιστεύειν τὸν μανθάνοντα) philosophiam suam tradebat. nec vivus publicavit, sed moriens Theophrasto legavit: tantum abest ut á vulgo moneri vel corrigi voluerit. Ergo ad Aristoteleum veri percipiendi studium, Apelleum quoque perfectionis amorẽ adjungimus: prælectionibus & exercitationibus, publicatisque de Logica arte in Aristotelem, Ciceronem, Quintilianum libris, studiosé & assidué justas & veras reprehensiones hominum non solúm nihil metuimus, sed propé precibus efflagitamus: & tã libẽter vel ab ignaris artis acciperemus, quám simpliciter & candidé postulamus: Nec interea tamen ignaviæ culpam pertimescimus, si tot annos in studio perficiendæ artis pulcherrimæ consumpserimus, quam duorum annorum millibus, maximis tot tamque multorum philosophorum vigiliis adhuc imperfectam videamus: sed illo Apellis exemplo, veluti prætereuntium sermones & opiniones auscultamus. Quoties igitur jam, quoties in Aristotelicis Animadversionibus, etsi corporis universi formam, speciemque Topicæ invẽtionis, & Analyticæ dispositionis, summamq; universæ institutionis nostræ sententiam eandem retinemus, tamen illum colorem, quia vehementior, hanc umbram, quia molestior vel expertibus artis esset, immutavimus? Cumq; tandem Aristotelis nomen non solũ philosophi, sed pené philosophiæ nomen in scholis nostris esse sentirẽ, sine cujus authoritate nihil probari, nihil persuaderi

certis hominibus posset: nostraque studia quanvis essent, tamen quia non dicebātur Aristotelea, tam pertinaces impediri cognoscerem, hoc ipsum Aristoteleæ authoritatis pigmentum partibus omnibus aspergere, atque Aristotelem ipsum præcipuis, nec adhuc vulgo satis intellectis & animadversis Logicæ partibus explicare statui. Etenim Aristotelis Logica tota est, quam adhuc docui: attamen quia nec Aristoteles á nostris obtrectatoribus intelligebatur, neque nominatim Aristotelis authoritas á nobis appellabatur, verúm res ipsa (quæ priús etiam á Platone dicta esset) mutata, sed illustriore & Aristotelis germaniore forma traderetur, hîc Aristoteles velut ex Actæone aliquo, conspecta Diana cervus factus esset, á suis non modó cognitus nō est, sed pené laniatus ac discerptus est: sic nostro nomine ab iis est traductus & damnatus. Ergo ut Aristoteles ab Aristoteleis recognoscatur, hūc ipsum non solúm animaversionis, ut antea, sed interptetationis præterea laborem præcipué susceptpi: nec in Logicis (licet ex Aristotelis libris alia sequar, alia fugiam) ullam virtutem sequor, nisi quam Aristoteles sequēdam: nec ullum vitium fugio, nisi quod Aristoteles fugiendum authoritate judicioque suo præcipiat: nec aliud mihi propono, quám ut planum faciam, licet ab Aristotele tam multa collecta sint, tamen alia ab Aristotele probata & judicata, alia collecta tantúm, non etiam probata & judicata: id est Aristotelica alia esse, alia non Aristotelica. Disceptatio hæc magna & gravis alicui fortasse videri possit, judicare, utrúm de Logicę artis regulis vel ab aliis,

vel á

vel á ſe ipſo inventis Ariſtoteles judicarit. At ejus quæſtionis definiendæ ac terminandæ regulam & legem Ariſtoteles ipſe duobus his Analyticis poſuit: principia enim philoſophiæ ſententiæque ſuæ non ſolum propria, ſed vera, ſed illuſtria, & magnifica poſuit: quibus quæ Logicæ artis regulæ convenient, ab Ariſtotele judicatas & probatas: quę non convenient, neque judicatas, neque probatas eſſe ſtatuamus. Atque ita, veram Ariſtotelis doctrinam & authoritatem á cõtraria & doctrina & authoritate diſtinctam teneamus. Quamobrẽ (Mecœnas) tametſi ſummus Henrici regis amor, qui vel hiſce graviſſimis temporibus te non ſolúm conſiliorum, ut ſemper antea, ſed etiam armorum conſortem comitemque habeat, ad res graviores advocat: tamen quia Mecœnas meus es, imó quia Pariſienſis Academiæ á Chriſtianiſſimo rege patronus & Mecœnas factus es, huc te tantiſper demittito, & Analytica poſteriora (quæ Ariſtotelicæ philoſophiæ principia & fontes habeant) explicata, & pauló diligentiús quám antea, pleniúſque animadverſa cognoſcito. In cæteros Organi logici libros parem Animadverſionum reliquarum diligentiam meditati ſumus: ut cúm ſingulas Ariſtoteleæ Logicæ partes ad iſtam principiorum Ariſtotelicorum libram æſtimatas, & Ariſtotelica á non Ariſtotelicis diſtincta, neſcio qui verbo Ariſtotelei, reipſa tamen Ariſtotelicæ philoſophiæ imperitiſſimi & inimiciſſimi, cognoverint. Animadverſiones noſtras (quia locis omnibus Ariſtotelem principem ducemque ex Ariſtotelis certiſſimis principiis, certiſſimiſque judiciis ſequuntur)

veré Aristotelicas esse sentiant: Dialecticam nostram (quia veram Aristotelis Logicā, quæ possit ad humanæ vitæ, prudentiæq; usum referri, cúm sententiis & verbis totam exprimit, tum imprimis Aristotelica Analitycæ methodi forma disponit) veré Logicam esse percipiant: verisque legibus Aristotelis & principiis conformatam & compositam tandem aliquando cognoscant. Vale. Lutetiæ, é Prælo nostro 1553. Calend. Ianuarii.

OCTAVA, TALÆI.

MAJORES nostri, Sabelle humanissime, acuendis ad philosophiam ingeniis suppositiones, ampliationes, restrictiones, & alias ejusmodi argutiolas satis ingeniosé excogitaverant: quæ exercitationes, quia nescio quo hominum fastidio á scholis rejectæ sunt, ne omnino spreta & contempta videretur antiquitas, exercendi ingenii materiam, quanvis in dissimili genere, non tamen omnino dissimilem ex quotidianis prælectionibus descripsi. nam quód veteres in rebus minus popularibus, magisque ab usu vitæ, philosophiaque ipsa remotis commenti erant, ut in his tanquam necessariis ad prudentiam studiis juventutem retinerent, hoc idem in ipsa philosophia, ejusque partibus efficere studui, ut quæ ad usum popularem, & humanæ prudentiæ rationem pertinerent, annotarem: quæ veró ad aculeos altercationum, & subtilitates otiosarum speculationum spectarent, separarem, & Aristotelis interpretes meo exemplo

plo admonerem, ut judicium in his libris explicandis adhiberent, & utilia ab inutilibus, vera á falsis, propria ab alienis, perspicua ab obscuris distinguerent. quod idē Petrus Ramus frater meus Aristotelicis animadversionibus, sed oratione perpetua non minus graviter quám subtiliter tractaverat, unde homines quidam humanitatis expertes, & literis non satis exculti, magis commoti & perturbati sunt, quám instituti. Itaque rudiorum gratia de industria ad singulas rerum particulas explicationem meam demisi, ut haberent pueri in isto veluti cōvivio non solúm copiam & abundantiam, sed tanquam dissectis in disco frustis, & ad sumendum paratis, unde facilius desiderium suum explerent. Atque quo magis studiosos organi dialectici ad philosophandum & inquirendum excitarem, contradictionum, quas proposui, defensionem nullam addidi, ut qui eas falsas existimarent, veriores & probabiliores exquirerent. Conuerti autem de Græco Porphyriū: sic ut non tantúm modó sententias exprimerem, sed verba pené verbis propriis tamen, & rem puré planéque significantibus redderem, ne melius Porphyrium Latiné loquentem facerem, quám Græcé loquutus est, & ut res verbaq; in utroque sermone responderent. falso enim plerique sibi persuaserunt libros organi Dialectici Græcos magna eloquentia præditos esse: ornatus enim orationis in tropis & figuris verborum sententiarumque cernitur: at in tam multis organi Dialectici libris, si paginas omnes evolveris, nullum orationis cujusquam ornatū reperies: quod Ari-

ſtotelem de induſtria feciſſe Ammonius affirmat. Has veró lucubrationes in tuo nomine idcirco divulgavi, quód te unum ex omnibus hominibus non ſolúm veræ philoſophiæ ſtudioſum cognovi, ſed etiam eorum amantiſſimum, qui ſtudia illa promovere ac illuſtrare conarentur. quid enim vis ſingularem tuum in fratrem meum Petrum Ramum amorem commemorem? quem ſimul atque noſti, ita omnibus officiis complexus es, ut in omnibus noſtris rebus ſummam tuam humanitatem & liberalitatem ſimus experti: ita te cordatum hominem natura peperit, ſic in omni genere benignitatis volũtas exercuit, ut per mihi mirum videatur in tam exiguo ac tenui corpuſculo tantúm veri cordis concludi, cõtinerique poſſe: atq; ut apud Homerum Tydeus laudatur, Τυδεΐδῃ μικρὸς μὲν ἔην δέμας, ἀλλὰ μαχητής· ſic veriſſimé confirmare poſſum, te quanto multis corpore minores, tanto pleriſque animo multis & præclaris virtutibus ornato majorem & excellentiorem eſſe. Itaque ut tantis animi bonis diutiſſimé fruare, vel potius omnes amici tui te vivo fruantur, á Deo Opt. Max. precabor, ut fortunatiſſimam longiſſimámque vitam tibi largiatur. Bene vale. Lutetiæ é Gymnaſio Præleorũ Nonis Auguſti.

PETRI

PETRI RAMI PHISICÆ PRÆFATIONES.

PRIMA.

ARISTOTELIS auſcultatio Phyſica eodem illo inſtrumento diſceptanda nobis eſt, quo adhuc antecedentes artes diſceptatæ ſunt. Logicæ leges illæ de materia formaq; artis ante oculos habendæ ſunt, ut materia omnis ſit κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθ' ὅλου θεώρημα· de omni per ſe, univerſaliter primum. Prima lex eſt veritatis, ne ullum ſit in arte documentum, niſi omnino neceſſarioque verum. Itaque non modó falſa, ſed fortuita tollentur. Secunda lege cavetur amplius, ut artis decretum ſit non tantum omnino, neceſſarioque verum, ſed homogeneum, & tanquam corporis ejuſdem membrum: nec in Arithmetica ſit quicquam geometricum: nec in geometria arithmeticum, ſecús geometricum, in arithmetica fuerit ἀναρίθμον, arithmeticum in geometria ἀγεωμέτρητον. Sic logicum in phyſica tam fuerit ἀφύσικον, quám phyſicum in logica ſit ἄλογον. Hinc falſi erroris refutationes etiam veræ, tamen ex arte tollentur, quia inſcientiam tantúm dedoceant, ſcientiam ipſam non doceant. Hæc juſtitiæ lex eſt ad regendos artium fines, & ſuum cuique tribuendum, juſtiſſima. Tertia demum lege ſancitum eſt, ut artis præcepta non ſint duntaxat omnino neceſſarioque vera, nec homogenea tãtum, ſed propria & partibus reciproca: neque genera-

le ſpeciei, aut ſpeciale generi tribuatur, ſed generale generaliter, ſpeciale ſpecialiter exponatur: Si doceas rectas non concurrere: in æquicruro tres angulos duobus rectis æquales eſſe: analogiam in numero & magnitudine, generalem affectionem ſpeciei tribuis, cum paralleliſmus etiam obliquis, æqualitas rectorum omnibus triangulis, analogia rebus omnibus conveniat. Si doceas æqualitatem duorum rectorum in figura, ſpecialem affectionem generi attribues, ideoque ſophiſticé docebis. Hæc tertia lex eſt ſapientiæ. De forma lex unica eſt, ut abſolutè notius & clarius antecedat: quæ tametſi verbis pauciſſimis eſt contenta, uſu tamen & fructu eſt omnium maxima. Hæ ſunt Ariſtotelis de materia formaque artium logicæ leges, communes omnium temporum, locorum, hominum, nullis exceptionibus conſilii, voluntatis, occaſionis cujuſquam aſtrictæ. Peccaveris in Grammaticæ leges minimum, ſyllabamque longam breviter enuntiaris, ſibilo audientium peccatum tuum corrigetur. In dialecticas autem leges, id eſt cujuſvis doctrinæ principes ac dominas, vel quidlibet offendere, quantò gravior offenſa, quantoque minùs ferenda fuerit? Una eſt erroris infiniti magiſtra, anticipata multis antè ſeculis opinio, catholicis inſtituendæ doctrinæ legibus adverſaria, academiarum & publicarum cathedrarum variis privilegiis, amplis etiam præmiis & honoribus armata, quibus acroaſis phyſica, ſicut Ariſtotelis opera reliqua, ſancitur. At in logica civitate logicos judices ſpero me habiturum eſſe, qui catholicas ſuæ civitatis le-

tis leges quantumlibet inveteratæ captionis exceptione majores, quantumlibet approbati privilegii ſanctione ſanctiores exiſtiment. Enimvero ſi quis architectum regiæ cuipiam conſiderandæ in conſilium advocet, interrogetque quibus inſtrumẽtis opus ſit illud examinaturus, proferat (opinor) regulam, perpendiculum, normam: ita ſi quis interroget quibuſnam machinis aut ferramentis confiſus ad tantam Ariſtotelei mundi fabricam expendendum accedam, Ariſtotelearum de materia, formaque artis legum inſtrumenta videlicet illa proferã: Ariſtotelis enim philoſophia eſt omnium qui anté fuerunt philoſophorum bibliotheca quædam, permultis locis collectas ſententias potius, quám judicatas complexa, eaſque Apelliconis tineis & blattis corruptas & depravatas, ut alias propoſui. Itaque comparandi ſunt eadem de re omnes Ariſtoteleæ philoſophiæ loci, tum delectus legibus illis catholicis conſentaneus eſt adhibẽdus. Nulla enim philoſophiæ ſententia illuſtris feré eſt, cujus contradictionem aliquam in Ariſtotele non reperias. Itaque controverſi Ariſtotelis interpretem ac judicem, Ariſtoteleis legibus, id eſt Ariſtotelis graviſſimis & accuratiſſimis judiciis, quem potiorem aut præſtantiorem requiramus? Quamobrem philoſophi omnes, quicunque hæc lecturi, audituri, cognituri eſtis, animos per Deum naturæ (qua de hic agitur) erigite. Scripſimus antea & pro logica veritate, & contra ſophiſticam falſitatẽ philoſophica libertate beatis quondam & florentibus philoſophiæ ſtudiis, non ſo-

lúm permiſſa philoſophis omnibus, ſed ad legitimé philoſophandum propoſita, ac præſcripta: Ergo jam præmium tali virtuti uſitatum protinus non á noſtris tantum popularibus, ſed toto terrarum orbe ſumus adepti: probra & maledicta ab hominibus é ſophiſtica illa, tanquam é ſolida doctrina laudem ſectantibus, qui tamen legibus, qui comparationibus, qui argumentis noſtris nihil iraſcerentur, ſed maledicerent legum vindici, comparationum ſecundum leges & argumentorum authori: Neque enim noſtri philoſophi ad illam æquitatem adhuc adduci potuerunt, ut ſecundum Ariſtotelis leges Ariſtotelea philoſophia judicaretur: nec adhuc in tot maledictorũ plauſtris ſyllogiſmum illum deprehendere potui, vel pro Ariſtotele hoc modo: Præceptum artis κῦ παντὸς καθ' αὑτὸ καθ' ὅλου θεῶρον, naturaque prius antepoſitum eſt legitimum: Ariſtoteleæ philoſophiæ præceptum quodlibet ejuſmodi eſt: Itaque legitimum. vel contra nos hoc modo: Præceptum legitimum eſt κῦ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθ' ὅλου θεῶρον, naturaque prius antepoſitum: P. Rami præceptum ejuſmodi non eſt: Non igitur legitimum. hunc (inquam) logicum ſyllogiſmum, hoc logicum judicium adhuc in nullo P. Rami adverſario deprehendere potui: Id nimirum eſt. O philoſophe, ſi philoſophiæ legibus judiceris, actum eſt, ilicet, periiſti: Itaque effrænatam maledicentiam, & infinitam exceptionum ſophiſticam tantum adhuc audivi: hic item non tantum ſinguli profeſſores, ſed ſcholæ totæ phyſica Ariſtotelis celebres cũm eruditionis ſuæ fama ſpoliari ſibi videbun-

debuntur, non dubito quin protinus tanquam adversus prædonem quempiam & latronem quiritentur. tanta est apud pleroſque etiam doctos, etiã de religione pié ſentientes (quod perſæpe admiratus ſum) de philoſophi hujus ſcriptis opinio, ut vel de Moſe, deque Chriſto potius, quám de Ariſtotele dubitent. Verumtamen cúm pertinacia tãtiſper poſita, judicioq; ſynceriore adhibito perceperint, ſuis opinionibus longé diſſimiles libros acroamaticos eſſe, tum faciliores pauló atque æquiores erunt. At enim ſi quis animo in ſupremam mundi regionem elatus cælum & terras, omniaque iis comprehenſa penitus perſpiciat, ad Ariſtotelis acroaſim converſus perſpiciet in octo phyſicis libris nullam rei cujuſquam naturalis notam, ſed logica ſophiſmata de cauſſis & principiis primo ſecundoque libro, de effectu cauſſarum & motu tertio, & quinto, de ſubjecto loco, adjunctoque tempore, quarto: tertii parte, ſextoque toto infinitatis: totiſque item ſeptimo, & octavo æternitatis monſtra quędam & portenta perſpiciet, non ſolúm ingenuæ diſciplinæ prorſus aliena, ſed veræ pietati ac religioni contraria. Ac neſcio quo animo Chriſtiani homines ferent ab Ariſtoteleis interpretibus Ariſtotelis impia commenta defendentibus, Moſem tanquam fabulatorem Ægyptiũ irrideri: Chriſtianoſque modó ignaros idiotas, modó πλχίνας tanquam ſceleſtos, furioſoſque appellari. Ariſtotelem nempe majores illi noſtri tanquam Jovem aliquem inſanorum interpretum more non colebant, ſed ejus fraudes manifeſtis & illuſtribus argumentis convincebant: his tamen

argumentis adversus Aristotelem non admodum uti, sed logicis, mathematicis, physicis, id est philosophicis armis philosophicum certamen certare constitui. Itaque valde spero cognitores hujus cõtroversiæ judicesque conversis animis immortales gratias nobis habituros esse. Et quidem ut fructus iste publicé omnibus & mihi privatim maturius constet, Platonicam peregrinationem decurso reliquarum artium stadio in eas regiones meditor, ubi nostratia hæc studia exerceri celebrarique audio. Britanniam ut Parisiensis Academiæ parentem exosculor: Germaniam ut mathematũ altricem animo cõplector: Italiam verõ omnium laudum, virtutumque velut officinam quandam admiror & suspicio, in eaque Bononiam (quæ tam longinquo locorum intervallo nobis primariæ in doctissima academia professionis honorem, referente Angelo Papio jureconsulto clarissimo honorificé detulit (præcipué visendam, omnique studii & officii genere colendam: precipueque Papium mihi complectendum propono: Itaque cõmilitones mei (ubicunque terrarum nostræ hujus militiæ stipendia meremini) ne vos imparatos offendam, interea considerate, quid de liberalium artium institutione, quam persequimur, coram respondẽdum judicetis, quales vestro judicio sint Aristotelis augustæ & sacræ leges illæ quibus artes & disciplinas regendas esse profiteor.

——*hic murus aheneus esto.*

Et certé adversus calumnias omnes adhuc aheneus fuit, & erit in æternum: Neque enim sophismate ullo diruetur unquam. Considerate (inquã)

qualis

qualis ſit hic murus, qualis ſit Ariſtotelearum variis é locis ſententiarum ad leges comparatio, qualis denique ſit ex iis & legum & comparationum antecedentibus noſtra conſecutio & complexio. Atque hoc loco Italos in primis exhortor & moneo, ut de ſuis virtutibus pauló magnificentius ſentiant, quám ut placitis philoſophi cujuſquam tam humiliter demiſſeque ſerviant. Etenim (Deũ immortalem) doctores hi ſingularibus naturæ dotibus eximié præſtant atque excellunt. diligentiá induſtriæ conſtantiamque tractandis & explicandis artibus ex omnibus omnium linguarum comparatis interpretibus admirabilem adhibent. Sum enim cupidior; & fortaſſe curioſior de cujuſque doctoris pauló clarioris dignitate & exiſtimatione. Nec tantum editos libros avidé pèrlego, ſed ſi quis doctrinæ ſtudiis deditus, é diſcipulis vel amicis vel quomodocunque notis hominibus ex Italia redierit, ſciſcitari, percontarique ſubtiliter ſolitus ſum de celebritate Academiæ cujuſque, de nobilitate profeſſorum, de genere docendi, atque facultate: inde cætera quidem omnia in Italis philoſophis abundé comperiebam, ſed in pleriſque omnibus animadvertebam præpoſteræ cujuſdam perſuaſionis opinionem valdé contrariam: doctoris nempe veluti laudatoris officium videri, authoris propoſiti ſententiam non ſolum perſpicué & intelligenter interpretari, ſed qualiſcunque ea ſit, arctè tenere, ac mordicus tueri. Enimvèro (inquam) ſi de Iſocrate aliquo aut Simonide loqueremur, officium doctoris illud fortaſſe probaretur: At lõgé alius eſt Panegyricus, aut Melicus alienæ laudis

mercator ille, alius hic noſter doctor, non ſolúm virtutum exornator, ſed judex cenſorque vitiorũ. Nam ſi grammaticus vel rhetor grammaticas, vel rhetoricas laudes in authore quamlibet egregio interpretandas ſumpſerit, quid aliud ad hoc interpretationis judicium ſibi præponet, quám ut ejus virtutes grammaticis rhetoriciſque legibus congruas diſcipulis ſuis commendet, & imitandas eſſe prædicet? vitia autem contraria demonſtret, fugiendaque moneat? Sic in philoſopho quantumlibet excellenti explicando, quid philoſophiæ doctor prius & antiquius philoſophicis legibus habere debeat, ad accuratè ſyncereque philoſophandum? & quid in quaque re verum, falſumque ſit exiſtimandum? Id enim eſt ſcire, rem per cauſſam cognoſcere. At cauſſa rectè & legitimè philoſophandi eſt in philoſophiæ legibus, & principiis: vagæ autem & ſophiſticæ opinionis umbra tantum eſt in philoſophi nomine atque authoritate. Utinam verò philoſophicam libertatem ſummis philoſophiæ legibus duntaxat obedientem, Italiæ philoſophis propediem gratulari poſſim. Etenim, ſumme Deus, iſta libertate duce omnes omnium generum artes vel uno ſeculo á talibus artificibus & inveniri, & abſolvi poſſint: quæ tamen neſcio quot ſecula poſteaquam ſervilis inertia in ſcholas noſtras invaſit, vix ac ne vix quidem parte milleſima intelliguntur. Quapropter ubínam ſunt animi illi nobiles & generoſi, non ſolum ex illa tranſmarina Platonici & Ariſtorelei, ſed ex iſta magna Græcia Pythagorei, qui ſervitutem hanc non ſecús ac perniciem artium aliquam averſabantur?

bantur? Ubínam Cæcus ex Itala gente Appius, qui hunc noſtrum philoſophorum ſenatum ſenatoria illa ſeveritate coarguat,

Quó vobis mentes (rectæ quæ ſtare ſolebant
Antea) dementi ſeſe flexere ruina?

Quamobrem per Phyſicas muſas (quarum numẽ in iſto judicio periclitatur) ad antiquam illam gravitatem conſtantiamque redeatur, malitque quiſque noſtrum, philoſophus, quám philoſophi ſervus eſſe. Atque hac ingenuitate ad acroamaticos libros cognoſcendum & retexendum accedatur.

SECUNDA.

ARiſtoteles in logica mihi videtur quidam Protogenes in pictura, manum ſi quidem de tabula tollere non poteſt. De logica, id eſt de argumentis & argumentorum diſpoſitione libros varios deſcripſit, alios logico, id eſt ſuo proprioque nomine, alios nomine rhetorico, alios acroamatico, contra quos omnes adhuc multiplices ſcholæ nobis explicatæ ſunt, ut Ariſtotelis de materia formaque artis legibus variæ & plerumque diſcrepantes Ariſtotelis ſententiæ regerentur, & conformarẽtur. In arte nihil eſto (ait Ariſtoteles) niſi κατὰ παντὸς omnino neceſſarioq; verum, niſi καθ' αὑτὸ homogeneum, totiuſque artis naturale & eſſentiale documentum, niſi καθ' ὅλου ἀντιστρέφον proprium & reciprocum, niſi denique natura prius, loco priore collocatum. His legibus cæteræ ſingulares artes componuntur: his vinculis doctrinarũ reliquarum theoremata continentur: ut nihil fal-

sum, fortuitúmve, nihil heterogeneum, nihil inæquabile doceant, nihil ὕστερον πρότερον confundant. Atq; ita quidem reliquarum artium decreta á sui studiosis obseruantur, ut contra nulla sit rei cujusquam aut voluntatis, aut loci, aut occasionis exceptio, quin obediendum, aut dependendum sit. Marcellus grammaticus cúm ex oratione Tiberium reprehendisset, affirmante Atheio Capitone & esse illud latinum, & si non esset, futurũ certé. Jam inde mẽtitur (inquit) Capito, Tu enim Cæsar, civitatem dare potes hominibus, verba non potes. Tanti itaque Imperator grammatico non fuit, ut grammaticæ legibus solveretur: Eadem est in cæteris artibus legum authoritas ac reverentia. Sola est ex omnibus disciplinis logica, quæ legibus ipsa suis libera solutaque nescio quibus δόγμασις esse videatur. Neque verò tot scholis nostris ad liberales artes instaurandum ullus adhuc elenchus contra authorem quemquam propositus est, quin captionis alicujus exceptione ab ineptis hominibus defenderetur. At (ut valde confido) pudor aliquando fuerit, grammaticum grammaticæ, rhetorem rhetoricæ, mathematicum mathematicæ legibus sine excusatione ulla obsequi: Logicum verò, id est artificum reliquorum principem artificem, doctoremque summum, infinitam contra logicæ leges licentiam vel potius calumniam sibi permittere. Leges, leges (inquam) istę sunt omni exceptione majores superioresque, neque solúm in cæteris inferioribus disciplinis, sed in ipsa imprimis legum magistra custodiẽdæ, obseruandæ, colendæ. Quapropter hoc fundamento

mento bene & ex ordine collocato, logiciſque & æquis judicibus approbato, magna animi alacritate ad quatuordecim Ariſtotelis metaphyſicos libros expendẽdum, & examinandum accedamus. Etenim præter ſuperiores libros, Ariſtoteles alios quatuordecim conſcripſit, non illos dico Arabis neſcio cujus, editos Ariſtotelis nomine, ſed eos qui græcé inter græca Ariſtotelis opera leguntur quatuordecim, inquam, libros Ariſtoteles conſcripſit de logica titulis variis inſcriptos, tum ſophiæ, tum philoſophiæ, tum philoſophiæ primæ, tum theologiæ, tum metaphyſicæ, ut vulgó in ſcholis τὰ μετὰ φυσικὰ appellantur. De theologia tamen pauculi verſus erunt: logica autem reliqua ſunt omnia: aut nominatim, ut de cauſſis, oppoſitis, comparatis, & reliquis logicæ decretis, aut idearum mathematumque nomine, in quibus logica quædã de cauſſis, de genere, & ſpecie diſputantur. Itaque Philoſophi quidam jam ante Alexandrum Aphrodiſeum hanc Ariſtotelis matæotechniam deprehenderant, ut dicetur in principio tertii metaphyſici, & Plutarchi in Alexandro de his libris judicium illuſtre eſt. Ἀληθῶς γὰρ ἡ μετὰ τὰ φυσικὰ πραγματεία πρὸς διδασκαλίαν καὶ μάθησιν οὐδὲν ἔχουσα χρήσιμον. Revera (ait) metaphyſica tractatio ad docendum, & diſcendum nil utilitatis habet. Atqui tamen Ariſtoteles minimé logicam videtur in hoc argumento cogitaſſe: cúm in logica ſæpe appellet hanc artem modó κυρίαν πάντων dominam omnium, ut 7. cap. 1. Poſt. modó quandam ſcientiam, quæ univerſaliter conetur demonſtrare univerſalia, ut 8. cap. 1. Poſt. & 11. cap. 1. Elench. modó

quæ δι' ἀκριβείας per accurationem doceat definiẽdi doctrinam, ut 2. cap. 7. Topici, & ſic aliis locis in logica & philoſophia reliqua permultis : ſed imprimis quarto , & ſexto theologiæ ipſius libro manifeſta erit , minimeque dubia Ariſtotelis hac de re ſententia , quód hic ſcientiam cogitarit á logica diverſam omnium cauſſarum, ſed præſertim primæ : ſeu omnis entis quatenus eſt ens , ſed præcipué primi : hinc mirabiles hujus ſapientiæ laudes non ab interpretibus ſolũ, qui vocant metaphyſicam ἐπιστήμην ἐπιστήμων, τεχνὴν τεχνῶν , ſcientiam ſcientiarum , artem artium , πολὺ ὕμνητον σοφίαν prædicabilem ſapientiam , ſed laudes ab Ariſtotele imprimis ſecundo capite libri primi, quæ tum melius prædicabuntur. Quare cúm dico in quatuordecim libris nil niſi logicum ab Ariſtotele confundi : non dico ab Ariſtotele ſciente & prudente contra logicas Ariſtotelis leges confundi, ſed huc tamen re vera, ac veritate philoſophum contra philoſophiæ ſuæ decreta delapſum eſſe. Quin Platonicæ laudis æmulationem (ne quid de laudibus Ariſtotelis prætercam) hic aliquam fuiſſe ſuſpicor. Socrates enim apud Platonem dialecticam multis & mirificis laudibus afficit , ejuſque docet eſſe varium & admirabilem uſum , cúm in ſingularibus & quotidianis rebus interrogando, reſpondendo, rationem quærendo, capiendoque, tum maximé in omnibus & perpetuis rebus, quales ſunt in artibus & ſcientiis comprehenſæ, ut dialecticæ lumine videamus earum communiones, ſimilitudines, differentias, diſſimilitudines, principia, quæ ſit in phyſicis πίστις, quæ ſit in mathemati-

cis

cis διάνοια, quæ ſit in logicis ipſis νόησις, ut tandem cúm divini ſolis umbram quandam in his univerſalibus exemplis deprehenderimus: operaque Dei, divinorumque operum ordinem, ſymmetriã, deſcriptionem, é mathematicis, logica mente contemplati fuerimus, tum ad eum ipſum clariſſimũ ſolem contemplandum, vitæque integritate imitandum convertamur. Hac de re Socrates in Philebo, & ſeptimo de Republica, multa magnificé philoſophatur, & dialecticam hic appellat. Recentiores autem Platonici Ariſtotelis philoſophia nõ multó diligentiús, quám Platonis imbuti aiunt talibus locis nomine dialecticæ metaphyſicam á Platone ſignificari: In eoque doctoris Atiſtotelis errorem ſequuntur. Ariſtoteles enim Socratis argumentum æmulatus, ſummum illum dialecticæ uſum (quo principia & cauſſas ſpecialium artium: quo denique omnium rerum ſingulare principiũ, ſingularemque cauſſam dignoſcamus) metaphyſicis quatuordecim libris copioſiús & uberiús videtur perſequi. Quin æmulationis Platonicæ veſtigia quædam vel Platonis verbis tertio metaphyſicæ manifeſtiús apparebunt, Ariſtotelis igitur voluntas dubia jam eſſe non poteſt, quin artem quandam omnium artium maximam á logica differentem complecti velit, ſed quám logicé, quám legitimé, quam rectè, quám congruenter velit, deinceps erit é logicis legibus eſtimandum, & cõſiderandum. Quamobrem theologiæ veræ ſtudioſi, amatores, patroni, defenſores adeſte æquis animis, & controverſiam longé maximam, ac nobiliſſimã cognoſcite. Quatuordecim metaphyſi-

cos libros, quatuordecim logicarum tautologiarum cumulos esse statuo, & quidem rerum, non solúm in aliis Aristotelis libris, sed in præsentibus etiam sæpius scriptarum, & rescriptarum: theologiam veró (quæ híc appellatur) impietatem omnium impietatum maximé detestabilem, & execrabilem esse confirmo. At enim scholæ physicæ physicam Aristotelis theologiam inexpiabili infinitatum, & æternitatum impietate refertam docuerunt. Metaphysicæ autem scholæ repetitas é physicis easdem impietates, & aliis multó fœdioribus culmulatas docebunt, brevique spero futurũ, ut Christianos tam fœdæ theologiæ pudeat, & pœniteat, conversisque animis non solúm paganam illam vix Satyris Fauniſque dignam theologiam repudient, sed puriús sanctiusque Euangelium totis animis amplectantur. Enimveró Aristoteles varios in utraque lingua interpretes doctrina diligentiaque præstantes habuit: sed interpretes, qui qualis esset Aristoteles, explicarent, ac plerumque ne explicarent quidem: judices adhuc nullos habuit, qui quid ageret, & quamobrem, & quomodo leges ipse legislator observaret, considerandum, judicandumque sibi proponerent. Etenim é pictoribus (ut illud in Aristotelis poëtica eleganter comparatum, ad istius quoque disceptationis comparationem usurpetur) Polygnotus præstantiores, Pausón deteriores, Dionysius pares imagines pinxit: é poëtis Homerus meliores mores, Hegemon pejores, Cleophon pares expressit: Quin Euripides quales essent, Sophocles quales esse deberent. At, inquam, Aristotelis philosophia

varios interpretes tanquam pictores & poëtas habuit, Pauſonas & Hegemonas permultos Dionyſios, & Cleophontes & Euripides raros. Polygnotum certé, Sophoclem, Homerum prorſus neminem, cúm tamen Ariſtoteles in philoſophis antiquis Polygnotus, Sophocles, Homerus eſſe omnibus modis contendiſſet. Atque hic mihi poſt Ariſtotelem ipſum præcipué res erit cum Alexandro profeſſore Athenis imperatorio & principe Ariſtotelis interprete. Nam licet Aſpaſius, & Soſigenes interpretes ab eo nonnunquam appellentur in his libris, eorum tamen nihil extat. Syrianus autem tertio libro, & duobus ultimis adverſus Ariſtotelem, Pythagoreos & Xenocraticos defendit. Quapropter philoſophi (quicunque ſcholas iſtas lecturi, & cognituri eſtis) per ſanctam Dei ſapientiam (quam nobis hic Ariſtoteles pollicetur) agite: & in Ariſtotelis philoſophia pingenda, & conformanda Polygnotum, Sophoclem, Homerum optate, vel potiús Ariſtotelis catholicas leges ſerió vobis proponite: Pictores enim omnes, poëtas omnes longiſſimé ſuperabunt. Os humeroſque Deo ſimilem ſpeciem, verſus & numeros tali poëmate dignos, illam denique Polygnoti antiquitatem, illam Sophoclis gravitatem, illam Homeri majeſtatem abundé præſtabunt. Ducibus igitur Ariſtotelis legibus ad theologiam Ariſtotelis retexendum accedatur. quæraturque utrum tota Ariſtotelis metaphyſica nil aliud ſit, quam logica logicis plurimis & theologicis quibuſdam ſophiſmatis obſcurata: Id enim eſt, quod præcipué differendum, demonſtrãdumque mihi propoſui.

TERTIA.

Nec verò terræ ferre omnes omnia possunt.

Cur enim quod Virgilius Mecœnati suo quondam proposuit, idem tibi Mecœnati meo, hoc tempore non reponam? Varia enim sunt (ut de cæteris taceam) literis deditorum hominum ingenia: Alii doctrinæ laudem (quæ nostra ætate Ciceronianorum fama fuit) scribendis epistolis consectantur, alii poëticam Venerem, & quidem ferè patria ac populari lingua potiús sequuntur: plurimi interpretandis magni nominis authoribus operam, sed ea lege tamen impendũt, ut muneris officiique sui partibus abundè satisfactum putent, si sentẽtias illustrent, interdum etiã licet improbabiles, attamen omni ratione tueantur, ac mordicús teneant: nonnulli, & hi quidem rariſſimi, non tantúm interpretes, sed judices & æstimatores rerum esse volunt: quæ propria quõdam veterum in omnibus artibus hominum gloria fuit, quæque nostra memoria reviviscere paulúlum cœpit. Grammaticam enim hodie, non dico Alexandri de Villa Dei clariús expositam, sed omninó Grammaticam elegãtiorem & lautiorem tenemus: In Mathematicis artibus accuratius aliquid, in Astrologia præsertim quotidie cernimus. Quid Galenum in Medicina? an Galli, Germani, Itali explicare tantúm, non etiam corrigere locis permultis & emendare voluerunt? In juris autem civilis prudentia homines ingenio & eruditione præstantes usitatam docendi formam penè to-

né totam mutaverunt: nec Jureconſultos interpretum veterum commento potiús, quám Jureconſultorum ipſorum verbis examinandis ac ſententiis via & ratione comparandis & deducendis interpretantur. Genus igitur iſtud docendi, Mecœnas, imprimis amplectimur & amamus, quo diſciplinæ non modó clariores, ſed humanæ vitæ commodiores & utiliores efficiuntur: quales aliquando ſpero te noſtris vigiliis ingenuas & liberales artes habiturũ. Hoc in Rhetoricis & Dialecticis ſtudiis cõmentationes noſtrę multos annos ſecutæ ſunt: Hoc item in Mathematicis elementis meditationes noſtræ jam ſequuntur: neque gratius aut optatius quicquam nobis unquam accidet, quám ut harum in cæteris artibus exercitationum labores nobis perferre liceat. Itaque ſi quid etiam eloquẽtiæ gratia profitemur, idipſum feré artis alicujus prętereá & doctrinæ gratia profitemur: Ut in Ciceronis Somnium, Fatum, Leges: ut modó in Virgilii Georgica fecimus: in quibus quæ præcepta tam multis contentionum & altercationum libris Ariſtoteles obſcuré diſputat, de ortu interituque rerum, de accretione & diminutione, de alteratione, de loci mutatione, ea per ſpecies rerum naturalium demonſtrantur, quomodo generantur, corrumpuntur, augentur, minuuntur, alterantur, loco moventur ſegetes, arbores, vites, boves, equi, oves, capræ, apes: denique res feré naturales omnes, quarum cognitionem neceſſitas humanæ vitę deſiderat. Quamobrem ut á quo præfationis initium ductum eſt, ab eodem concluſio petatur:

Tuque ades, inceptumque una decurre laborem,
O decus, ó famæ meritó pars maxima noſtræ
Mecœnas, pelagoque volans da vela patenti.

MORALIS PHILOSOPHIAE PRAEFATIONES.

PRIMA, TALÆI IN PRIMUM ARISTOTELIS ETHICUM.

REM magnam, & multorum hominum judiciis probatam, tibi, Cardinalis ampliſſime, proponimus, hominis beatitudinem ab Ariſtotele deſcriptam : qua, ſi vera eſt, majus homini & melius ab Ariſtotele tradi nihil poteſt : ſin falſa, verendum eſt, ne ſummi boni ſpecie in ſummum malũ incidamus. Itaque cúm ea de re primum Ariſtotelis Ethicum librum ad Nichomachum, ex Academiæ Pariſiẽſis inſtituto diſcipulis meis prælegerem, non ſolúm Dialecticam lucem, ſed etiam philoſophicam libertatem in vero falſoque & exquirendo & æſtimando adhibui, & ſummatim ſingulis de rebus quid verum & rectũ videretur, explicavi : diſputavíque contra Ethnicum & Paganum philoſophum, quæſtionis hujus & principium & extremum ignorantem : nam qui neſcit, aut non credit beatitudinẽ hominis á Deo proficiſci, & ad Deũ referri, is humanæ beatitudinis principium & extremum neſcit. At Ariſtoteles hoc ſine carceribus

& ſine

& ſine meta curriculum inſtituit. Etenim cúm genus hominum ſempiternum feciſſet, nec primum hominem á Deo creatum unquam ſibi perſuaſiſſet, huic errori impietas videlicet conſentanea fuit, ut homo principium ſuæ beatitudinis á Deo nullum duceret: cúmque idem ſummum hominis bonum hac caduca & mortali vita concluſiſſet, quaſi poſt mortem hominis nihil eſſet futurum, huic alteri errori ſimilis impietas cõſentanea fuit, ut homo ad Deum beatitudinis ſuæ exitum non referret: nec ab eo rectè factorum ſuorum præmium ullum expectaret. Neque veró ſolúm ejuſmodi ſine legitimis carceribus, & ſine legitima meta (quemadmodum dixi) curriculum inſtituit, ſed ita tortuoſum, aſperum, & lubricum inſtituit, ut in eo athleta nullus ſine lapſu graviſſimo, periculoſiſſimoque certare poſſit: neque quiſquam beatus Ariſtotelis beatitate futurus ſit, qui non idem ſempiterna miſeria & infœlicitate miſerrimus & infœliciſſimus ſit futurus: atque adeó homini Chriſtiano magnæ non ſolúm temeritatis, ſed impietatis culpa verenda eſt, ſi quis á tali philoſopho Chriſtianæ veritatis præſidium ullum petendum exiſtimet. Sed hæc ſuis locis melius á nobis diſputabuntur. Quare ad Ariſtotelem de beatitudine hominis philoſophantem veniamus.

SECUNDA, RAMI DE MORIBUS VETERUM GALLORUM.

INTEREA (MECOENAS) dum graviſſimis bellorum curis occupatus pro fratris victoriis

consilio & prudentia faustum & felix velut auspicium facis, musæ quoque nostræ (quod fortasse risurus es) etiam in umbra & otio, bellicum tamen nescio quod studium amavere. Prælegi professione publicâ é Cæsaris Commẽtariis præcipuos, reliquos privato studio perlegi, similiũq; generum locis comparandis, quædam mihi præter illum prælectionis quotidianum fructum, seperatim decerpenda proposui: Hujus igitur uberioris proventus testes duos ad te mitto, alterum de moribus veterum Gallorum, alterum de militia Cæsaris: prior iste majorum patrumque nostrorum vitam, prælia, disciplinas, religiones, jura Rerumpub. & leges cõmemorabit, avorumq; illorum memoriam tibi quidem non ignotam (qui fontes vnde hausimus, per te ipse nosti) sed tamen (ut spero) recordatione ac renovatione cognitionis & scientiæ non injucundam studiosé & explicaté recensebit. Amo patriam, sicuti debeo, ejusque præclaras laudes illustrari celebrarique maximé cupio: argumentum eruditis ingeniis gratissimum & imprimis propositum: sic á Græcis Græciam, Italis Italiam cæterisque nationibus patriam laudibus ornatam, edita monimenta declarant. Equidem moralem istam patriæ historiæ commentationem ad extremæ senectutis solatiũ mihi reservaveram, sed interim quod ultró Cæsar obtulisset, despiciendum non putavi: Itaque si vacabit, Cæsarianum hunc non potius diligentiæ nostræ testem, quám præconem de veterum Gallorum moribus prædicãtem audies. Vale, Lutetiæ é Præleo nostro, quinto Idus Decemb. 1558.

TERTIA,

TERTIA, RAMI DE CÆSARIS MILITIA.



ISI AD TE (MECOENAS) libellum de veterum Gallorum moribus, tibique hunc alterum de militia Cæſaris promiſeram, Quid Cardinali (inquies) cum iſtac arte? Ecquid (inquam) literarum profeſſori cum clypeo & enſe? Attamen quamvis & tua dignitas otii patrona & pofeſſio noſtra pacis alumna ſit, quid alienum tandem vel ineptum cenſeas quæ libris quatuordecim à maximo imperatore geſta bella perleguntur, eadem vno libello generatim digeſta perlegi? Nec enim confictam pro ingenio arbitrióve aliquam militiæ diſciplinam profiteor: ſed militiam Cæſaris ex ipſius rebus geſtis excerptam definité & partité commemoro, idque unum diligenter & accuraté contendo, ut quod de re militari jam olim literis mandatum & præceptis deſcriptum ſit, id Cæſaris virtutibus vel æquatum, vel etiam ſuperatum eſſe doceam. Tametſi enim non ſolúm veterum Græcorum & Latinorum, ſed etiã recentium & Italorum & Francorum præclaris ingeniis quæſtionem hanc agitatam & illuſtratam eſſe non ignoro: attamen ideæ hujus Cæſarianæ exemplar adhuc nemo (cujus quidem ſcripta legerim) ſibi ad imitandum propoſuit, ne tu munus noſtrum tanquam tralatitium deſpicias: Quod ſi triſtior in me duriorque eſſe voles, quia pacem mundo bellorum cladibus prope confecto con-

ciliasti, fratres tuos appellabo, atque imprimis illum πολίπορθον Ἀχιλλῆα, quem Caletium Britannis, Theonvilla Belgis, Quintinianæ cladis ultorũ una hyeme fecerunt. Hic vir, si nos aspernabere, nequaquam fastidiet: utrumque enim magni principis proprium est & bello pacem quærere, & in pace belli artes non cõtemnere. Quare aut accipe quod offertur, aut ad illum nos ire sinito. Vale. Lutetiæ é Prælleo nostro Non. April. 1559.

PETRI RAMI, ET AUDOMARI TALÆI *præfationes oratoriæ & Philosophicæ.*

PRIMA, RAMI DE CONJUNGENDA ELOQUENTIA *cum philosophia.*

GRAVIS illa Socratis querela fuit, Lector, execrantis eos qui primi utilitatem ab honestate sejunxissent: quod nos tam variis tamque multiplicibus in liberales artes scholiis perpetuó fere conquerimur & execramur, quod ab honestis & liberalibus disciplinis utilitas tam miseré separata sit. Sophistica quęstionaria superioribus proximis sæculis academias universi orbis occupaverat, ut omnes artes commodissime percipi exercerique putarentur, si de

iis

iis clamoſe diſputaretur: quæ perſuaſio cum diuturna conſuetudine inveteraſſet, difficillime ex animis hominum potuit evelli. Grammatica ut omnium artium minima infirmiſſimaque, ita fortiſſima ac fæliciſſima fuit, ut ſe ſe ab hac miſeria vindicaret. Nam ſi diebus ſingulis ordinarii ſtudii horæ ſint octo, vix octava præceptis artis cognoſcēdis & ediſcendis attribuitur: reliquæ omnes horæ conſumuntur in audiendis poëtis & oratoribus, in eorumque grammaticis laudibus ſcribendo loquendoque imitandis, ut paucis documentis exercitatione varia & aſſidua pueri grammatici, id eſt puri ſermonis artifices efficiantur. Itaque labor facillimus nobis hic fuit adverſus grāmaticos: Nam præcepta falſa perpauca fuerunt, uſus, autem veriſſimus judex ac magiſter omnibus loquendi ſtudioſis laudatus ac probatus: ut noſtra contentio nuſquam expeditior fuerit. Habet enim orbis terrarum innumerabiles Ariſtarchos, non ſolum grāmaticæ artis, ſed multo magis grammatici uſus peritiſſimos, qui barbarum vel inſolens verbum, qui verborum ſtructuram parum elegantem aut latinam aut etiam non Ciceronianam dijudicent. Ergo his judicibus facile ſit perſuaderi tota in verbis modorum, formarum, quarundam etiam perſonarum, item participiorum in dus futurorum decreta nil niſi barbara inertium & legitimi uſus imperitorum grammatiſtarum commenta eſſe. Deinde ordinis noſtri τεχνολογίαν tāto gratiorem juventuti & aptiorem eſſe, quanto pluribus partibus breviorem facilioremque diſciplinæ viam doceat. In Rhetoricis veró & Dialecticis labor ingens ac

propé desperatus videatur, adversus summos authores & tot sæculis veluti consecratos Ciceronẽ, Quintilianum, Aristotelem dicere: neque copia ut illic bene loquendi usu præstantium grammaticorum, ita hic bene dicendi beneque differendi excellentium oratorum vel logicorum tanta reperiatur: neque in ludum Isocratis aut Molonis, Aristotelis vivi aut Carneadis licet istam controversiã deducere, ut magister usus disceptator & judex adhibeatur. Habet tamen ætas nostra in plerisque academiis rhetoricas exercitationes & peripatetici generis logicas declamationes: habet præstantes omni genere eruditionis ac doctrinæ professores academiarumque moderatores: habet denique usum rhetoricum & logicum in Demosthenis, Ciceronis, Platonis, Aristotelis libris non adumbratum lineamentis, sed vivis coloribus expressum: huc igitur ex jure manu consertum voco, præceptaque rhetorica & logica exemplis utilibus omniumque rectè judicantium judicio spectatis & probatis spectanda & probanda, contraria ac repugnantia explodenda é scholis ejiciendaque esse contendo: Ciceronisque & Aristotelis artes Ciceronis & Aristotelis usu corrigendas & emendandas esse moneo. Verumenimvero in rhetoricis actiones monitionesque nostræ quia rhetoricus aliquis per academias usus increbuisset, ac velut acclamationes quasdam secũdas excitasset, æquioribus animis auscultatæ ac susceptæ sunt. Sophistica autem nescio cujus Eubulidis in academiis pene omnibus rabies tanta fuit, ut logicos de logico in poëtis, in oratoribus, in historicis in mathematicis, in

ticis, in philoſophis, in omnibus denique humanæ vitæ partibus, uſu, commonefacere propemodum idem eſſet, quod Urſos, quod Tigres quod Leopardos irritare. Meminiſſe horret quàm furioſa amentium hominnm tempeſtas in nos iſta fuerit, & tamen jam valde ſedari cœpit, patientiæque cõſtantia videmur aſſecuti, ut jam in academia qualibet exceptis pervicacibus paucis quibuſdam pervicaciam ſecum in ſepulchrum ſuum illaturis, nemo ſit qui humanum illum logicæ facultatis fructum non mirifice complectatur. Equidem in Germania multis doctrinæ & eruditionis nominibus celeberrima vehementer rem unam demiratus ſum. Rodolphus Agricola primus omnium poſt beata Græciæ Italiæque tempora eximium illum logicæ facultatis uſum revocavit, ut juventus à poëtis & oratoribus diſceret non ſolum pure loqui & ornate dicere, ſed de propoſitis rebus acute cogitare prudenterque judicare. Hos dialecticos tam inſignes, tamque amabiles fructus Joannes Sturmius ex Agricolæ ſchola Lutetiam Pariſiorum primus attulit, academiamque academiarum principem incredibili tam inſperatæ utilitatis deſiderio inflammavit: tum igitur tanto doctore logicam iſtam ubertatem primum deguſtavi, didicique longe alio fine conſilioque juventuti proponendam eſſe, quàm Eubulidea illa contentionis rabies perſuaſiſſet: nempe ut tenera ætas fieret exemplo & imitatione ſummorũ logicorum ingenio promptior ad pervidendum quidlibet cogitandumque, judicioque maturior ad decernẽdum ac judicandũ. Itaque mirabiles Agricolæ

laudes per universam Germaniã exortæ sunt, sed in academiis plerisque omnibus verborum laudes tantum fuerunt : reipsa & opere fere nemo Agricolam imitatur. Logicus inventionis judiciique usus ex distinctis argumenti cujusque generibus, ex argumentorum enuntiato, syllogismo, methodo, in nullo poëta, in nullo oratore observatur : tantum abest ut quotidiana & perpetua meditatione, scriptione, declamatione exerceatur. Eubulides solus in Aristotelis schola regnat & dominatur, tantumq; de jejunis aridisque præceptiũculis altercatur : Aristotelis theses á peripateticis discipulis nullæ declamantur : denique magister usus quem mihi quæstionis hujus universæ judicem expeto ac deposco, nullus in scholis plerisque admodum est, & idcirco á rabiosis Eubulidibus & logici usus plane imperitis atque expertibus studium nostrum improbatur. Nemo fere ad Eubulides istos accedit, qui non protinus Eubulideam logicam non etiam apodicticam commentetur, quanvis de usu logicæ nihil unquam cogitarit, quanvis apodixim geometriæ nullam unquam audierit : Quidam etiam apodictica exempla non modo aliena, sed sibi prorsus ignota, tamen audacissime huc afferunt : at grammaticæ magister barbarus irrideretur, & colaphis cæsus é cathedra merito deturbaretur. Plerique etiam, ne audire quidem vel attendere quidnam sit rei, sustinent, quos tamen de re ignota nihil pudet confidentissime judicare, quo de numero theologus quidam apud suos authoritatis primariæ non ita pridem narrabat Aristotelis logica innume-

numerabiles viros præſtantes effici, P. Rami logica nullum ſibi eſſe cognitum: Verum (inquam) eſt vir divine, qui Eubulideos clamores de aridis præceptiunculis ac plerumque ſophiſticis, te authore, neſcio quot annos altercati ſunt, præſtantes logici ſunt effecti, qui logicam poëtarum, oratorum, hiſtoricorum, mathematicorum, philoſophorum, omniumque excellentium hominum conſiliis judiciiſque congruentem didicerint, docente P. Ramo, & exercuerint, odioſi clamatores & importuni ſophiſtæ facti ſunt. Veh tibi paries dealbate, qui nigra dealbare tam belle ſoleas. Scripſit nuper quidam á P. Ramo methodum Platonicam probari, Ariſtotelicam contemni: hic vir alioqui nec malus nec indoctus P. Rami logicam de methodo nunquam legit. Petrus enim Ramus Platonis Ariſtoteliſque ſicut Hippocratis & Galeni omniumque omnino artificum methodum unicam eſſe demonſtrat, eamque ſequitur, & ab imperita methodorum multitudine vindicat. Quid multa? reſtitue, Sturmi præſtantiſſime, Germanis Agricolam quem Gallis dediſti, judicem illum doctrinarum cenſoremque (quem in logicis tantopere flagitamus) reſtitueris. Hic pro omni jure, pro omni lege ad logicam controverſiam diſceptandum uſum (ſat ſcio) tantummodo, authoritatem autem quamlibet ſacri philoſophi nullam ſpectabit. Uſus uſus (inquam) logicus in logicas ſcholas ingrediatur, ſophiſmata omnia prorſus exterminabit: quodq; nobis poëticis, oratoriis, mathematicis, philoſophicis exẽplis & tanquam vivis teſtimoniis perſuaſit, hoc

idem vel Eubulidi persuadebit: proponatur adolescentibus ad imitandum ut grammatica & rhetorica, sic logica Virgilii, Ciceronis, Homeri, Demosthenis, scripto & voce quotidianis meditationibus exerceatur, meditationes & exercitationes istæ in mathemata philosophiamque reliquam transferantur, controversia protinus nulla erit. Hanc igitur in scholis Virgilianam, Tullianā, Homericam, Demosthenicam, Mathematicam philosohiam, omnibusque hominum consiliis judiciisque usitatam non ab Aristotele vel á Ramo somniatam esse cupio. Sed reliqua persequere. Video libros Aristotelis quatuordecim physicos, octo acroamaticos, quatuor de cælo, duos de ortu & interitu, vix ac ne vix quidem physicæ veritatis totidem versiculis instructos, sed imprimis acroamaticos inanibus sophismatis, plurimis logicæ, nonnullis mathematicæ, quibusdam etiam theologiæ refertos. Socraticum igitur acroama exclamo, indignorque. Physica materia de rebus cælestibus solida est in Ptolemæo & Copernico, de metheoris in Aristotele, de metallis, plantis, animalibus in aliis Aristotelis libris, in Hippocrate, Platone, Theophrasto, Georgio Agricola, Matheolo: physica inquam materia certissimæ & veritatis & utilitatis ante oculos ampliſſima est, unde licet præcipua atque optima deducere & juventuti proponere. Quænam igitur humani judicii perversitas tanta est, ut oblatis frugibus lautissimis putri glande vesci lubeat? Usum igitur physicum & physicæ acroaseos magistrum in scholis physicis flagito, qui sophismatum physicorum delitias

litias tam inertes á juventutis institutione removeat, constantemque naturalium rerum doctrinã instituat. Postremó ad metaphysicam tanquam sacram divinitatis disciplinam aliquam accedo, ubi sophisticam omnium longe putidissimam reperio. E quatuordecim libris sic antea vix ac ne vix quidem quatuordecim versiculos de theologia, & quidem eos epicureæ impietatis pleniſſimos offendo. Cætera illa tam multa maximam partem Eubulideæ logicæ tapeta esse mathematicis quibusdam & physicis sophismatis exornata: & hic cum Socrate quiritamur, pró Deum hominumque fidem: an Germania Galliaque Cyprianis, Augustinis, Hieronimis destitutæ sunt, à quibus evangelicam theologiam perdiscant, nisi & metaphysicus iste pseudopropheta juventutem perditis atque impiis dogmatis imbuat? Quapropter evangeliũ sanctæ beneque moratæ vitæ magistrum huc imploro & invoco, & judices incorruptos liberosque secundum justitiam istam postulo, qui leges artium studiose quidem & accurate cognoverint, sed studiosius & accuratius exercuerint, qui scientiam præstantem, sed scientiæ usum præstantiorẽ magna diuturnaque cõsuetudine paraverint. Hos inquã judices postulo qui de grammaticæ, rhetoricæ, dialecticæ, physicæ, metaphysicæ libris tantũ probent, juventutique cognoscendum ediscendumque imperent, quantum certa utilitas vitæ & verus humanitatis usus exiget, Scholę mathematicæ suos alibi Socrates suasque querelas habuerũt. Vide igitur Lector utrum tu is judex fueris: tumque in tribunali sedeto, contrariisque rerum mo-

mentis diligenter examinatis sententiam perpendito dicitoque.

SECUNDA, RAMI IN EPIST. PLATONIS.

QUEMADMODUM discipuli mei rationem mihi quotidie reddũt: quid profecerint, quám attẽté audierint, quám studiose edidicerint, quám accuraté meditati sint: Sic ego tibi, Mecœnas, otii mei rationem explicãdam & probandam esse arbitror, quid præcipiam, quã meis præceptis exercitationem adhibeam: & quidem tanto impensius, quanto tu mihi, Mecœnas excellentior es, quám illis ego sim magister. Itaque post illud tuum in me beneficiũ (quo mihi meæ professionis pristinam libertatẽ restituisti) vides quæ sint artes, quæ sint exercitationes nostræ. Dialecticas institutiones non solúm ex veterum & philosophorum & oratorum institutis collectas, sed multó magis ex naturali usu observatas & depromptas, quemadmodum descripserim, cognovisti. Deinde veró, quám acri studio in omnẽ hujus disciplinæ exercitationẽ incubuerim, quid vis referam? Duplicem omnino exercendæ Dialecticæ viam esse docui: alteram in retexendis & cognoscendis aliorum sententiis, alteram in nostris exprimendis & confirmandis: cum utroque autem genere, Rhetoricæ dictionis usum copulandum esse monui. Has igitur dialecticas & rhetoricas meditationes cúm assiduæ prælectiones

nostræ,

noſtræ, tum imprimis animadverſiones Ariſtotelicæ ampliſſimo clariſſimoque teſtimonio declararunt. His enim totum illud Ariſtoteleæ logicæ tam multis libris confuſum organum (quod appellant) ſic ad dialecticæ & inventionis conſilium, & diſpoſitionis judicium ac methodum nō ſolúm luculenter retexui & explicavi, ſed cum naturali & contraria inſtitutione, tam perſpicuis, tamque conſtantibus argumentis comparavi, ut Ariſtoteleis horribile fuerit tantas in Ariſtotelis ſui mentem tenebras incidere potuiſſe: & dialecticæ artis lucem tam multis temporibus occultam fuiſſe. Eandem rationem Brutinæ quæſtiones deinde conſecutæ ſunt: in quibus Ciceronis & virtutes, quæ pueris eſſent imitandæ, ſine ſimulatione laudavi, & vitia, quæ declinanda viderentur, ſine diſſimulatione notavi & reprehendi. Idē in univerſum Quintilianū feci: nec nobis omnino multos jam per annos in poëtis, in oratoribus, in philoſophis exponendis & tractandis. dies feré ullus hac philoſophica & oratoria contentione vacuus fuit. Ecce verō proximis diebus cúm Platonis epiſtolas Græcé diſcipulis meis exponerem, eoſq; in ſingulis prælectionibus Latine reddendis exercerem, idem quoque ipſum præſtandum mihi propoſui, ut non ſolúm capita rerum ſuis argumentis explicarem, judicium notatis ſyllogiſmis indicarem, methodum quæ eſſet, oſtenderem, ſed etiam ſermone noſtro Platonē ipſum loquentem facerem. In quo ſiquid erit fidelius expreſſum, quám adhuc interpretibus notū fuerit, Jacobo Tuſano (cujus in Græcis literis inter-

pretandis, & intelligentia & industria pro merito nunquam satis laudari poterit, quemque, si fas esset, immortalem esse decuerat, ut tam excellenti doctore academia nostra perpetuó frueretur) & grata & libenti memoria acceptum refero. Ejus enim interpretationem ducē habuimus. Quamobrem vides, Mecœnas, professionis nostræ in docendo, interpretando, refellendo, confirmando, obseruando, scribendo diligentiam: pro cujus novo argumento has tibi Platonis Latinas epistolas esse volumus, quas tibi non solùm tanti philosophi nomine, sed etiam rerum ipsarum dignitate gratissimas fore confido. Summi enim principes regesque sunt Dion, Dionysius, Perdiccas, Dionis amici, de quibus hæ loquuntur epistolæ, totaq; feré disputatio est de optimo statu Reipublicæ, qua tum demum beatam Plato hic existimat futuram, cúm reges in ea philosophabuntur, aut philosophi regnabunt, legésque dominæ erūt hominum, non homines tyranni legum. Quid sancta illa Platonis monita de amicitia retinenda, de bona fama comparanda, de Theologia reverēter attingenda, de divina (qualis feré sacris literis traditur) trinitate, de animorum immortali natura, de justitia æterna, de augusta quadam regiæ majestatis specie atque forma, quomodo te afficient? Ego veró hac politicæ disciplinæ particula sic incensus sum, ut totam & Aristotelis & Platonis πολιτείαν hoc dialecticæ & rhetoricæ exercitationis genere persequi cuperem. Faxit Deus Optimus Maximus, ut quàm diutissimé labores istos ferre possim. Statui enim non prius in ulla

disciplinæ parte requiescere, quàm non solùm Dialecticam & inventionis & dispositionis rationem ab Aristotelis tenebris planè vindicaro, sed in cæteras quoque artes ejus usum lucémque deduxero: omninoque tuum de me restituendo judicium cùm verum & justum, tum Reipublicæ beneficium & salutare fuisse probavero.

TERTIA, TALÆI IN TRES LIBROS DE ORATORE.

TRES Ciceronis de Oratore dialogos (Carole Lotharinge Cardinalis) prælectionibus nostris expositos, cur in tuo potissimum nomine publicatos esse volui, si quis requirat, is nec observantiæ erga te meæ, nec oblati muneris rationem ullam habere videbitur: Etenim qui cum Petro Ramo fratre charissimo, meique amantissimo annos propè jam viginti communione voluntatum, studiorum, fortunarumque omnium arctissima conjunctus vixerim, possumne tua in illum singularia beneficia, non in me quoque collata judicare? Habuit academia Parisiensis cētum ab hinc annis tres magnas de constituendis philosophiæ studiis contentiones: omnesque pro legibus & institutis academiæ susceptas: nullam tamen Petri Rami contentione neque legibus convenientiorem, neque authori suo molestiorem & graviorē. Prima fuit anno 1473. Joanne Fanutio rectore academiæ, & contentionis ejus authore, ut Aristotelis libri, non barbarorum sophistarum commen-

tarii in ſcholis prælegerentur: juſtiſſima etiam tẽporibus illis poſtulatio pleriſque videbatur, ad eamque regis authoritas acceſſerat: attamen barbaries pervicit, & academia Pariſienſis Ariſtotele quanvis vel barbarum & ſordidum ſophiſtam commodiorem eſſe juventuti, & utiliorem, judicavit. Secunda contentio authore Jacobo Fabro Picardo Stapulenſi veterem querimoniam renovavit, nec authoritate principum, ſed magno diuturnæ profeſſionis labore pulſis ſophiſtis Ariſtotelem in ſcholas reduxit, ut legibus imperati & deſcripti libri juventuti prælegerentur. Tertiam Petri Rami, diligentia induſtriaque excitavit, qui magnam quidem laudem Fabro populari ſuo tribueret, quód Ariſtotelem legendum propoſuiſſet, ſed multó majorem laudem putaret Ariſtotelis philoſophiam non ſolúm legi, ſed cum judicio legi & commodo exerceri, phyſicã, rerum phyſicarum ortus, progreſſus, interitus tractando: ethicam, bene vivendo: logicam, bene diſſerendo, & excellentium hominum conſilia & judicia cognoſcẽdo & imitando, cúm præſertim ad eam rem ex inſtitutis academiæ dies annis ſingulis ducenti & viginti ſeptem omni prælectione philoſophiæ liberi & vacui concedantur. Attamen quãvis hæc contentio tam legitima eſſet, tamque votis omnibus optanda, horribile tamen eſt, invidiæ tempeſtatem & molem ab uno homine concitatam meminiſſe: imó veró ejus librum contra Petri Rami contentionem hanc divulgatum legere: Ita res veriſſima & utiliſſima tetris calumniarum tenebris offunditur. Ergo cúm tam laudabile

dabile Petri Rami ſtudium non ſolúm pro tua ſapiẽtia ab oppreſſionis fraude defenderis, ſed etiã regia profeſſione ornaveris, poſſúmne ullis officiorum muneribus debitam tibi obſervantiam ſatis teſtari, cúm te etiam licet ſummis Francici regni gubernaculis occupatiſſimum, tamen honeſtarum & laudatarum literarum ſtudiis tam libẽter occupari videam? Laudant te hujus ampliſſimi regni regiones atque provinciæ, cúm tuæ bonitatis & æquitatis auxilio levantur: at in perpetuum etiam exteræ gentes laudabunt, quæ per te non caducum fortunæ aut corporis aliquem fructum, ſed animi tantum, tamque omnibus mortalibus cõmune & optabile bonum fuerint aſſecutæ. Ergo ut philoſophiæ ſaltem in aliqua parte non ſolúm veram cognitionem, ſed etiam exercitationem, uſum, utilitatem, pro viribus nonnihil adjuvarem, &(ut logicis artibus conſilia præſtantium hominum judiciaque cognoſcenda ac perſpicienda eſſent) reipſa & exemplo docerẽ, propoſui mihi tres oratorios Ciceronis dialogos, in quibus cúm viderem ſeorſum inventionis, diſpoſitionis, memoriæ nomine non longé alias artes (ſi genera ſpectes) quám quæ Ariſtotelis topicis & analiticis continentur, inſtitui: elocutionis itẽ ſeparatim & actionis nomine veram rhetoricam definiri, Petri Rami, quæſtiones Brutinas & rhetoricas diſtinctiones imitatus, omnibus partibus præcipué id unum elaboravi, ut duarum artium diſtinctionem perpetuó retinerem, præcepta tantum neceſſaria, cognata, propria probarem, contraria notarem, ordinem & methodũ locis omni-

bus exquirerē: ut rhetorica & logica præceptis & regulis distinctæ, á pueris & facilius ediscerētur, utilius exercerētur, qui duo summi sunt in disciplinis fructus singulariter & unicé spectādi. In cæteris etiā intelligentiæ necessariis partibus, rerū historia, verborū interpretatione, quāvis á superioribus interpretibus studioſé tractatæ sint, nullā tamē negligētiam nostrā accusari volui. Quare hæc erit in oratoriis hisce tribus libris & logica luce clarioribus effectis, utilitas: sed enim etsi cōmoditas in distinctis artibus tanta non esset, tamē esset in ipsarū tractatione artiū differendi dicendiq; exemplū tam illustre propositū, ut vel ob eam causſam unicam totum volumen ad verbum pueris ediscendum esse judicem. Jovem philosophi dicebant, si Græcé loqui vellet, non alio sermone quám Platonis usurū: at verō tanto justius dicam Jovem, si de re ulla cum alio deo differere & colloqui vellet, non aliis quám Ciceronis dialogis & colloquiis usurum, quātó Romana civitas Atheniensi civitate major, Scævolaque & Crassus & Antonius majores Gorgia, Protagora, & reliquis Platonicis personis fuere: Tantus est in personis ipsis decor, tanta in sermone cujusq; dignitas, tāta in omni tractatione rerum & verborū moderatio & conformatio, ut nihil mirū sit, quod ait Guarinus, repertis primúm Ciceronis de Oratore libris, eloquentiam, quæ tot annos sepulta jacuerat, revixisse: horum siquidem librorum vel exemplis solis magnus orator possit effici. Quamobrem vigilias nostras, quibus tanti operis & ψυχολογίαν distinguere, & tractationem illustrare

conati

cõnati ſumus, cui potius offeram quám Petri Rami, quám etiam meo Mecœnati, imó quám academiæ Rhemenſis fundatori, quàm Pariſienſis regio tutori, quám omnium liberalium artium unico patrono ac ſingulari?

QUARTA, TALÆI IN TOPICA.

AMPLITUDO non ſolúm generis ac nominis tui, ſed multó magis bonitatis & virtutis tuæ excuſare factũ ſtudiúmque meũ debebit, ſi te forté importunius adeam, & tibi non admiranda aulicæ pompæ fercula, ſed ſcholaſtica puerilis otii pené crepundia nunc offeram: etenim, ut ait ille,

Offendunt nunquam thura precéſque Jovem.

ſed quó quiſque major eſt, eó ſe facilius ab omnibus oſervari colique patitur. Magnæ tibi ſunt opes, multi ſunt honores, regum & ſummorum pontificum judiciis tibi delati: Abbas, Epiſcopus, Archiepiſcopus, Cardinalis factus es. Stemmata generis & nobilitatis tuæ quid recenſeam, cúm Franci omnes familiæ tuæ tam vicinam coronam videamus, ut é Valeſio capite, in quo nunc alma reſidet, in nullum poſſit, niſi Borbonium caput excidere? Hæc in te omnia magna ſunt, ſed bonitas & comitas his omnibus bonis multó major: ampliſſimas habes opes, ſed tua liberalitate tamẽ longé minores: teſtes ſunt, qui tua benignitate tam multi fruuntur: maximos habes honores, ſed ma-

gnificentia tua tamen inferiores : teſtes ſunt, qui per te quotidie ad honorificas magnarum rerum curationes appellantur, Clariſſimũ, & ſupra quod in terris majus non eſt, regium genus habes: at animi tui ſingularis humanitas & gratia, fortunæ & parentum patrimonium non eſt: cœleſte & divinũ donum eſt. Quare quanto tam multis, támque eximiis bonis excellentior es, tanto mihi ad te liberiorem aditum ſpero, téque liberalius quicquid eſt, quo tibi obſervantiam noſtram ſignificare volumus, accepturum confido. Superioribus proximis diebus diſcipulis meis Topica Ciceronis explicavi: in eiſque non ſolúm quid author ille de topica arte ſentiret, omni diligentiæ ratione expoſui, ſed etiam quám proprié, diſtincté, veré, utiliter eam docuiſſet, dialectico ſyllogiſmo perpendi atque æſtimavi: & illam dialecticæ lucem ac veritatem (quam frater meus Petrus Ramus ex Ariſtotelicis tenebris maxima literarum felicitate liberavit) in judicio & ordine rerum conſiderando adhibui, ut lectores, cúm in magnorum hominum commentationes inciderint, animadvertant, quæ vera & commoda ſint, & in his induſtriam feliciter exerceant, non quicquid legerint, ſine delectu protinus arripiãt, & in his miſeré operam oleumque perdant. Hoc liberum philoſophandi genus primúm in rhetoricis artibus definiendis, in Academicis poſtea Ciceronis quæſtionibus, deinde in Ariſtotelis ethico de felicitate ſic exercui: & in oratoriis Ciceronis dialogis exercere inſtitui: ut quemadmodum in mathematicis artibus pro demonſtratione nullius hominis, ſed firmæ rationis

duntaxat authoritas ſpectatur: ſic mihi non Ariſtotelis modo, non Ciceronis ſententia, ſed multó magis ipſarum rerum veritas & publica honeſtorum ſtudiorum utilitas proponatur. Quamobrem, Cardinalis illuſtriſſime & generoſiſſime, hoc levidenſe videlicet noſtrum munus eſt: quod ſi tibi placuiſſe percepero, dabis animum ad pleraſque alias honeſtæ diſciplinæ partes illuſtrādas alacriorem. Vale datum Lutetiæ ſexto Cal. Novembris. 1550.

QUINTA, ACADEMIA TALÆI.

ITSI SATIS ſcio, Cardinalis illuſtriſſime, Petrum Ramum fratrē meum Ariſtotelicæ oppreſſionis invidia per te liberatum, majores tibi & uberiores gratias agere, cōmunis tamen cum illo beneficii non communem lætitiam exiſtimare non potui, cúm perpetuó unus utrique noſtrum, idemque victus & cultus fuerit. Ut autem tantopere tuis iſtis erga nos meritis lætemur, vitæ noſtræ communis inſtitutio efficit: nam commune utriuſque noſtrum ſtudiū, & inſtitutum fuit, ut veterem in erudienda juventute diſciplinam jampridem obſoletam revocaremus, ut conjūctis eloquentiæ & ſapientiæ ſtudiis, juventus diſceret de rebus propoſitis non ſolúm ſubtiliter & acuté ſentire, ſed graviter & ornaté dicere, & artium ſubtilitatem eatenus probare, quoad uſus popularis, & humanæ prudentiæ ratio poſtularet. Itaque cúm duplex error in ſcholas jampridem invaſiſſet, non ſolúm quód philoſophi,

qui tum erant, eloquentiam ita fugerant, quasi rē à philosophia prorsus abhorrētem: sed etiam quód totam philosophiam, & imprimis dialecticam vanis & inutilibus scholasticarum altercationum argutiis plané sophisticam effecerāt: Petrus Ramus magno Reipub. studio certamen sibi quidem, ut ipse præsagiebat, periculosum & grave, sed tamen publicis studiis salutare contra hæc vitia suscepit: quos conatus, licet honestissimos quàm inhonesta fraus, quáque fœda calumnia consecūta sit, cū tu ipse indignissimé tuleris, tandemque pro tua singulari virtute vindicaveris, quid necesse est hoc tempore recensere? præsertim cúm hi qui se huic causſæ tam acres aduersarios præbuerunt, satis intelligant, quàm malis artibus potentiam suam ostentarint, vel potius ne ostentarint quidem: non enim magna potentia fuit, cúm principis authoritatem improbis criminibus induxissent, Petro Ramo os occludere, manus ligare, sapientiæ studia prohibere, maledictis omnibus, & conviciis & probris privatim publicé & insultare: sed multó major & verior potentia fuisset, multos, pro uno, Ramos ad docendum, scribendum, omnes philosophiæ partes illustrandum præmio & laude excitare. quibus tamen stimulis non fracti aut retardati, sed vehementius ad omnes partes optimi & sanctissimi consilii nostri persequendas incitati sumus. Quid autem frater meus effecerit, magno industriæ suæ & amplo testimonio tibi in dialecticis institutionibus & Aristotelicis animadversionib⁹ declaravit: ego verò pro mea parte curavi, ut istam quoque rationem adjuvarem: nam ut homines

pertinaces

pertinaces, & certis opinionibus in philoſophia mancipati, addictique indigna ſervitute liberarentur, intelligerentque verum philoſophandi genus judicio & æſtimatione rerum liberum eſſe, non autem opinione & affectione conſtrictum, libellum quendam Academiæ nomine ex aliquot Ciceronis locis deſcripſi, & Academicum Ciceronis fragmentum de quatuor Academicis libris reliquum alio ſeparatim libello explicavi. Accipies igitur, Cardinalis illuſtriſſime, geminum laborem & Academiæ, & Academici fragmenti tibi dedicatum laborem, inquam, teſtem dediti tibi animi, incenſique non ſolùm tua ſingulari in fratrem meum Petrum Ramum benevolentia, ſed etiam obſervantia tuis maximis & nobiliſſimis virtutibus debita.

In explicatione igitur quæſtionis Academicæ primùm rem ipſam definiam, deinde partes conſtituam, poſtremò quid inter Academicos & reliquos Philoſophos interſit, oſtendam.

Academia, ut ait Suidas, gymnaſium erat Athenis ſuburbanum & nemoroſum, ubi Plato morabatur, & docebat, ab Ecademo quodam heroe nominatum: primùm autem per, E, Ecademia dicebatur. Ariſtophanes in nubibus,

Sed in Ecademiam deſcendens ſub oleis curres
Arundine coronatus alba, cum modeſto æquali tuo
Milacem redolens, & apragmoſynen, & populum
alba dimittentem folia.
Gaudens veris tempore cum platanus ulmus ſuſurrat.

Tria erant Athenis gymnaſia, Academia, Lyceũ, Cynoſarges. Academia ab Academo qui eam

condidit: & neutro genere Academium: dicitur etiam Academia amicorum cœtus, & consuetudo.

Hesichius.

Academia, balneum aut civitas: dicitur etiam gymnasium Athenis ab Academo authore, & locus Ceramicus eodem nomine. hinc Platonis æmuli, sectatoresque Academici nominati. Cicero, Qui autem (ait) Platonis instituto in Academia quod est alterum gymnasium, cœtus erant & sermones habere soliti, ex loci vocabulo nomen habuerunt. Atque hæc descriptio Academiæ notatióque sit: Academicorum species quæ sint, deinceps videamus.

Eorum igitur philosophorum qui Platonis instituto in Academia permanserunt, alii veteres dicuntur, alii novi.

Veteres á Platone numerantur usque ad Archesilam, Speusippus, Xenocrates, Polemo, Crates, Crantor, qui in Academia Platonis decreta quædam sua tradebant, omissa pené vetere disserendi, philosophandique modestia: sic enim de Academicis & Peripateticis Cicero confirmat. Sed utrique Platonis ubertate completi certam quandam formulam disciplinæ composuerunt, & eam quidem plenam ac refertam: illam autem Socraticam dubitationem de omnibus rebus, & nulla adhibita affirmatione consuetudinem disserēdi reliquerunt: ita facta est disserendi (quod minimé Socrates probabat) ars quædam philosophiæ, & rerum ordo, & descriptio disciplinæ. In illis igitur Academicis veteribus Academica disserendi consuetudo videtur enervata, fractaque jam fuisse, qui non

cum

cum Socrate, & Platone philoſophiam in ratione & veritate conſtitutam, ſed multó magis in ſua opinione atqúe authoritate, quaſi præclaré fundatam reliquerunt, & tanquam in civitate leges & decreta ſanxerunt, quibus neceſſarió credendum, parendumque eſſet.

Novi autem Academici á Crantore uſque ad Ciceronem nominantur hoc ordine, Archeſilas, Lacydes, Evander, Egeſinus, Carneades, Clitomachus, Philo, Cicero: ſic enim Lucullus apud Ciceronem de Archeſila, Cujus primo (ait) non admodum probata ratio (quanquam floruit tum acumine ingenii, tum admirabili quodam lepore dicendi) proximé á Lacyde ſolo retenta eſt, póſt autem confecta á Carneade, qui eſt quartus ab Archeſila: audivit enim Egeſinum qui Evādrum audierat Lacydis diſcipulum, cúm Archeſilæ Lacydes fuiſſet: ſed ipſe Carneades diu tenuit: nam nonaginta vixit annos: & qui illum audierant, admodum floruerunt: é quibus induſtriæ plurimúm in Clitomacho fuit: declarat multitudo librorum ingenii non minus in hoc, quám in Carneade eloquentiæ, in Melonthio Rhodio ſuavitatis. Bene autem noſſe Carneadem Stratoniceus Metrodorus putabatur: jam Clitomacho Philo noſter operam multos annos dedit: Philone autem vivo patrociniũ Academiæ non defuit. Horum novorum Academicorum inſtitutum erat de rebus obſcuris utrinque diſputare, philoſophorum placita, non deorum oracula putare, nullam ſcholam perpetuó ſequi, & tamen in omnibus ſcholis, quod verum aut veriſimile videretur,

liberé ſequi: Defendat quidem, ait Cicero, quod quiſque ſentiat: ſunt enim libera hominum judicia: nos inſtitutum tenebimus, nulliſque ullius diſciplinæ legibus aſtricti, quibus in philoſophia neceſſarió pareamus: quid ſit in quaq; re maximé probabile, ſemper requiremus. Idem, Cum Academicis incerta luctatio eſt, qui nihil affirmant, & quaſi deſperata cognitione certi, id ſequi volunt, quodcunqne veriſimile videatur. Idem, Geram, ait, tibi morem, & ea quæ vis, ut potero, explicabo: nec tamen quaſi Pythius Apollo certa ut ſint, & fixa, quæ dixero, ſed ut homunculus unus é multis probabilia conjectura ſequens: ultrá enim quó progrediar, quám ut veriſimilia videram, non habeo: certa dicent hi qui & percipi poſſe dicunt, & ſe ſapientes profitentur.

Hæc eſt Academiæ novæ adumbrata quædam deſcriptio, quæ tamen non noua, ſed vetus videtur potiús appellanda, cúm iſto modo Democritus, Anaxagoras, Empedocles, Socrates, Plato diſputarint, & eorum conſuetudinem qui novi dicuntur, poſtea revocarint. Cicero, Cum Zenone, ait, Arceſilas ſibi omne certamen inſtituit, non pertinacia, aut ſtudio vincendi, ſed earum rérum obſcuritate, quæ ad confeſſionem ignorationis adduxerunt Socratem, & veluti amantes Socratem, Democritū, Anaxagoram, Empedoclem, omnes pené veteres, qui nihil cognoſci, nihil percipi, nihil ſciri poſſe dixerunt anguſtos ſenſus, imbecillos animos, brevia curricula vitæ, &, ut Democritus, in profundo veritatē eſſe demerſam, opinionibus & inſtitutis omnia teneri,

nihil

nihil teneri, nihil veritati relinqui, deinceps omnia tenebris circunfusa esse dixerunt: itaque Arcesilas negabat esse quicquam, quod sciri posset, ne illud quidem ipsum, quod Socrates sibi reliquisset: sic omnia latere censebat in occulto, neque esse quicquam, quod cerni, aut intelligi posset, quibus de caussis nihil oportere neque profiteri, neque affirmare quenquam, neque assertione approbare, cohibereque semper, & ab omni lapsu continere temeritatem, quæ tum insignis esset, cúm aut falsa, aut incognita res approbaretur: neque hoc quicquam esset turpius, quám cognitioni & perceptioni assertionem approbationemque præcurrere: huc, rationi quod erat consentaneum, faciebat, ut contra omnium sententias dies jam pleroſque deduceret, ut cúm in eadem re paria contrariis in partibus momenta rationum invenirentur, facilius ab utraque parte assertio sustineretur. Hanc Academiam novam appellãt, quæ mihi videtur vetus: siquidem Platonẽ ex illa vetere Academia numeramus, in cujus libris nihil affirmatur, & in utranq; partẽ multa disseruntur, de omnibus quæritur, nihil certi dicitur: sed tamẽ illa, quã exposui, vetus, hæc nova nominetur, quæ usque ad Carneadem perducta, qui quartus ab Arcesila fuit, in eadem Arcesilæ ratione permansit. Idem, Hæc in philosophia ratio cõtra omnia disserendi, nullamque rem aperté judicandi profecta á Socrate, repetita ab Arcesila, cõfirmata á Carneade ad nostrã usque viguit ætatẽ. Hæc igitur unica fuit antiquorum & primorum philosophorum sapientia, hoc unum arbitrari se

ſcire, quod nihil ſcirent: nam cùm ſapientia ſit rerum divinarum & humanarum, cauſſarúmque, quibus hæ continentur, cognitio, quænam tum ſapientia potuit eſſe nondum inveſtigatis rerum cauſſis, nondum inventis & deſcriptis artium diſciplinis? neque tamen illos latuit ſolem eſſe luminoſum, aut ignem calidum, aut aurum fulvum, ſed cauſſas earum rerum ſicut reliquarum, quæ in philoſophia diſputabantur, hominibus ignotas eſſe dicebant, quarum inſpectione, perfectaque cogitatione ſapiẽtia conſtaret: in quam confeſſionem ignorantiæ Socrates adductus impudentiſſimos ſui temporis Sophiſtas exagitare ſolitus eſt, qui arrogantiſſimis verbis ſapientiam, cujus erant penitus ignari, privatim publiceque polliceri auderent, neque tamen rerum obſcuritas vehemens ejus in philoſophia ſtudium retardavit. Cicero, Neque tamen Socrates, atque veteres illi ab inventione earũ rerum quæ latebant, deterriti ſunt, aut alios deterruerunt. Idem, Etſi enim cognitio multis eſt obſtructa difficultatibus, ea quidem eſt & in ipſis rebus obſcuritas, & in judiciis noſtris infirmitas, ut non ſine cauſſa antiquiſſimi & doctiſſimi ſe quod cuperent invenire diffiſi ſint, tamen nec illi defecerunt, neque nos ſtudium exquirendi defatigati relinquemus. Poſtea cùm eſſent in Græcia multæ ac variæ altercantium inter ſe philoſophorum ſcholæ, turbulentæque opinionum ſeditiones, quemadmodum antea modeſtiſſimus Socrates cum arrogantiſſimis ſophiſtis, ſic Socraticus Archeſilas cum Peripateticis, Stoicis, Epicureis, quorum contentiones inaniſſimas ſa-

pientiæ

pientiæ & veritatis, fraudis veró & ſtultitiæ plenissimas videbat, ſibi omne certamen inſtituit, priſtinumque philoſophandi morem, qui longé ſanctiſſimus & optimus erat, & ad eruendam rerũ obſcurarum veritatem accommodatiſſimus, reſtituit, ut ex Ciceronẽ conſtat. Sed tamen & illum (ait) quem nominavi, & cæteros ſophiſtas, ut ex Platone intelligi poteſt, luſos videmus á Socrate: is enim percontando, atque interrogando elicere ſolebat eorum opiniones, quibuſcum diſſerebat, ut ad ea quæ ipſi reſpondiſſent, ſiquid videretur, diceret. qui mos cúm á poſterioribus non eſſet rerentus, Archeſilas eum revocavit, inſtituitque, ut hi qui audire vellent, non de ſe quærerent, ſed ipſi dicerent, quid ſentirent: quod cúm illi dixiſſent, ille contra: ſed qui audiebant, quoad poterant, defendebant ſuam ſententiam: apud cæteros autem philoſophos qui quæſivit aliquid, tacet. Archeſilas autem á reliquis philoſophis, qui ſe ſcire multa profitebantur, valde diſſentiens, duas res imprimis á vera philoſophia removendas eſſe cenſebat, κατάληψιν, id eſt comprehenſionem, & συγκατάθεσιν, id eſt aſſenſionẽ & approbationẽ, quamvis enim multa vera eſſent, quæ ſenſibus aut animo continerentur, ea tamen á philoſophis comprehendi negabat, id eſt certa, & penitùs exploratis cauſſis perſpecta, & nunquam fallente veritate cognoſci. Itaque in motionibus ſenſuum, & animorum opinionem tantum relinquebat, ſcientiam tollebat, nec eam tam multis ſeculis ulla omnino in re à quoquam homine aut inventam, aut perceptam eſſe arbitrabatur: cumq; philoſophia tres

in partes esset divisa, physicã, moralem, dialecticam: ostẽdebat primúm rationes de natura, & rebus occultis ex conjectura tantúm, & ea quidẽ leviſſima pendére, quæ Thaletis, Anaximãdri, Anaximenis, Anaxagoræ, Parmenidis, Democriti, Empedoclis, Heracliti, Meliſſi, Platonis, Ariſtotelis, aliorumq; phyſicorũ diſputationibus huc & illuc diſtrahũtur: deinde bonorum & malorũ notionẽ eſſe cõfuſam & perturbatã, quę tam variẽ ab Academicis, Epicureis, Stoicis, Magaricis, Eretriacis, Heriliis, diſceptatur, ut ſatis cõſtet illud quod incertũ eſt, nec evidẽti veritate patefactũ, á philoſophis temeré & impudẽter affirmari. Poſtremó, ne in dialecticis quidẽ ullum veſtigium veræ, & conſtãtis ſcientiæ reperiebat, cúm de judicio ipſo veritatis inter Protagoram, Platonem, Epicurum, reliquos dialecticos, magna eſſet orta contentio. Cúm igitur in omni parte philoſophiæ omnia opinionibus & inſtitutis tenerentur, nec in ſcholis philoſophorum quicquam certa ſcientia & veritate teneretur, hinc Archeſilea illa ἐποχὴ, id eſt aſſenſionis retentio, nata eſt, in qua ſapienter permanſit Archeſilas, qui nihil in tam multis, & variis philoſophorum decretis certum, ratum, firmum, comprehenſum vidit, quod ſine ulla dubitatione poſſet affirmare. Quamobrem quantum certamẽ veris & modeſtis philoſophis contra fallaces, & impudentes ſophiſtas perpetuó fuerit, hinc apparet: Democritus, Anaxagoras, Empedocles, modeſtiã illam philoſophandi, & nihil temeré decernendi prudentiam tenuerunt: Gorgias, Protagoras, cæteraque ſophiſtarum turba illius ſapientiæ vanum nomen,

nomen, quám veram laudem maluerunt: & quantum vanitas efficere potuit, labefactarunt. His se Socrates summo studio opposuit, ab eorumque impudentia veterem philosophandi morem vindicavit: cujus omnis philosophia veritatis inquisitio fuit, non affirmatio: talesque sunt ejus omnes interrogationes apud Platonem & Xenophontẽ, partim ad refellendum arrogantiam sophistarum, partim ad discendum quod ipse nesciebat, compositæ. Socratis consuetudinem Plato non solúm tenuit & probavit, sed mirificé auxit atque amplificavit: post quem rursum in scholasticis altercationibus periclitari cœpit, cúm sibi quisque sua scita & edicta promulgaret, quæ sequerentur hi, qui se in eam scholæ servitutem nulla legitimæ causſæ, aut rationis persuasione adhibita dedissent: hinc Peripatetici á Stoicis, & Stoici ab Epicureis, & Epicurei ab utrisque de Deo, de natura, de summo hominis bono, de studiis artium, id est de omni sapientiæ regno dissensiones extiterunt: in quibus sua quisque ut verissima, certissimaque defendit: cúm tamen in tam varia contradictione satis constet plus uno, aut potius nihil omnino verum esse. Contra hos igitur homines Archesilas, cæterique viriliter & fortiter Socratis exẽplo, & virtute sese armarunt, ut nos ab eorum latrunculorum servitute liberarẽt, & in naturæ, quam veteres illi summopere probaverant, libertatem præstantiamque restituerent: est enim veræ philosophiæ propriũ, homines ab opinione ad veritatem, á sensibus ad mentem, á singulis rebus ad universitatem, à caducis & mortalibus ad constantiam & æternitatem

convertere: contrá veró Sophiſtæ illi ad ſenſus & opiniones nos tanquam pecudes alligant. At diſcipulum, inquies, credulum eſſe oportet: liberalem, modeſtum, benevolum, attentum, diligentem, docilem, intelligétem eſſe oportet: credulum in philoſophia non oportet: tu enim mihi præceptor ignarus, imperitus, rudis, infans, flagitioſus etiam, & ſceleratus ſis, an tibi in tuis erroribus & flagitiis credulum diſcipulum putas eſſe oportere? tu diſcipulo tuo opiniones mendaces plerunque & falſas pro catholicis & indubitatis proponas, & vetes ne cauſſam aut rationem ullam eorum requirat, ſed tuam authoritatem pro omni veritate habeat? ſic enim diſcipulum tanquam ſervum moroſo domino addictum, judicio arbitrióque carentem ſuo inſtituis, & ſtultiſſimam diſcipuli perſonam in philoſophiam inducis: nec veró artes & diſciplinæ ob id traduntur puero, ut ab eo credantur, ſed ut cauſſis omnibus diligentiſſime & accuratiſſime perſpectis, ingenium ejus & judicium confirmetur. Atque ut animadvertatur diligentius, & attendatur quod dicturus ſum (magnum enim & graue eſt, & minime fortaſſe in hac diſputatione ſperatum) dico & confirmo, quod non facerem in re levi, crimenque temeritatis pertimeſcerem. dico, inquam, & confirmo, credulitatem iſtam in philoſophia principium & fontem infiniti erroris extitiſſe. Epicurus hoc ſibi fundamentum ad ſtultiſſimam fœdiſſimamque ſententiam de deorum noncurantia, de animæ interitu, de voluptate confirmandam aſſumpſit, ut ſibi nullam rationē reddendi á diſcipulis crederetur: atque omnino ne

qua

qua judicandi poteſtas eſſet, non modó Academicam, verumetiam dialecticam omnem diſſerendi rationem de medio ſuſtulit: Epicurus, ait Cicero, totam dialecticam contemnit & irridet: & eodem libro, jam in altera philoſophię parte, quæ eſt quęrendi ac diſſerendi, quæ λογικὴ dicitur, iſte veſter plané, ut mihi quidem videtur, inermis & nudus eſt: tollit definitiones, nihil de dividendo ac patiēdo docet: non quomodo efficiatur, concludaturque ratio, tradit: non qua via captioſa ſolvantur, ambigua diſtinguantur, oſtendit: judicia rerum in ſenſibus ponit, quibus ſi ſemel aliquid falſi pro vero probatum ſit, ſublatum eſſe omne judicium veri & falſi putat. Hoc ſibi erroris principium Ariſtoteles commune cum Epicuro poſuit: qui cúm Platonis præceptoris ſui veriſſima & ſanctiſſima dicentis ſententiis non credidiſſet, credulitatem tamen iſtam á ſuis diſcipulis tribui ſibi poſtulavit: & iniquum eſſe judicavit, ut contra ſua principia, cúm tamen omnium antiquorum philoſophorū principia calumniatus eſſet, diſputaretur, videlicet ut non modó nulla ratione, ſed contra omnem rationem & veritatem diſcipuli ejus crederent, quæ ab eo falſo & impié tradita ſunt. Plato docuerat mundum á Deo conditum, quæ præcipua eſt Dei optimi maximi gloria: at creduli Ariſtotelei id falſum putant: Ariſtotelis enim principium contrarium eſt. Plato providentia Dei omnipotentis mundum regi & gubernari dixit: at creduli Ariſtotelei derident, quoniam Ariſtotelis de fato, ut Cicero teſtis eſt, ſententia repugnat. Plato putavit animam immortalem eſſe, idque multis rationi-

bus & argumentis confirmavit, at idiotam Platonem creduli Aristotelei existimant, quoniã (quod etiam ejus subtiles interpretes confirmant) Aristoteli immortalitas animæ displicuit. Plato hominis fœlicitatem á Deo accipi, & ad Deum referri docuit: at creduli Aristotelei, quoniam Aristoteles Platonis illam sententiam captiose & impié calumniatus est, & principium & finem fœlicitatis humanæ Deo detrahent, hominique non minus arroganter, quám insipienter attribuent. Nihil necesse est infinitos humanarum opinionum errores commemorare, quæ non alio quám hujus stultæ credulitatis principio innituntur. Quid ergo? nullane in re fides sine certa ratione, argumentoque perspicuo laudanda erit? Imó verò divinis in rebus plus certa firmaque fides ponderis habebit, quám omnes omnium philosophorum disputationes: hæc autem de humana philosophia contentio nostra est, in qua prius est cognoscendum, ut credas: in divinis autem, quæ humana intelligentia superiora sunt, fidendum credendumque est, ut postea cognoscas. Sed satis multa de duobus Academicorum generibus: de eorum etiam institutis nimis fortasse multa. Venio ad genus orationis, quo in suis disputationibus usi sunt. Utriusque igitur Academiæ duas fuisse communes disputationis vias & rationes libri Platonis & Ciceronis testantur: unam qua res dubiæ & controversæ utrinque disceptarentur: alteram qua probabiles disputationes præceptis & institutionibus perpetuis explicarentur: priorem dialogi Platonis de moribus, & Ciceronis

nis de finibus: posterioré Timæus ille Platonis, & tres Ciceronis libri de Officiis declarant, & Quintilianus: Sunt alii, inquit, Socratis sermones ad coarguendos, qui contra disputant, compositi, quos ἐλεγκτικοὺς vocant, alii ad præcipiendū, qui δογματικοὶ appellantur. Ac si quis imaginem aliquam humanæ prudentiæ factis hominum expressam contempletur, illam priorem contradictionis consuetudinem animaduertet in privatis & publicis negotiis versari. Nam si cui difficilis & gravis proponitur deliberatio, non prius statuit de reipsa, quám contraria inter se personarū, negotiorum, locorum, temporum momenta cōtulerit: nec sapientes judices prius sententiam de reo ferūt, quám caussam ab oratoribus utriusque partis concertatam, disputatamq; audierint, ut ex pugnantium argumentorū comparatione verum, aut ex omnibus maximé verisimile quantum licet humana prudentia, possint elicere. Quare nulla caussa est, cur mirentur homines Ciceroné in examine veritatis pro Epicureis, & adversus Epicureos: pro Stoicis, & contra Stoicos: pro Peripateticis, & contra Peripateticos contrarias orationes instituisse. Etenim cúm discrepantium illorum philosophorum sententiæ satis argumento essent, omnes stultitia & temeritate lapsos fuisse, quód res non satis exploratas affirmare auderent, sapienter ille á rebus controversis assensionem, judiciúmque cohibuit: Quid enim (ut ait) temeritate turpius? aut quid tam temerarium, támque indignum gravitate sapientis, atque constantia, quám aut falsum sentire, aut quod non

ſatis exploraté perceptum ſit, aut cognitum, ſine ulla dubitatione defendere? Hoc antiquiſſimum, & pené cum philoſophia natum Academiæ inſtitutum, cum per univerſum terrarum orbem divulgatum, receptumque, tum Lutetiæ in ſcholis Theologorum, Medicorum, Jureconſultorum, Philoſophorum á multis annis probatum, celebratumque eſt, quod maximum momentum habet, ut veritas, aut ſaltem probabilitas aliqua his contrariis diſputationibus in omni re propoſita cognoſci poſſit. Cicero, Neque noſtræ diſputationes quicquam aliud agunt, niſi ut in utranque partem dicendo & audiendo eliciant, & tanquam exprimant aliquid, quod aut ſit verum, aut ad id quám proxime accedat. Idem, Contra autē omnia diſputatur á noſtris, quod hoc ipſum probabile elucere non poſſit, niſi ex utraque parte cauſſarum facta eſſet contentio. quod etiam in ſtudiorum ſuorum mentione Horatius nobis obiter indicavit.

Adjecere bonæ pauló plus artis Athenæ.
Scilicet ut poſſem curvo dignoſcere rectum:
Atque inter ſylvas Academi quærere verum.

Ideoque, quod veræ ſolidæque laudis argumentum eſt, gymnaſia tot locis, tot regionibus inſtituta, non Lycæa Peripateticorū, non porticus Stoicorum, non horti Epicureorum, ſed nomine ipſo conſentiente cum Academica veritate Academiæ nominantur. Primus itaque diſſerendi modus in contrarias partes hic fuit. Secundus autem ab Academicis in philoſophando adhibitus eſt, quó præceptis ea includerent, quibus erant propter a-

liquam

liquam probabilitatem assensi: neque tamen suam sententiam tanquam ab aliquo Deo, sed tanquam ab homine profectam videri vellent, retinerentque perpetuó libertatem illam mentibus nostris insitam de omnibus rebus ad suum, non alienum arbitrium judicandi, nec tanquam de coloribus per alienos oculos, sed per proprios, & suos æstimandi. Itaque Cicero cúm rem aliquam in philosophia perpetua oratione docet, liberé dicit quæ sentit, & parem judicandi potestatem cæteris relinquit, sumit ab unoquoque quod verum aut verisimile putat. Sequemur igitur, ait, hoc quidem tempore, & in hac quæstione Stoicos, non ut interpretes: sed, ut solemus, é fontibus eorum judicio, arbitrioque nostro quantum, quoque modo videbitur, hauriemus. Et alio loco: Occurritur autem nobis, & quidem á doctis & eruditis, quærentibus satisne constanter facere videamur, qui cúm nihil percipi posse dicamus, tamen & de aliis rebus disserere soleamus, & hoc ipso tempore præcepta officii persequamur. Quibus vellem cognita esset satis nostra sententia: non enim sumus ii, quorum vagetur animus errore, nec habeat unquam quid sequatur. Quæ enim esset ista mens, vel quæ vita potius, non modó disputandi, sed etiam vivendi ratione sublata? nos autem, ut cæteri, alia certa, alia incerta esse dicunt, sic ab iis dissentientes alia probabilia, alia contrá non probabilia esse dicimus. Quid est ergo, quod me impediat ea quæ mihi probabilia videntur, sequi: quæ contrá, improbare, atque affirmandi arrogantiam vitantem fugere temeritatem, quæ à sapientia dissidet

plurimum? Idem, Dictum eſt omnino de hac re alio loco diligentius, ſed quia nimis indociles quidam, tardique ſunt admonendi videntur ſæpius: non enim ſumus ii, quibus nihil verum eſſe videatur, ſed hi qui omnibus veris falſa quædam adjuncta eſſe dicamus, tanta ſimilitudine, ut in iis nulla inſit judicandi & aſſentiendi nota. Ex quo exiſtit & illud, certa eſſe probabilia multa, quæ quanquá non perciperentur, tamen quia viſum quendam habent inſignem & illuſtrem, his ſapientis vita regeretur. Atque hæc de Academicis differendi generibus. Nunc itaque Academicorum differentiá á reliquis philoſophis intelligere plané poſſumus: Academici enim tantum diſtant á reliquis philoſophis, quantum liberi á ſervis, ſapientes à temerariis, conſtantes á pertinacibus. Cicero, Neque inter nos & eos qui ſe ſcire arbitrantur, quicquam intereſt, niſi quód illi non dubitant, quin ea vera ſint, quæ defendunt: nos probabilia multa habemus, quę ſequi facile, affirmare vix poſſumus. hoc etiam liberiores & ſolutiores ſumus, quód integra eſt nobis judicandi poteſtas, neque ut omnia, quæ præſcripta, & quaſi imperata ſint, defendamus, neceſſitate ulla cogimur. Nam cæteri primúm anté tenentur aſtricti, quám quid eſſet optimum, judicare potuerint: deinde infirmiſſimo tempore ætatis aut obſequuti amico cuidam, aut una alicujus, quem primúm audierint, oratione, capti de rebus incognitis judicant, & ad quamcunque ſunt diſciplinam quaſi tempeſtate delati, ad eam tanquam ad ſaxum adhæreſcunt: Nam quod dicunt omnino ſe credere ei, quem judicent fuiſſe ſapientem,

proba-

probarem, ſi idipſum rudes & indocti judicare potuiſſent: ſtatuere enim quis ſit ſapiens, vel maximé videtur eſſe ſapientis: Sed ut potuerunt, omnibus rebus auditis, cognitis etiam reliquorum ſententiis judicaverunt, aut re ſemel audita ad unius ſe authoritatem contulerunt. Itaque ſi forté in delicatos Epicureorum greges de deorum otio inter pocula philoſophantes incideris, audies Epicurum unicum authorem eſſe deumque, & beatæ & fortunatæ vitæ. Platonem autem & Ariſtotelē, reliquoſque philoſophos præ hoc uno ſtultos & deliros: ſi in Peripateticorum deambulationem veneris, magnas hominum admirationes audies, Magnus ille vir Ariſtoteles, & quem natura nihil celavit: ſi Stoicos de Zenone interrogaveris, nihil hoc uno in vita conſtantius, nihil in philoſophia admirabilius aut divinius fuiſſe reſpondebunt: denique quam quiſque ſibi philoſophiæ ſectam delegit, quanvis ea ſit plerunque impia, aut á veritate aliena: tamen ita mente & animo ad hāc adhæreſcit, ut eum nec ratio ab errore, nec libertatis amor á ſervitutis turpitudine, nec conſtantia veritatis ab obſtinatione, pertinaciaque revocare poſſit. Quæ cúm ita ſint, cúmque Academia ſit magiſtra pudoris, vindex libertatis, indagatrix ſapientiæ, robur ac firmamentum humani judicii, occurretur tamen nomen nobis, Cur tam multi Epicurei, Peripatetici, Stoici: Academici autē tam pauci fuerint? Duas intelligo fuiſſe hujus erroris cauſſas, imbecillitatē & amorē: permulti enim deſperatione debilitati id experiri noluerūt, quod ſe cōſequi poſſe diffiderēt, aut pro ſuo quiſq; inge-

nio affectū animi ad amorē disciplinarū transtulit. Cur enim tā multi Epicurei? quia voluptates blādissimæ dominæ sunt, quę facilé suis illecebris nō tantúm homines aliquot, sed urbes & nationes maximas alliciūt. Cur tam multi Peripatetici? quia facillimum est, vel imperitissimis in schola totos dies muliebriter altercari, & popularem illam sententiam de fine bonorum, quód opes, quód honores, quód bona valetudo, quód pulcha conjux, quód perpetua sine ulla offensione prosperitas beatum faciant, amplexari. Cur tam multi Stoici? quia multi agrestes & inhumani, quibus nulla misericordia, nulla humanitate flecti, aut moveri, rigidé atque austeré loquí, pulchrum gratumque est. Quibus omnibus Epicureis, Peripateticis, Stoicis cum sententia semel aliqua in animo insedit, nefas putant eam deponere: ut Cicero scribit, Sed nescio quomodo plerique errare malunt, eamque sententiam, quam semel adamarunt, pugnacissimé defendere, quám quid constantissimé dicatur, exquirere. Cur tam pauci igitur Academici? quia pauci firmo constantique judicio sunt, & pleriq; discendi, cognoscendique laborem fugiunt. Itaq; Cicero Academicorum paucitatē, solitudinemq; Academiæ sic excusat, Quam, ait, nunc propemodum orbam esse in ipsa Græcia intelligo, quod non Academiæ vitio, sed tarditate hominum arbitror contigisse: nam si singulas disciplinas percipere magnū est, quanto majus omnes? quod facere his est necesse, quibus propositū est veri reperiendi caussa, & contra omnes philosophos & pro omnibus dicere. Plerunque autē cæcus ille amor

ex ali-

ex aliqua authoritatis opinione efficitur, quód vehementer eſt in hac libera philoſophãdi veritate reprehendendum. Cicero, Qui autem requirunt quid quaque de re ipſi ſentiamus, curioſius id faciũt, quám neceſſe eſt: nõ enim tam authores in diſputãdo, quám rationis momẽta quærẽda ſunt: Quinetiam obeſt his plerunque, qui diſcere volunt, authoritas eorum qui ſe docere profitentur: deſinunt enim ſuum judicium adhibere: id habẽt ratum, quod ab eo quem probant, judicatum vident: nec veró probare ſoleo, quod de Pythagoreis accepimus, quos ferunt ſi quid affirmarent in diſputando, cúm ex his quæreretur quare ita eſſet, reſpondere ſolitos, αὐτὸς ἔφα ipſe dixit, ipſe autem erat Pythagoras: tantúm opinio præjudicata poterat, ut etiam ſine ratione valeret authoritas. Ejuſdem erroris vanitas in quibuſdam Ariſtoteleis eſt, qui tantúm tribuunt ſuo magiſtro, ut eum Deum quendam exiſtiment, & Ariſtoteli repugnare idem propemodum eſſe credant, quod naturæ, veritati, deo repugnare. Itaq; cúm frater meus Petrus Ramus in Ariſtoteleorum ſententiam uſitatiſſimo illo, & omnibus temporibus approbatiſſimo more dixiſſet, duo homines tam vehementer irati, commotique ſunt, ut qui Ariſtotelẽ reprehenderet, exiſtimarent eum omnes artes conturbare, jura humana & divina pervertere, omnem humani judicii libertatem eripere: denique é mundo quaſi mundi ſolem tollere: atque Ariſtotelico ſpiritu afflati exclamarent tantum ſcelus igne expiandum eſſe, & ne teſtimonio tantæ ſtultitiæ careremus (vix enim cre-

dibile id esset, nisi scripto testatum, proditumque teneretur) libellis cõtra Aristotelicas animadversiones descriptis, & per orbem terrarum missis id prædicandum & divulgandũ censuerunt: quos homines, quoniam à seipsis satis vexati sunt, & à fratre meo perpetuó contempti, tandemque Aristoteleo judicio rescisso satis refutati, non puto mihi severius notandos esse. Sed quid Aristoteleos duos hic commemoro, cúm tota istorum hominum natio eadem sit? Enimvero quid singularem, & post homines natos inauditam historiam referam? summa semper libertas fuit grammaticis, rhetoribus, mathematicis, philosophis, contra grammaticos, rhetoras, mathematicos, philosophos dicendi & scribendi: eaque libertas, quia ad omnium artium perfectionem pertinere magnopere videbatur, maximé probata est, & omnium philosophorum, Aristotelis præsertim, præceptis unicé commendata. At quoniam Petrus Ramus Aristotelicis animadversionibus Aristoteleos dormientes vellicare ausus erat, Deus bone, meminisse horret, quæ contigerint: res atrociores prætermittam: ex Aristoteleis neminem nominabo: summam rerum simpliciter attingã. Vix Aristotelicæ animadversiones lectæ erant, cúm Petrus Ramus repenté non ad humanam aliquam, & literis usitatam disputationẽ ab Academia vocatur, sed ad Prætorii Tribunalis capitalem contentionem per certos homines falso Academiæ nomine rapitur, novique & ante hunc diem inauditi criminis accusatur, quód Aristoteli repugnãdo Theologiam & artes enervaret: hac enim

oratione Aristotelea actio instituta est. hinc Aristoteleorum clamoribus agitatus ad summū Parisiensis curiæ consilium traducitur: deinde cúm legitimo judicii more res agi, atque apertius iniquissimæ fraudis invidia percipi videretur, novis artibus á Senatu Parisiensi ad Regiam cognitionem disjicitur, qua constitutis quinque judicibus, binis ex utraque parte, quinto regia denominatione designato, caussam de singulis animadversionum capitibus dicere jubetur. hîc tamersi de quinque judicibus tres infensissimos Ramus habebat, tamen ut mandato regio obtemperaret, ad diem constitutum adfuit: scriba unus aderat, qui rationes Rami, & judicum sententias exciperet: defensionis suæ testem Ramus impetrare neminē potuit. Biduo magna contentione de dialecticæ artis definitione & partitione, quæ in logici Organi libris nullæ essent, cōcertatum est: tres Aristotelei judices primo die contra omnes bene descriptæ artis leges judicarunt ad dialecticæ artis perfectionem definitione nihil opus esse. Johannes Quintinus Heduus, Johānes Bomontius Parisiensis, qui duo judices erant á Ramo delecti, pro singulari sua eruditione & doctrina censuerunt omnem disputationem, quæ via & ratione procederet, á definitione proficisci debere, idque perscriptum obsignarunt. Postridie tres judices Aristotelei vehementer conturbati de partitione assentiuntur, Dialecticæ legitimas esse partes, inventionem & judicium, atque hac de re sententias suas perscribunt: verúm cúm Ramus urgeret Aristoteleos igitur merito á se reprehendi, quód

propria partitione prætermissa totam Dialecticā mille tenebris obruerēt, tribus judicibus ampliari caussam placuit, & in alium diem rejici, quia ista via Aristotelei superiores esse non possent. Híc audiendi Rami finis fuit: deinceps enim Aristotelei judices æstuare, rixari inter se, & jurgare, quód eó se per imprudentiam demersissent, unde incolumes emergere non possent. Itaque ne non damnaretur Ramus, novum consilium initur, ut ab initio tota disputatio retexatur, & adhuc judicata induceretur, proque nihilo haberetur. Id veró Ramus se facturum pernegavit, cœpitque liberius cōqueri his se judicibus esse traditum, quibus satis non esset ejus sententiam tam cæca cupiditate oppugnare, nisi ipsi quoque suam dictam præsertim, & obsignatam nullo inconstantiæ pudore rescinderent: quare tum Ramus á tribus illis accusatoriis judicibus, cúm eos neque sua conquestione, neque reliquorum judicum admonitione de tanta violētia deduceret, appellavit. Postremum igitur illud fuit, tanta authoritas contra Ramum impetratur, ut tribus Aristoteleis judicibus infinita potestate, sine auxilio, sine provocatione judicium de Aristotelicis animadversionibus permitteretur: tam variis scilicet machinis, tam multis copiis, tot potestatibus ad confutandum dialecticæ disputationis argumentum opus fuit, vix, ita me Deus amet,

Vix Priamus tanti, totaque Troja fuit.

Sed cætera attendamus: huic tantæ potestati, majori etiam cupiditati Quintinus & Bomontius cōcessere, perscripta tamen ante de universa disputatione

tione ſententia, teſtati ſibi placere, ut in philoſophia, ſicut antea ſemper fuiſſet, liberum eſſet in omnem partem diſputare: ex eo autem conſeſſu ſe diſcedere, quia ſe non ſocios conſilii, ſed injuriæ, quæ Ramo fieret, adhibitos teſtes intelligerent: idemque Ramus ipſe non ſine ſtomacho, cúm á tribus illis contumelioſe illuderetur, fecit: & ea ſe tempora ſperare dixit, quibus tales judices de ſuo facto nequaquam parem eſſent voluptatem percepturi: ita vi victa, vel certé hominum quorundã opinione, ad tempus oppreſſa cauſſa eſt. Cõdemnantur igitur triumvirali ſententia non modó indicta, ſed incognita plané cauſſa animadverſiones Ariſtotelicæ hoc expectari á talibus judicibus potuit. Ejuſdem incendii ruina inſtitutiones dialecticæ affligũtur, nõ alia quippe ratione, quám quód ejuſdem artificis opus erant: neque enim verbo Ariſtoteleos læſerant, imó ne ab his quidem accuſatę unquam fuerant, ſed ante illum diem ab Ariſtoteleis ipſis laudatæ: quis judex præter hos damnavit unquam quod accuſatum non eſſet? de quo reus nihil interrogatus eſſet? Authori animadverſionum & inſtitutionum toto philoſophiæ regno velut aqua & igni, gravi etiam pœna addita interdicitur, ne unquam vel ſcribendo, vel docendo in ullam philoſophiæ partem ingrederetur: hoc veró non eſt dialecticum acumine refellere, ſed dialecticum de ſuggeſtu deturbare: atque hæc omnia Regis licet omnium regum & humaniſſimi, & literarum amantiſſimi, tamen per falſas & improbiſſimé confictas calumnias inducti authoritate confirmantur. Conſtricta itaque lingua, vinctis

manibus, cùm sic afflictus Ramus teneretur, ut Aristoteleis vel impuné discerpere liceret, Ramo cõtrá ne mutire quidem liceret, triumphus de tam nobili victoria mirificus agitur: tristis illa & horrida triumvirúm sententia impressis & Latina & Gallica oratione libellis, non modó per hujus urbis compita, sed per orbis terrarum loca omnia, quó exportari potuit, promulgatur: ludi magno apparatu celebrantur, ubi spectantibus & plaudentibus Aristoteleis omni ludibrii & convitii genere Ramus afficitur: quid reliqua his indigniora commemorem? quę tametsi verissima sunt, & memoria recenti tenentur, tamen ita sunt ab honestis studiis aliena, ut verear ne iis etiam qui interfuerint & viderint, res tam incredibilis non facta, sed ficta esse videatur. Hæc Aristotelicis judicii brevis & summaria historia est: plurima enim prætereo, quæ sine certorum hominum infamia commemorari non possunt: neque hæc pauca idcirco commemoro, ut malevolo cuiquam stomachum moveam: quid enim minus est, quàm ut tam inhumaniter vexatis saltem præteriti laboris meminisse liceat? sed ut omnes intelligant, Cardinalis illustrissime, non solúm quantum tibi tali abrogato judicio Ramus Talæusque debeant, sed etiam quã formidabilis & iracunda Aristoteleorum logica sit, quæ talibus argumentis adversarium persequatur: ac ne me Aristotelei pari iracundia appetant, ad Academiam refugio minimé superbam atque violentam, sed contrá facilem & benignam, quæ tantúm abest, ut sibi contradicentibus tam ferociter irascatur, ut etiam amatores suos existimet, á

quibus

quibus ſibi veritatis inquirendæ gratia diligenter & accuraté contradicatur. Hanc itaque velut certiſſimam humanæ prudentiæ regulam ſemper homini propoſitam eſſe oportebit, quiſquis volet recté & conſtanter de rebus omnibus judicare. Quód ſi in his emendis & contrahendis quæ ad corporis uſum & cultum pertinent, tantum diligentiæ adhibetur, ut non niſi adhibito magno delectu quicquam emas, nec ſi tibi mercator merces ſuas, quas vænales exhibet, optimas eſſe jurejurando confirmaverit, idcirco plus ejus teſtimonio, quám tuo judicio tribuas: quanto majore ſtudio & conſideratione merces animorum, quas philoſophi nobis venditant, explorandas & deligendas eſſe arbitraris? nam, ut ait Horatius,

Non qui Sydoneo contendere callidus oſtro
Neſcit aquinatem potentia vellera fucum,
Certius accipiet damnum, propiuſve medullis,
Quám qui non poterit vero diſtinguere falſum.

Sunt autem illi ipſi philoſophi mercatores, atque inſtitores ſapientiæ. Itaque ſi quid in Platonis ſermonibus & ſcriptis commodum mihi & utile eſt, accipio: ſi quid boni in hortis Epicuri proſtat, non contemno: ſi quid melius Ariſtoteles vendit, quantum quomodo videtur, aſſumo: ſi magis ſunt vendibiles Zenonis, quã Ariſtotelis merces, Ariſtotelem relinquo, ad Zenonis officinã diverto: ſi vana ſunt & inutilia, quę vendũtur in tabernis philoſophorum omnia, omnino nihil hinc emo, neque tamen optima quærendi finem facio, notoq; illo Horatii conſilio, atque inſtituto admonitus.

Quod verum atque decens, curo & rogo, & omnis
in hoc sum:
Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter,
Nullius addictus jurare in verba magistri
Quo me cunque rapit tempestas, deferor hospes:
Nunc agilis fio, & mersor civilibus undis:
Virtutis veræ custos, rigidusque satelles:
Nunc in Aristippi furtim præcepta relabor:
Et mihi res, non me rebus submittere conor.

Hæc est Academicorum, id est verorum hominum (utrumque enim tantūdem valere existimo) propria & germana libertas, nullius hominis legibus & institutis in philosophia necessarió parére: modestia, in rebus incertis judicium suum nullū interponere: prudentia, caussas rerum conferre, & quid in quanque sententiam dici possit, exprimere, nulla adhibita sua authoritate: sapientia, unicam veritatem in omni vita tanquam deam colere, eámque pluris, quám omnium Philosophorum testimonia æstimare.

Habes, Cardinalis illustrissime, Academiæ consuetudinem non ex meo, sed Ciceronis sensu atq; oratione breviter expositam: quā si quis melius & luculentius ostenderit, hunc ego non modó mihi adversarium non putabo, sed verum Academicū, verumque philosophum nominabo, qui mea oratione nihil exterritus, perfectius aliquid & accuratius exquisierit.

SEXTA,

SEXTA, TALÆI IN LUCULLUM.

SUPERIORIBUS proximis annis tibi commẽtarios noſtros de Academica quæſtione dedicavi, ubi & Academicorum philoſophorũ originem, & progreſſionem, & totam diſtinctionem perſecutus ſum: & quod de quatuor Academicis Ciceronis ad Varronem ſupererat, expoſui: poſtea de duobus primis ejuſdem argumenti libris Lucullum, qui ſolus reſtat, eodem genere commentationis explicavi: nec ut Grammaticus interpres ſententias & hiſtorias tantúm declaravi, ſed multó magis, ut dialecticus judex, qualis eſſet tota diſputatio, perpendi & æſtimavi, genera argumẽtorum notavi, ſyllogiſmorum & concluſionum modos diſtinxi, methodi totius ordinem demonſtravi, & ad earũ virtutum imitationem, dum hæ res á nobis prælegerentur, diſcipulos meos interim ſtudioſe inſtitui, dialecticam denique totam & inventionem & diſpoſitionem ex his artibus, quas Petrus Ramus ſuo maximo labore, ſed tua majore liberalitate in lucem & uſum protulit, omni ſtudio diligentiaque exercui, non ſolúm ut conſilium Ciceronis & judicium & methodum legẽtibus aperirem, ſed ut his explicationum mearum exemplis, fratris mei, vel potius omnium artium & literarum cauſſam adjuvarem, & pertinacibus Ariſtoteleis oſtenderem dialecticam præſtantiorem

esse, quám ex Aristotelis libris cognoscerent, & longé præstantiore & admirabiliore usu, quám in scholasticis clamoribus & sophismatis tractarent. Facilius enim

In caput alta suum labentur ab æquore retro
Flumina, conversis Solque recurret equis,

Quám Aristotelici organi in prædicabilibus, prædicamentis, interpretationibus, Analyticis, Topicis, Elenchis confusi talem formam & speciem, qualis in dialecticis Petri Rami institutionibus traditur, intueri, & talem tamque perspicuem lucem ex illis suis tenebris ad interpretãdos & imitandos authores adferre queant. Summa veró disputationis universæ duas in orationes divisa est. Nam cúm Academici (sicut superiore commentario planius dictum est) affirmarent nihil sciri & percipi posse: neque ideo quicquam probãdum, aut ulli rei assentiendum esse, in priore Lucullus elevata Academicorũ authoritate, qui se magnis & antiquis philosophis similes esse profitebãtur, contra novam Academiam primúm disputat esse aliquam, κατάληψιν, id est, perceptionem & cognitionem rerum, & aliquã συγκατάθεσιν, id est approbationem: deinde contrarias novorum Academicorum rationes refellit. Esse igitur aliquam κατάληψιν, probat notionibus sensus & animi, quód sensus innumerabiles res percipiat, & animo comprehensa philosophia ut moralis, dialectica, physica, satis magno argumẽto sit aliquid sciri & percipi posse: συγκατάθεσιν veró, id est approbationẽ & assensionem breviter disputat iisdem repetitis argumentis. Cúm autem Academicorum sentẽtia

tia hoc ſyllogiſmo potiſſimum concluderetur:

Viſa, inter quæ nihil intereſt, percipi non poſſunt:
Omne viſum eſt ejuſmodi:
Nullum igitur viſum percipi poteſt.

Ejuſque ſyllogiſmi aſſumptio probaretur viſis ebriorum, ſomniantium, furioſorum, & ſimilitudinibus geminorum & ſigillorum, contra hæc omnia Lucullus primúm generaliter docet quód Academici definiant viſa, quód partiantur, quód ſyllogiſmo concludant, quód quædam ſit in rebus perſpicuitas, eos ideó aliquid percipere: deinde ſpeciatim ſingulis eorum argumentis reſpõdet: atque ita prima pars ejus libri Luculli oratione concluditur. Altera pars in Ciceronis Academiam novam defendẽtis oratione ſequitur: atq; imprimis multis authoribus antiquis, Democrito, Anaxagora, Empedocle, Socrate, Platone Academicorum novorum ἀκαταληψία, quaſi diceres incomprehenſibilitas, defenditur: deinde ſenſus & animi variis exemplis approbatur, quód multis in rebus fallantur oculi, ut navigiorũ motu: quód geminorum & ſignorum ſimilitudines nos perturbent: quód ebrii, ſomniantes & furioſi decipiãtur: quód á Stoicis dialectica ſophiſmata inexplicabilia tradantur: quód á Lucullo multa falſa pro veris dicta ſint. Tum demum in omnibus philoſophiæ partibus, phyſica, morali, dialectica, ex controverſis philoſophorum opinionibus nihil certi & comprehenſi eſſe demonſtrat. Atque hoc pacto Ciceronis oratio contra Luculli orationem argumentatur, & tota contentio Academicæ quæſtionis abſolvitur: quam tibi non

idcirco ſolúm, quia prima pars argumenti hujus eſſet anté dedicata, nuncupavi: ſed multó magis quód te unum ex omnibus mortalibus qui nunc ſunt, veré philoſophiæ patrem poſſim confirmare. Quid enim, ut cuncta tuæ virtutis hujus argumenta prætermittam, Rhemenſes muſæ tua ſempiterna gloria fundatæ aliud prædicant? Quod ut in perpetuum florentes & beatæ faciant, pro maximis tuis & ſingularibus in omne genus hominum meritis, Deum Optimum obteſtor & obſecro. Vale. Datum Lutetiæ, Nonis April. E gymnaſio Prælcorum. 1550.

SEPTIMA, TALÆI IN PARADOXA.

NOLI putare (Carole Lotharingæ Cardinalis ampliſſime) unum tuo beneficio Petrum Ramum fratrem meum tibi devinctum eſſe: omnes mortales (qui ſunt ſané quám plurimi) ejus vigiliis & laboribus vel adjutos, vel excitatos, eodem vinculo in perpetuum tibi devinxiſti: liberaſti primúm magnæ oppreſſionis iniquitate: deinde (quæ ſumma tua benignitas eſt) optatiſſimam & gratiſſimam libertatem optatiore & gratiore dignitate cumulaſti. Ergo, ut antea tibi pro libertate fratri reſtituta gratias egeram, ſic primúm hoc munuſculum elaboravi, quo meam de tua tanta bonitate lætitiam tibi declararem. Petrus Ramus regia profeſſione per te ſibi conſtituta philoſophiam cum eloquentia profitetur, vel potius philo-

philoſophiæ uſum in eloquentibus authoribus interpretatur: Ego Petri Rami frater, inſtitutionis hujus vias ſecutus, tantum bonum promovere & cõfirmare, tuumque hac de re divinum judiciũ uni in terris homini probare contendi, qui oratione multis barbariſmis, copioſa, & ſolœciſmis ornata quam in tuo nomine publicare auſus eſt, inſtitutionis hujus non modo authorem, perduellionis, majeſtatis, impietatis, omnium denique ſcelerum, quæ legibus vindicantur (hæc enim hominis verba ſunt) reum apud omnes gentes fecerit, ſed etiam patronos & defenſores errore phanatico agitatos & limphaticos in eadem oratione appellarit: huic, inquam, homini tam vehementer irato ſatisfacere pro mea parte volui, & demonſtrare non deſperatos neſcio quos ἀθεότης eſſe, qui uſum philoſophiæ & fructum in eloquẽtibus poëtis, oratoribus, philoſophis oſtendant: nec eſſe phanaticos, qui talem inſtitutionem probent & laudent. Itaque ut ſuperioribus commentationibus tibi nuncupatis, rhethoricis inſtitutionibus, quæſtionibus Academicis, interpretationibus in primum ἠθικὸν Ariſtotelis, ita preſentibus in Ciceronis παράδοξα prælectionibus noſtris dialecticum artificium perpetua inventionis diſpoſitioniſque ſerie continuatum docui, ut lector jam deprehendat non magis in loquendo nomina, verba, cæteraſque orationis partes cæteris partibus, quam in diſſerendo argumenta argumentis connecti & conjungi: & quod in Grammatica eſt etymologia de partibus orationis, id eſſe in dialectica inventione de argumentis: quodque illic eſt ſintaxis partium, hic eſſe diſpoſi-

tionem argumentorum. Atque etiam Philoſophi omnes homini cum á natura virtutes ingenerari putant, quæ deinde ſtudio & uſu perficiantur, tum hanc inventionis diſpoſitioniſque logicam virtutem in primis homini tam naturalem faciunt, ut hominem ζῶον λογικὸν, & hominis differentiam ποιότητα λογικὸν definiant: ſic enim organum Ariſtoteleorum loquitur: ut mihi horribile viſum ſit ab illo Atheorũ & Lymphaticorũ fabricatore in ſua religioſa & ſapiente oratione multis verbis diſputari, hominem á natura dialecticum & logicum dicendum non eſſe: tanquam ipſe non ζῶον λογικὸν, ſed ζῶον ἄλογον ſe vellet affirmare. Verumenimvero (Cardinalis ampliſſime) ut tuam liberalitatem & magnificentiam, quæ ſempiternam laudem merita eſt, in nos & omnes veræ inſtitutionis & humanitatis amantes bene collocatam ſentias, noſtrum eſt beneficii tui omni ſtudio diligentiaque culti, non ſolum jucundos & præſentes flores, ſed ſolidos & cõſtantes fructus oſtendere: & tuũ de hac præſtantiſſima inſtitutione judicium huic ζωῶ natura ſua (ut vult) non λογικῶ, ſed ἀλόγῳ, ejus ſimilibus approbare, Vale. Datum Lutetiæ 8. Calendas Januarii. 1551.

OCTAVA, RAMI PRO C. RABIRIO.

DIFFICILE mihi fuit (Mecœnas) ſcriptis rationibus opinionem multis jam ſeculis inveteratam ex animis hominum evellere, Dialecticam in oratoribus non perinde ut Grammaticam

Grammaticam perpetuam ineſſe. Jam veró ex ampliore atque altiore ſuggeſto, tua ſingulari gratia nobis inſtituto, dum quotidie viva voce veluti cõcionantes, Dialecticæ verum uſum in veris & naturalibus exemplis, in vera exemplorum imitatione & exercitatione, totoque artis ejus fructu docemus, mirabilem & audiendi & diſcendi cupiditatem noſtris hominibus attulimus. Ergo cúm primum ſpecimen in hac pro Rabirio perduellionis reo Ciceronis oratione dediſſem, & ſingulas partes ut Latinis dictionibus, ut Latina dictionum conſtructione: ſic rerum ſententiarumque inventione & diſpoſitione contextas & continuatas demonſtraſſem, populum noſtrum admonui, cúm in oratoribus dialecticam non minus quám grãmaticam perpetuam conſpiceret, tandem aliquando dialecticam in oratoribus eſſe crederet, veteremque illum vanæ opinionis errorem deponeret: nec exiſtimaret inventionem hanc & diſpoſitionem dialecticæ non eſſe, ad rhetoras duntaxat attinere, tanquam alió logica Ariſtotelici organi dogmata ſpectarent. Nec enim alios in Ariſtotelis Logica argumentorum locos, vel ſyllogiſmorum modos exponi, quám in inventione Ciceronis & collocatione declaranda ſequeremur, quin connexorum & diſjunctorum ſyllogiſmorum & univerſam methodi artem híc oſtenderemus, quam Ariſtotelis organum non attigiſſet. Hæc, inquam, populum noſtrum docui & admonui. Ac jam ſi quis dixerit multa in Dialecticis Ariſtotelis contineri, quorum nullus ſit uſus in oratoribus, nil repugnabo: addam etiam eorundem nullum omnino hu-

manum uſum inveniri: nec idcirço tamen oratores, non dialecticos eſſe fatebor, ſed Ariſtotelica illa Dialecticæ nil eſſe profitebor, quia nec ex vero uſu de prompta ſint, nec ad verum uſum referri poſſint: Ariſtotelemque ſemper affirmabo abundantiſſimo ingenio hominem fuiſſe, qui cúm multa á Platone Dialectica theoremata didicerit de tota & inventione & methodo, iis tamen non contentus, Dialectici auri pretioſiſſimam quandã fodinam per ſe quęſierit, multa effoderit & cumularit: ſed aurum illud argento, ære, plumbo, lapidibus, ſpinis, terra denique inutili obrutum reliquerit, in fornacem non conjecerit, nec igne veri & naturalis uſus approbaverit, nec omnino diſtinxerit, ut in Ariſtotelicis animadverſionib⁹ doceo. Quæ monita qui noſtrum in hac arte ſtudium reprehendunt, nunquam audierunt, ſed (quaſi Syrenum cantus formidarent) obturatis auribus prærerierunt. Tales enim ſunt reprehenſiones adverſus nos editæ, ut cæcos de pictura, aut ſurdos de muſica credas contendere, dum clamant alatas potius in aëre balænas, quám dialecticam in oratoribus ſe viſuros eſſe. Verúm ſpero tempus illud brevi futurum, ut hi cæci ſurdique videant & audiãt, valdeque mirentur principes & rectores hominũ, non homines, id eſt oratores, non dialecticos, non rationales animãtes & logicos ſibi viſos eſſe. Quãobrem (Mecœnas) in oratoribus ut grammaticã, ſic dialecticam perpetuam eſſe, hæc oratio primũ, deinde Conſulares Ciceronis reliquæ, ut ſpero, perſuadebunt, gratiamque tibi tantorum bonorum principi atq; authori debitam vindicabunt.

NONA

NONA, RAMI IN AGRARIAS.

PRIMI anni (quo regius eloquentiæ philoſophiæque profeſſor cõmendatione tua, Mecœnas, factus ſum) primus quoque labor fuit, ut reipſa atque exemplis demonſtrarem eloquentiæ philoſophiæque (tametſi in artibus prȩcepta diſtincta eſſent) uſum tamen eſſe copulatum atq; conjunctum. Ab eloquentiæ itaque principe Cicerone demonſtrationis meæ fidem, & quidem ex Ariſtotelis philoſophiæ (ut multis perſuaſum eſt) principis doctrina ordiri volui. Ariſtoteles quidem docet artium diſciplinarumque omnium principia eſſe αἴσθησιν, ἐπαγωγὴν, ἐμπειρίαν, ſenſum, inductionem, obſervationem, experientiam: ab iiſque principiis omnes generales inſtitutiones ac regulas deducendas, ut tum demum probandæ ſint, cúm de ſingularium ſenſibuſque ſubjectorum exemplorum animadverſione & uſu fuerint eductæ: Ciceronis veró cúm tam multa in medio eſſent exẽpla, ea potiſſimum ad iſtam Ariſtotelicam ἐπαγωγὴν καὶ ἐμπειρίαν de Conſularibus orationibus ſelegi, quæ authori ipſi potiſſimum probarentur. De iis enim ſic ipſe ad Atticum ſcribit: Oratiunculas autem, & quas poſtulas, & plures etiam mittam, quoniam quidem ea (quæ nos ſcribimus, adoleſcentulorũ ſtudiis excitati) te etiã delectant. Fuit enim mihi commodum, quod in eis oratio-

nibus (quæ Philippicæ nominantur) enituerit ille tuus civis Demosthenes, & quód se ab hoc refractariolo judiciali dicendi genere abjunxerit, ut σεμνώτερος τε & πολιτικώτερος videretur, curare ut meæ quoque essent orationes, quæ Consulares nominarentur. Quarum una est in senatu Cal. Januar. altera ad populũ de lege Agraria, tertia de Othone, quarta pro Rabirio, quinta de proscriptorum filiis, sexta cúm provinciam deposui in concione, septima qua Catilinam emisi, octava quam habui ad populum postridie quám Catilina profugit, nona in concione, quo die Allobroges invocarunt, decima in Senatu Non. Decemb. Sunt præterea duæ breves quasi ὑποφασισμάτα legis Agrariæ. Hoc totum σῶμα curabo ut habeas. Et quoniam te cúm scripta, tum res meæ delectant, iisdẽ ex libris perspicies & quæ gesserim, & quæ dixerim. At ni popoſciſſes, ego me tibi non offerebã. Hæc Cicero de Consularibus orationibus, de quibus Plinius, cúm Ciceronis laudes celebrare vellet, præcipuum gloriæ argumentum petivit. Sed quo & te, M. Tulli, piaculo taceam? quóve maximé excellentem insigni prædicem? quo potius quám universi populi, & illius gentis amplissimo testimonio, & in tota vita tua, & ad Consulatum tãtúm operibus electis? Te dicente legem Agrariam, hoc est, alimenta sua abdicaverunt tribus: te suadente Roscio theatralis seditionis authori leges ignoverunt, notatasque sedes ignominiæ discrimine æquo animo tulerunt: te orante proscriptorum liberos honores petere puduit, tuum Catilina fugit ingenium, tu M. Antonium proscripsi-

ſcripſiſti. Salue, primus omnium parens patriæ appellate, primus in toga triumphum linguæque lauream merite, & facundiæ Latinarum literarum parens atque (ut Dictator Cæſar hoſtis quondam tuus de te ſcripſit) omnium triumphorū lauream adepte majorem, quanto plus eſt ingenii Romani terminos in tantum promoviſſe, quám imperii. Hæc Plinius. Quare in tam laudatis orationibus (quæ certé ſupereſſent) demonſtrare ſtudui, primúm Rhetoricam elocutionem in tropis & figuris. Ac demonſtrationis eam partem quanvis ſtudioſius vivæ vocis prælectione tractavi, tamen quia controverſiam non haberet, curioſius non deſcripſi: literis tantúm, & arithmeticis notis indicavi: quatuor literis a, b, c, d, quatuor genera troporum, Metonymam, Ironiam, Metaphorá, Synecdochē deſignavi: Species Metonymiæ & Synecdoches, licet complures eſſent, non diſtinxi: genere propoſito ſpeciem facilé deprehendet is, qui Audomari Talæi Rhetorica didicerit. Figuras verborum ſentētiarumque, notis arithmeticis ita deſcripſi, ut, unitatis nota ſignificaret Epizeuxin, 2 Anaphoram, 3 Epiſtrophen, 4 Simplocem, 5 Epanodon, 6 Epanalepſin, 7 Anadiploſin, 8 Climacem; 9 Polyptoton, 10 Patonomaſiam, 11 Orbem numeroſum, 12 Optationem, 13 Deprecationem, 14 Addubitationem, 15 Communicationem, 16 Permiſſionem, 17 Cōceſſionem, 18 Prolepſin, 19 Proſopopœiam, 20 Dialogiſmū, 21 Apophaſin, 22 Digreſſionem, 23 Apoſtrophē, 24 Apoſiopeſin, 25 Exclamationem, 26 Suſtentationem, 27 Parrhiſian. Atq; hæc de Rhetoricis.

De philoſophia verò logica quæ in his exemplis ineſſet, diligentius atque accuratius agẽdum fuit, cúm perſpicerem hunc eloquẽtiæ & philoſophiæ conjunctum uſum, ignaris nõ modó fabuloſum, & á me confictum videri, ſed cõtentionibus ſummis accuſari. Ergo logicum & topicæ inventionis & analyticæ diſpoſitionis uſum in his orationibus perpetuum viva voce primúm declarare contendi, ut poſitæ quæſtionis in ſingulis partibus & argumentum ad ſui generis locum referrem, & ſyllogiſmum, ſi plenus eſſet, ad ſuæ figuræ modum diſtinguerem, totiuſque orationis curſum ad ſuæ methodi collocationiſque regulam directum vel inflexum indicarem: deinde, ut etiam qui nos nunquam audiſſent, tamen ſtudii conatuſque noſtri rationem perciperent, hoc artificium breviter deſcripſi & publicavi: in eoque humile quidem fateor, & plané puerile grammatici cujuſdam doctoris exemplum mihi propoſui: qui cúm Græca lingua pueros inſtitueret, in Græca quadã epiſtola prælegẽda omnes orationis partes excutiebat, omnium partium genera, ſpecies, accidentia ſubducebat, nec id tantum voce præſentibus diſcipulis preſtitit, ſed has grammaticas meditationes collectas & deſcriptas edidit: Sic logicas meditationes in argumentis, ſyllogiſmis, methodis orationum Conſularium, publicé duplici de cauſſa propoſui: primúm, ut cúm ars in libris alia ſit, artis alius in exemplis uſus, ἀξιώσεις, ἐπαγωγή, ἰσοθεία, ἐμπειρία, ut Ariſtoteles præcipit, emendaret artem: humaniſque & naturalibus exemplis accõmodaret. Deinde cúm logica præceptis ad uſum paren-

parentem congruenter expoſitis inſtituta eſſet, facilius á pueris intelligeretur, promptiuſque & cõmodius diſputando, ſcribendo, dicendo tractaretur & exerceretur. E quo tantúm abeſt ut laudem quæram, ut brevi tempore logicis meditationibus noſtris idem eventurum vehementer expectem, quod illius grammatici meditationibus accidit. Grammaticus enim Græcæ linguæ uſus á meditationibus illis inchoatus, ſed paulatim major & uberior in ſcholas inductus, doctores quamplurimos effecit, qui jam illa meditationum manu tam delicaté duci nolint, ſed per ſe quolibet latius excurrant. Ita cúm logica aliquot annorum exercitatio his noſtris prælectionibus veluti manibus in ſcholas inducta ſeſe confirmarit & corroborarit, per ſe ipſa liberius longiuſque progredietur. Octo viderint exempla ſibi per nos expoſita pueri, infinita alia non ſolum Ciceronis, ſed Maronis, Demoſthenis, Homeri, Platonis, Ariſtotelis, cujuſvis denique boni authoris conſilio ex argumentorũ locis, judicio é ſyllogiſmorum figuris, ordine é methodorum modis perſpecto, acutius, certius, prudentius intelligent: noſque iſta logicæ meditationis & explicationis diligentia longiſſimé ſuperabunt ac vincent. Atque ut grammatici non ſolũ grammaticæ præceptis ediſcendis, repetendis, cõmunicandis in animo memoriaque penitus infigendis, ſed multó magis grammaticis elegantium authorum exemplis grammaticé examinandis, & exercendis facti ſunt: ſic logici non ſolúm logicæ documentis ad verbum ediſcendis, & ſcholaſtica altercatione verſandis & diſputandis, ſed logicis

ſubtilium & prudentium hominum exemplis logicé retexendis, ſcribendo dicendoque imitandis & æmulandis fient. Multas ludibriorum, probrorum, calumniarum moleſtias á nebulonibus hanc publicorum ſtudiorum lucem moleſté ferentibus adhuc pertuli: leviſſima tamen hæc omnis tempeſtas, imó jucundiſſima fuit, futuri temporis ſerenitatem ſpectanti. Quid veró hiſtoriæ de nobis ad annos quingentos prædicarint, quas quidem ego multó magis vereor, quám eorum hominum qui hodie vivunt, rumuſculos, ait de ſe Cicero, cúm Reip. cauſſa calumniis improborum vexaretur. Ergo ille Ethnicus de vitæ poſterioris æternitate dubius & incertus hæc ſentit, nos vera pietate Chriſtianæ religionis informati, nihil impoſterũ reſpiciemus? Loquẽtur, Mecœnas, ætates hominũ tam multæ (quàm multa diſciplinæ ſæculá futura ſint) Carolum Lotharingum Cardinalem, literarum patronum ſingularem fuiſſe, atque inter eas laudes tuas (ut ſpero) audietur, conſilio atque auxilio tuo philoſophiam ab inanibus argutiis ad humanum civilemque cultum avocatam, poëtas, oratores, philoſophos interpretari & imitari didiciſſe: homineſque ejus opera non horridiores & pertinaciores ut antea, ſed humaniores & prudentiores fieri cœpiſſe. Quamobrem, Mecœnas, erũt hæ Conſulares á nobis expoſitæ ſcholis noſtris documentum quoddam ſic inſtituendæ juventutis, ut in Academiæ defenſione inſtituendam eſſe monui, ut cúm puerum grammaticis abundé tres aut quatuor annos eruditum, Rhetoricis elocutionis & pronuntiationis artibus annum unum

mediocriter instructū magister acceperit, Grammaticæ & Rhetoricæ præcepta in philosophię studio ne præterea quidē repetat, sed certé usum retineat: grammaticum etiam si quid rarum forté, nec antea cognitum inciderit, ne despiciat: troporum & figurarum genera studiosius ei pendat: studiosissimé veró Logicam cum pręceptis omnibus necessariis & propriis doceat, & discentis intelligētiæ, memoriæque communicando, disputando penitus imprimat: tamen multó magis in excellētibus exemplis explorandis, retexendis, imitandis exerceat, discipulumque ista Logicæ artis & explicatione & exercitatione Logicum faciat.

DECIMA, RAMI IN CATILINARIAS.

TRES Agrarię Ciceronis orationes, Mecœnas, nostrum cōmentationis hujus Rhetoricæ & Logicæ, cōsilium tibi declararunt, quemadmodum principiis Aristotelis & exemplis Ciceronis, Rhetoricam & Logicam artem probandam & experiendam, & utriusque artis probatæ & expertæ usum exercendum & assequendum putarem: idem quatuor his Catilinariis studium persequimur: & gravissimæ adversariæ (quam solam adhuc calumniatricem habuimus) ignorantiæ persuadere pergimus, Logicæ artis usum longé præstantiorem esse, quám multis scholis adhuc ea persuaserit: argumentorum, syllogismorum, methodorum, id est, omnium

Logicarum virtutum perpetua in his orationibus exempla tam ſolicité demonſtramus, ut valde verear, ne in re manifeſtiſſima comprobanda, nimiù ſtudium alicui ponere videamur. At Regius eloquentiæ profeſſor Lutetiæ inventus eſt, qui libro multis contra nos barbaris maledictis referto clamaret, nullũ Logicæ, vel invẽtionis, vel diſpoſitionis uſum in foro, in curia, in roſtris verſari : nullũ denique in oratoribus inveniri. Incredibilis quidem de eloquentiæ præſertim profeſſore, iſta vox eſſet, niſi liber æditus eſſet : at publicatus eſt. Cujus libri cauſſam ſiquis putat de artis inſtitutis eſſe diſſenſionem aliquam, fallitur : longé alia ratio fuit. Sapiens profeſſor (qui profeſſionis ſuæ partes non ſolúm elocutionem & actionem, ſed inventionem & diſpoſitionem putaret) Regiis ſtipendiis ditatus, repetundarum actionem aliquam metuebat, cúm per annos decem aureorum duo millia, & opima ſacerdotia profeſſionis ejus nomine cœpiſſet : cujus nec artem, nec uſum ullum unquam didiciſſet, nec per naturam, in præſtantiſſima certé facultatis ejus parte, diſcere unquam potuiſſet, cúm corpore tam ſit aptus ad agendum, quám cæcus ad pingendum. Ergo nemo demonſtrationis & inductionis per tot orationes inſtitutæ, ſtudium noſtrum miretur, ſed magnam tantæ cõtradictionis oppoſitæ cauſſam cogitet. Huic enim venuſto & ſapienti eloquentiæ profeſſori Logicam in eloquentibus hominibus oſtendere, & (quia veris neceſſariiſque rationibus in Academiæ defenſione id ei non perſuaſi) jam productis ejus authoris (cujus profeſſione tam fortunatus

eſt)

est) testimoniis & exemplis persuadere cupio: quinetiam, ut discipulis, omninoque studiis nostris molestus esse desinat, moneo, ut nostris vestigiis Aristotelica illa principia ἰσοείαν, ἐμπειείαν secutus, eundem Logicæ usum in poëtis, in philosophis, in omnibus denique logicis animalibus, id est hominibus, perpetuum experiatur, & animadvertat: á nobisque pro mille calumniis (quibus ab eo vexati sumus, & quotidie novis vexamur) professionis suæ & artem & usum cõdiscat, tantumque bonum gratis accipiat. De Rhetoricis tropis ac figuris eandem inductionem, sed levius, literis & notis confeci: ut a significaret Metonymiam, b Ironiam, c Metaphoram, d Synecdochem, 1 Epizeuxim, 2 Anaphoram, 3 Epistrophē, 4 Symplocem, 5 Epanodum, 6 Epanalepsim, 7 Anadiplosim, 8 Climacem, 9 Polyptotū, 10 Paronomasiam, 11 Orbem numerosum, 12 Optationem, 13 Deprecationem, 14 Addubitationem, 15 Communicationem, 16 Permissionē, 17 Concessionē, 18 Prolepsim, 19 Prosopopœiā, 20 Dialogismū, 21 Apophasim, 22 Digressionē, 23 Apostrophem, 24 Aposiopesim, 25 Exclamationem, 26 Sustentationem, 27 Parrhisiam. Quibus Rhetoricis Logicisque meditationibus, Mecœnas, si doctores excitati, quod in Grammaticis orationis partibus, & singulis & conjunctis antea fecerint, id in Rhetoricæ elocutionis, Logicæque inventionis ac dispositionis partibus efficiant, sibique persuadeant, ut pingendi, ut ædificandi, sic dicendi, differendique artifices egregios, artium quidem præceptis admoneri, sed exemplis, sed opere, sed

assidua meditatione, imitatione, exercitatione, diligentiæ denique omnis, ac laboris contentione effici, id erit tuis felicibus auspiciis persuasum tandem & impetratum, quod tantopere persuadere & impetrare cupio.

UNDECIMA, RAMI IN LIBRUM DE FATO.

MARCUS Tul. Cicero, quæstionem de Fato obscuram (ut ait ipse) eamque logicæ totam disputaverat. Itaque quoniam logicus esse, & dialecticus haberi volo, perlibenter hanc fati quæstionem quotidianis prælectionibus explicandam suscepi: ut dialecticæ nostræ usum discipulis meis exempli nobilis, imó veró perobscuri perque difficilis explicatione demonstrarem: Fuerat veró in utramque partẽ deducta disputatio. Duo fatum constituebant, Posidonius & Chrysippus: tres refellunt, Diodorus, Epicurus, Carneades: Unus est disceptator & arbiter omnium Cicero. Posidonius igitur (ut initio aliquid de singulis attingamus, etiam paulo fusius & prolixius, ut summa rerum quædam prius intelligatur, quám ad tã obscuram disputationem veniatur) Stoicus philosophus fuit, idemque tantus astrologus, ut sphæram confecerit, cujus singulæ conversiones idem efficerent in Sole & Luna & in quinque stellis errantibus, quod efficitur in cœlo singulis diebus ac noctibus. Hic igitur cum ita se astrologiæ tradidisset, studio suo vehementius oblectatus, fatum, id est,

eſt,rerum omnium immutabilem & ſempiternam neceſſitatem,naturæ ſiderumque contagioni attribuit:Hæc ſententia eſt omnium,quæ de fato ferũtur,maxima,maximeque celebrata,ut Porphyrius ſummus gentium philoſophus affirmarit,quæcunque dii fata prædixiſſent, ex ſiderum motu prædixiſſe:& de Chriſtianis Origenes ſidera ſic interpretatur eſſe temporum ſigna,ut cælum ſit veluti quidam liber apertus omnia tempora deſcripta continens , ſed eum tamen librum ab hominibus legi non poſſe, Totus in Cicerone locus hic feré amiſſus eſt confirmatio certé tota periit, refutationis particula tantúm ſupereſt : nos á D. Auguſtino ſententiam quandam hinc depromptam & ab eo refutatam tranſtulimus : ex reliquiis tamen apparet veré conſtanterque Poſidonio reſponſum eſſe, aſtrorum magnas quidem eſſe affectiones,ſed humanæ voluntatis,philoſophiæque vires eſſe majores. Secũda pro fato ſententia eſt Chryſippi,Stoici item philoſophi in dialecticis tam ſubtilis & acuti,ut in Græcia vulgó jactaretur,ſi dii dialecticis uterentur,nõ aliis, quám Chryſippeis uſuros eſſe. Chryſippus itaque fatum definiebat, cauſſarum ſeriem ſempiternam,qua & præterita facta eſſent, & inſtantia fierent, & quæ ſequerentur, eſſent futura:in eaque ſerie cauſſas non ſolúm neceſſarias, ſed voluntarias etiam & liberas copulabat,ut ejuſmodi ſeries catena quædam eſſet , ex infinitis annulis inter ſe conſertis & contextis , quorum firmiores eſſent alii , alii infirmiores : omnes tamen ſic inter ſe catenati,ut diſſolvi & diſjungi non poſſent , fatumque ita definitum quatuor argumẽtis,

naturæ cõtagione, divinatione, enuntiationis definitione, & cauſſarum anteceſſione confirmabat: confirmatio ipſa tota periit ut & Poſidonii, refutatio minus mutilata eſt. In primo argumento oratio Ciceronis valde mutilata eſt, attamen ut anté Poſidonio, ita nunc Chryſippo ſubtiliter & acuté reſpondetur, naturæ cõtagionem multas quidem ad res valere, ad omnes non valere, imó veró quæ vis naturæ vitia diſciplina & volũtate ſuperari poſſe. Secundi argumenti tractatio magis imperfecta eſt, quám primi. Sed ex duorum philoſophorum Diodori & Carneadis argumentis, duobus diverſis & diſjunctis locis utcunque percipitur. Diodorus veró Chyſippo occultiús inſidiatur. Cúm enim fatum improbaret, Chryſippeum divinationis argumentum in Chryſippum ipſum (qui fatali cauſſarum ordini intexebat voluntarias & contingentes cauſſas) retorquebat, ut ſi divinatio eſſet, divinaque (ut loquimur) præſcita, omnia divinitus præſcita vera falſaque, ab æterno vera, falſaque eſſent. Unde fallaciter & captioſé concludebat omnia vera neceſſaria, omnia falſa impoſſibilia, nihil medium, contingens, fortuitum, liberum, quod tamen Stoicus ille in ſuo fato conſtituerat. Sic Diodorus everſo uno fati argumento totum fatum evertebat. Sed Diodorea ſententia licet verbo fatum oppugnet, re ipſa tamen non minus cõfirmat, quám ſeries Stoica. Nam ſi omnia futura, neceſſarió futura ſint, nil contingens, nil fortuitũ, nulla denique libertas animis noſtris relinquetur, ſed omnia neceſſitate fatali occupabuntur. Sic enim veriſſimé differit Ariſtoteles περὶ τῆς ἑρμηνείας,

ſublato

ſublato contingenti, fatum conſtitui. Hic Cicero Chryſippum Diodori ſophiſmatis explicare ſe neſcientem veriſſimé quidem deridet, at Cicero ipſe multó magis deridendus vel potiús accuſandus, qui ſententiam tam improbam, tam improbé & quidem permultis in locis repetitam comprobarit, aut certé cúm falſas ſibi refellendas proponeret, non refutarit. In reliquis duobus fati argumentis, logica Chryſippi ſpinoſior eſt, Hic enim ſic agebat, ac primum de enuntiatione, Neceſſe eſt omnem enuntiationem veram eſſe aut falſam: ergo in contradictione rerum enuntiatarum pars altera neceſſario vera, pars altera neceſſario falſa erit. De anteceſſione cauſſarum ſic: Quicquid fit, antecedente cauſſa fit: ego hujus facti eſt proxima quædam cauſſa: proximæ rurſus alia abhinc ſecunda, ſecundæ tertia, tertiæ quarta, quartæ deinceps quinta, quintæ demum ſexta: ut filii cauſſa pater, patris avus, avi proavus, proavi abavus, abavi atavus, atavi tritavus, eodemque modo in infinitum. Epicurus, qui dialecticam nõ modó neſciebat, ſed contemnebat, ad perfruendas voluptates cúm fati neceſſitate liber eſſe vellet, hæc dialectica argumẽta deridebat, omnemque enuntiationem veram eſſe aut falſam, rerumque omnium catenatas illas cauſſas antecedere negabat: Imó omnem efficientiam fortuitis atomorum declinationibus tribuebat. Cicero reprehenſionem Epicuream, ut ineptam & fatuam coarguit, & ſic exagitat, ut miſerabilius Epicuro nil eſſe videatur. At bone, imó etiã dialectice deus, utinam homines dialecticam artem aut veram noſſent, aut omnino nullam noſ-

sent. Enuntiatio & ex contrariis medio carentibus disjunctio, res sunt in vera dialectica notissimæ, tamen harum præceptionum ignoratio Chrysippum, Diodorum, Ciceronem ipsum, tantos nempe dialecticos in sententias tam impias impulit, ut crederent, si disjūctio necessaria esset, partes quoque disjunctionis alteram necessario falsam, alteram veram necessario, id est, alteram necessariam, alteram impossibilem esse: itaque ille immutabilē & sempiternam seriem, hi sempiternam omnis veritatis necessitatem confirmarent: Cicero tamen utrunque & enuntiationis & antecessionis argumentum persequitur, illud ex se inconstanter, hoc constanter á Carneade. Carneades autem veluti coryphæus (fuit enim philosophorum omnium disputator acerrimus (adversus Chrysippum postremus inducitur. Hic fatum una summa ratione tollebat, quia fato posito nihil esset in nostra potestate: sed præcipuē contra divinationem disputabat, nec divinationem sine fato posse consistere conclusionibus contortis efficiebat. Itaque Deo divinationem & omnem rerum contingentium scientiam adimebat. Tantam Carneadis impietatem Cicero probavit, & quod magis mirere, tandem tam confusis opinionem quasi fluctibus obrueretur, ad Chrysippeos scopulos ejectus, Chrysippi fatum fallaci & captioso arbitrio comprobavit. Sic tota de fato quæstio disceptatur, ut per istā Ciceronis logicam nescias utrū Posidonii, Chrysippi, á quibus fatum defenditur: an Diodori, Epicuri, Carneadis, á quibus fatum accusatur: an Ciceronis, á quo hæc controversia disceptatur & judicatur,

catur, gravior culpa sit. At dici fortasse pro Cicerone judice potest, librum injuria temporis valde corruptum, totamque philosophiam Ciceronis locis communibus, & quidem Academica licentia declamatis esse compositam: ideoque in ea Ciceronis judicium requirendum non esse, sed potius ex divina tanti oratoris eloquentia liberalem, quẽdam orationis fructum excerpendum. Fateor, inquam, truncum esse librum; ut initio confirmatione Posidonii & Chrysippi tota, & in his senilibus, Academicisque declamationibus magis oblectationem temporis & eloquentiæ exercitationem, quám rerum accuratam æstimationem Ciceroni propositam fuisse, ut si quid reprehendendum sit, non potius Ciceronem quã Græcos philosophos (á quibus per otium rerum forẽsium scholas istas transferebat) reprehendi conveniat: nec tamen si quid hic falsum vel impium sit, idcirco etiam laudandum vel approbandum judico: tantam verò Ciceronis eloquentiam esse, non solúm fateor, sed etiam prædico, ut mihi vel si res alienissimas tractaret, tamen propter divinum orationis ornatum legendus & cognoscendus, & in eo modis omnibus imitandus esse videretur. Veruntamen ut Ciceronem oratorem summum esse concedo; ita summum dialecticum esse confiteri non possum: quamobrem autem, é rebus ipsis in Brutinis antea quæstionibus, & nunc in hac de Fato quæstione patefacio & commonstro. Sed de his satis: Ciceronem de fato differentem audiamus.

DUODECIMA, RAMI IN SOMNIUM SCIPIONIS.

RECENTIS beneficii tui memoria, Præsul amplissime, tametsi laudi virtutique tuæ deditum, me tamen nescio quomodo vehementius cæpit & incendit, ut antea te hominé adolescentem genere clarissimum, omnibus naturæ dotibus ornatum, multis & variis literis excultum, prima inter Franciæ pares, dignitate præditum colere & observare debuerim: nunc veró novo quodam observātiæ genere prosequi debeam. Etenim qui se conditione hac, legeque natum existimat, ut reliquos mortales liberalitate foveat, auxilio tueatur, gratia sustentet, idque quantó & sæpius & largius faciat, tantó se fortunatiorem credat: eum sané non cum summis hominibus comparo, sed beatioris cujusdam atque excellentioris naturæ esse judico. Enimvero tam popularis illa tua & facies, & oratio, tam magnificus animus, tam aperta omnibus ad gratificandum beneficentia, nonne admirabiles illas in te laudes apertissimé demonstrant? Ergo & hanc tuam in summa fortuna bonitatem omnes tui familiares domesticique certatim imitantur: quám enim tota tua domus est referta non solúm doctis hominibus, sed humanis, sed benignis, sed promptis ad audiendum opitulandumque, si qui dominum adire salutareque cupiant? Quamobrem macte animi egregia ista virtute esto, laudumque tuarum

rum (quanvis maximus est) cumulum nova semper aliqua singularique accessione amplificato. Atque ut in me recognoscas (quod iampridem á teipso didicisti) quám illustre sit & insigne liberalia præsertim ingenia adjuvare, beneficiisque ornare: testimonium aliquod tuæ erga me liberalitatis esse volui. Explicādum sumpseram primis hisce diebus, quibus Academia respirare, & é superioris anni pestilentia se paulisper recreare cœperat, Scipionis somnium ex sexto Ciceronis libro de repub. Atque in tanti, tamque gravis somnii quęstione, existimavi veluti deliberationem quandam non ariolorum aut conjectorum imperitorum, sed eorum hominum, qui de his rebus scienter & prudenter loqui possent, habendam esse: neque metuendum, ne nobiles authores, qui suis in studiis singuli probarentur, universi unum in locum advocati, cúm sententias nobis suas explicarent, molestè aut fastidioſé audirentur. Itaque quæ tunc habui in illo tumultuario, subitarioque docendi, interpretandique studio, magis ea rapui, quám distinguere vel ornare potui: multos locos á Platone, Aristotele, Cicerone, Plinio, nonnullos á poëtis, quosdam etiam á nostræ religionis hominibus huc conjeci. Hujus igitur consultationis partes, tanquam librarius aut notarius (nihil enim amplius meum híc esse duco) conscripsi: easque ut Mecœnatem suum salutarent, fœlicemque perpetuó ac florentem esse juberent, ad te misi. Ac si tantúm tibi á gravissimis occupationibus otii fuerit, ut etiam quod in his legendis amittas, aliquid redundet: multa leges, quæ te non solúm in-

genua quadam cognitione oblectare, ſed laudum tuarum ſimilitudine excitare poſſint. Eſt enim nō injucūda de ſummo hominis extremoque bono, de ornatu & pulchritudine cæli, de terrarum deſcriptione, cultu, ſolitudine, de animorū immortalitate diſputatio: tum verō quid illa? quo animo legens exiſtimabis? Scipio eſt in hac ſomnii fictione princeps nobiliſſimo ſanguine creatus: at majores habes Syriæ, Sicilięq; reges ampliſſimos, patrem maximorum in Gallia exercituum bellorumque principem, patruos avunculoſque, tum duces magnorū populorum, tum cardinales Romanæ curiæ primarios. Scipio propoſitis in cælo præmiis cives ſuos ad juſtitiam pietatemque cohortatur: at te ſumma tua cum gloria patronum univerſa Gallia ſibi deſignavit, per quem veram pietatem, verumque Dei optimi, maximique cultum tueatur. Scipio ſomnians patrem Paulum, avumque Africanum, ſermonis hujus magiſtros habet: at tu vigilans in primis, attentuſque tam ſplendido tot epiſcoporum comitatu ſeptus, Deſpenſeum illum Theologorum noſtrorum tanquam Coriphæum, doctorem Chriſtianæ religionis habes. Quamobrem tam liberaliter hoc munus accipies, quām grato animo muneris authorem frequenter accepiſti: monumentique hujus recordatione pones ante oculos non ſolūm amplitudinem, claritatemque familiæ tuæ, ut te, quēadmodum de Aſcanio apud poëtam eſt,

Et pater AEneas, *& avunculus excitet* Hector.

Sed te, te inquam, tibi potius audiendum, ſpectādum, æmulādum propones: cūm enim veſtigiis, quibus

quibus adhuc ingressus es, iisdem insistere, sicut facis, perseverabis: non modó eorum, qui tibi præluxerunt, sed majora quædam, præstantioraq; omnis honoris insignia, ornamẽtaque consequére. Vale. Lutetiæ, E gymnasio Præleotũ. Anno 1546. salutis humanæ 6. Calend. Martii.

DECIMA TERTIA, RAMI IN CIC. DE LEGIBUS.

MARCUS Tullius Cicero, Mecœnas, sex libris de Repub. descripserat, non tãtúm é populi potestate & optimatum authoritate, sed tribus justis generibus, Regio, Aristocratico, Timocratico temperatam: ut ex iis locis cõstat, quos in Somnium Scipionis tibi nũcupavimus. Primo quidem & secundo definita erat Respub. res populi: definitusque populus, cœtus juris consensu & utilitatis communione sociatus: Factaque reipublicæ partitio fuerat in justam, cúm rex unus, aut optimates pauci, vel populus universus secundum leges imperaret: & injustam, cum tyrannus, aut factiosi pauci, aut turbulentus populus pro libidine dominaretur: Tum in fine secundi factã é tribus illis justis Rebuspub. temperationẽ, Scipio musica similitudine collaudavit: Ut in finibus, ait, & tibiis atque cantu ipso ac vocibus, concentus est quidam tenẽdus ex distinctis sonis, quem immutatum ac discrepantem aures eruditæ ferre non possunt, isque concentus ex dissimillimarũ vocum moderatione, concors tamen efficitur &

congruens: ſic ex ſummis, & mediis, & infimis interjectis ordinibus, ut ſonis, moderata ratione civitatem conſenſu diſſimillimorum concinere: Et quæ harmonia á muſicis dicitur in cantu, eam eſſe in civitate concordiam, arctiſſimum atque optimum omni in Repub. vinculum incolumitatis. Quæ moderatio eadem tertio Legum á Cicerone repetitur, & propriis magiſtratibus ornatur, Regio Coſs. imperio, Ariſtocratia Senatus authoritate, Timocratica populi poteſtate: De quo ſi quis accuratius cognoſcere cupiat, legat ſextum Polybii: ubi hæc é tribus generibus temperatio clariſſimé docetur, & ampliſſimé laudatur. Atq; in fine ſecundi libri poſita quæſtio eſt de juſtitia, an ea Reipub. optime congruet, & tertio toto deinceps acerrime tractata. Quarto de civiũ moribus per magiſtratus legitimé corrigendis, non per poëtas ſcenicé deridẽdis erat actum. Quinto & ſexto princeps civitatis erat ornatus & inſtructus. In qua tota diſputatione Cicero Platonem imprimis, ſed & Ariſtotelem, Theophraſtum & reliquos veteres Academicos erat imitatus: Stoicos nequaquam videtur, cúm tertio Legum dicat, á veteribus Stoicis non ad hunc uſum popularem & civilem de Repub. diſputatum: Et ad recẽtiores Stoicos Dionem & Panætium, ab Academicis veteribus politicã diſciplinam manaviſſe. Atq; hoc ſex librorum de Repub. argumentum fuit, quos libri de Legibus ſecuti ſunt: quid ſit lex, quæ legis genera. In quibus á Platone genus quidem orationis Cicero ſe dicit imitari: Sic enim ſecundo Legum de Platone Quintus loquitur.

Habeo

Habeo vero, frater, & in hoc admodum lector, quod in aliis rebus aliisque sententiis versaris, atq; ille: Nihil enim tam dissimile est, quã vel ea quæ ante dixisti, vel hoc ipsum legis exordium, Unum illud mihi videris imitari orationis genus. Genus verò orationis quid sit, & quibus rebus hæc imitatio contineatur, operæpretium sit é Ciceronis ipsius locis animadvertere, ut similem materiæ, personarum, temporis, loci, modi, procœmiorũ rationem Cicero sit imitatus. Att. Atqui si queres ergo quid expectem, quoniã scriptum est á te de optimo Reipub. statu, consequens esse videtur, ut scribas tu idẽ de Legibus: Sic enim feciſſe video Platonem illum tuum, quem tu admiraris, quem omnibus anteponis, quem maximé diligis. Plato scripsit de Repub. primum, de Legibus deinde: Cicero scripsit de Repub. primum, de Legibus deinde, genus orationis hoc primum simile est: sed tamen in quo dissimile illud est, quod Plato non confirmat suis Legibus descriptã anté Remp. ut Cicero, sed secundam constituit. M. Visne igitur ut ille cum Crete Clinia, & cum Lacedemonio Megillo, estivo quemadmodum describit, dié in cupressetis Gnosiorum & spatiis sylvestribus crebro insistens, iterum aquiescens, de institutis rerum publicarum, ac de optimis legibus disputat: sic nos inter has proceriſſimas populos, in viridi opacaque ripa ambulantes, tum autem residentes, quæ Ramus iisdem de rebus aliquid uberius quám forẽsis usus desideret? Hæc similia sunt multa: Tres Platonis in Legibus sunt personæ, totidem in Legibus Ciceronis: Plato uno æstivo

die totam legum disputationem confecit, Cicero sic peroravit: Ille in cupressetis Gnossiorũ, hic in Platonis Arpinatum: Ille crebro insistens, interdum acquiescẽs: hic tum ambulans, tum residens. Quin illa temporis circunstantia secundo libro iteratur. Hodierno sermone cõficiam, spero, hoc præsertim die: video enim Platonem idem fecisse, omnemq; orationem ejus de Legibus peroratam esse uno æstivo die. Iteratur item loci circunstantia. Sed ventum in insulam est, &c. Ubi longior est oratio, quomodo Fibrenus fluvius quasi rostro divisus, facit insulam, & rursus confluens præcipitur in Lirim tam gelidum, ut vix pede tentari possit, quod in Phædro Platonis facit in Ilysso fluvio Socrates. Sed proœmium legis seu laudationem, & suasionem imprimis á Platone, singulis tribus libris Cicero imitatur. Primi siquidem libri disputatio, quod lex sit secundum naturam, nil aliud est quã legis collaudatio & suasio. Atque ejusmodi permulta sunt. Disquirit in Phædro Socrates, an sermo de Orithyæ raptu sit verus: disquirit Cicero, an poëma de quercu Mariana sit verum. Ergo hanc similitudinem subjectarum rerũ, personarum, locorum, temporũ, actionum proœmiorũ iis in libris á Platone Cicero videri vult imitari: leges vero ipsas á Romanis institutis & moribus assumere: cum secundo dicat Atticus de religionis lege. Concluſa quidem est á te magna lex sane quám brevi: &, ut mihi quidem videtur, non multo discrepat ista constitutio religionum á legibus Numæ, nostrisq; moribus. Et paulò póst Marcus: Ergo adeo expectatæ leges, quæ genus

illud

illud optimum Reipub. contineant, & si quæ forte á me rogabuntur, quæ non sint in nostra Rep. nec fuerint, tamen erant feré in more majorum, qui tum ut lex valebat. hæc Cicero. Attamen nominatim pleraſque ſententias accipit á Platone ut de Muſica ſecundo & tertio, de ſacrificiis, de non conſecrandis agris, de funeribus ſecundo ut magiſtratibus obediatur tertio: & á veteribus Academicis (quos nominatim appellat) indicat quædam ſe imitari: Et explicationis noſtrę progreſſio declarabit quód non ſolúm ſimilis, ſed eadem plerunque Platonis & Ciceronis ſit oratio. Atque de imitatione jam ſatis. Nec vero pauciores de Legibus libri videntur fuiſſe, quã de Repub. cum jam quintus liber, ſole paululum duntaxat á meridie devexo procederet, ſicuti conſtat é capite quarto libri ſexti Saturnal. apud Macrobium. ubi docetur umbraculum non eſſe compoſitũ á Virgilio nomen, ſicuti quidam credidere, cum ſit eo ſic uſus Cicero quinto de Legibus: Viſne igitur quoniã ſol paululum á meridie devexus videtur, neq; dũ ſatis ab his novellis arboribus omnis hic locus opacatur, deſcẽdamus ad Lirim eaque quæ reſtant, in illis alnorum umbraculis perſequamur: hæc ille, Unde cum diem unum æſtivum ad explicationem legum, more Platonis, perorandum Cicero ſumpſerit, conſtat medio fere tantũ tempore, quintum librum proceſſiſſe, & reliquam præterea diſputationem ſuperfuiſſe, quæ reliquo die perorararetur: tametſi Quintilianus duodecimi libri capite tertio, videtur ſignificare Ciceronis opus imperfectum jam ante Macrobii tempora

fuisse: Et M. Tullius, inquit, non modo inter agendum nunquam est destitutus scientia juris, sed etiam componere aliqua de eo cœperat. Atque hæc universi operis communia sunt. De singulis verò libris seperatim & subtilius dicendum. Primò igitur libro lex definitur, ratio summa insita in natura, quæ jubet ea quæ facienda sunt, prohibetque contraria: Deque prima definitionis hujus parte quæstio disceptatur, legem natura non opinione constare, eamque homini á natura insitam esse, hominisque naturæ plané congruere: quia lex deorum, quæ est eadem hominum, secũdum naturam hominis sit: quia sit hominũ inter se tum societas tum benevolentia naturalis: quia philosophi sic esse confirmant: Idem & conscientia, & virtus, & finis bonorum & philosophia tota comprobat: quæ disputatio (ut dixi) legis est laudatio quædam & suasio. Sed proœmium prolixum præponitur de quercu Mariana, de historia, de jure civili.

PETRI RAMI MATHEMATICÆ PRÆFATIONES.

PRIMA.

OMMES artes, Præsul amplissime, quæ cognitionem honestam, & liberalem scientiam continent, allicere ad se percipiendum animos nostros debent: sed mathematicæ imprimis disciplinæ, in quibus si vel immensam materiam,

teriam, vel ſummum conſtructionis artificium conſideres: ſic operis elegantia cum materiæ vaſtitate certare videbitur, ut cum ingens rerum moles admirabilis tibi viſa ſit: te tamen compoſitionis ſplendor multo vehementius oblectet ac retineat attentius. Etenim quid eſt in omni natura tam varium, tamque multiplex, quám numerorum varietas, atque multitudo? Quid tam magnum, atque amplum, vel oculis cerni, vel animo cogitari poteſt, quám terrarum, aquarum, aëris, cœlorum, mundique univerſi magnitudo, atque amplitudo? Atqui hæc materies tam varia, tam multiplex, tam magna, tam ampla mathematicæ ſcientiæ propria eſt. Quam tamen incredibilis rerum ordo, diſpoſitioque, ut adhuc hominum opinio fuit, omni laude longe ſuperat, ac vincit. Hic enim prima mediis, media poſtremis, omniaque inter ſe, velut aurea quadam Homeri catena ſic vincta, colligataq; ſunt: ut nil aptius, nil compactius, nil firmius fingi poſſe videatur, poſitis principiis, tanquam ſolidis fundamentis conſequentium demonſtrationes affirmantur. Quamobrem minime mirandum eſt Pythagoram, Platonemque hujus admiratione diſciplinæ captos, majus in ea diviniuſque quiddã deprehendiſſe, quám ut humanis ſenſibus tribuendum arbitrarentur. Itaque in anima tam excellentes notitias ab intelligentiæ primæ ingenitis & æternis exemplis inſitas, & ingeneratas crediderunt. eique propterea nomen ipſum ἀναμνήσεως quaſi reminiſcentiæ, recordationiſque (ut Proclus author eſt) affinxerunt: quaſi tanta ſcientia non ab homine inventa, ſed divinitus in animis noſtris

impreſſa, recordatione animadverſarum rerum paulatim recrearetur. Verumenimvero quam longa oblivio, quám tarda recordatio iſta fuit? Primi illi homines (ut Joſephus antiquitatis Judaicæ ſcriptor ait) Adamus, Sethus, Enus, Noëus vitę & lõgiſſimæ & contemplationi deditiſſimæ beneficio, in hanc recordationem incubuerunt: & ne alia novæ oblivionis caligine circunfuſa teneretur, duabus ingentibus columnis exaratam, deſcriptãque ad poſteritatem tranſmiſerunt. Hinc Ægyptii, Græci, Itali, Siculi, Arabes, Hiſpani, Germani, Galli, omniumque terrarum populi acceptam excoluerunt, atque amplificarunt. Hinc tot, tamque excellentia ingenia excitari, Thaletis, Pythagoræ, Hippocratis, Platonis, Eudoxi, Ptolemæi, Euclidis, Archimedis, aliorumque innumerabilium cœperunt: videlicet ad hujus mathematicæ recordationis opus exædificandum, tot fabros, tot architectos adhiberi oportuit, quia non modo non homo unus, aut ætas una: ſed vix multa & hominum, & ætatũ millia ad conſtituendam tam nobilis, tãque præſtantis doctrinæ ſcientiam ſufficerent. Quamobrem ut publica ſtudia, ad hanc cognitionem amplexandam, non ſolum induſtria, quod aſſidué facimus, ſed etiam facultate librorum, & copia juvaremus: curavimus excudendas matheſeos antiquorum ab Euclide collectas, ſemotis interpretum & commentis & figuris: non quod interpretes improbemus: ſed ut neminem ſumptus (qui in hos libros antea major erat, quam tenues diſcentium fortunæ ferre poſſent) imposterum á diſcendo deterreat. Si quid autem obſcurũ fuerit,

longé

longé cómodius viva præceptoris intelligẽtis oratio, quá picta in libris interpretũ manus explicabit: quódque ad figuras attinet, magis laudabo discipulum in abaco & pulvere figuras sibi demonstratas imitantem, quam otiosè & inutiliter alienas picturas aspectantem. Quæ ad te merito scribere nobis videmur, in quo non solum disciplinas & virtutes excellentes admiramur, sed etiam singularem amorem in honesta disciplinarum & virtutum promovendarum studia cognoscimus. Vale. 5. Cal. Febr. 1544.

SECUNDA.

MATHEMATICA in numeris & formis elementa (MECOENAS) incredibili quondam scientiæ laude apud Hebræos, Ægyptios, Græcos, Italos viguerunt: Hęc enim primorum generis humani parentum, Adami, Sethi, Noëi divina contemplandis optimi maximique Dei mathematicis operibus otia fuerunt: hæc Ægyptiorum per Abrahamum & cæteros deinceps Hebræos eruditorum nobilia, religionis & sacerdotii vacatione studia fuerunt: hæc tandem Græcorum & Italorum, Thaletis, Pythagoræ, Anaxagoræ, Hippocratis, Platonis, Archytæ, Aristotelis, Euclidis, Philolai, Archimedis, reliquorumque omnium (de quibus Proclus scripsit) celebrata gymnasia fuerunt: adeó ut multis etiam posteá temporibus tenera puerorum ingenia his elementis formarentur: in his doctis abacis, in

hoc erudito pulvere exercerétur: Opifices etiam vulgó, ut pictores & architecti scirent & uterentur, imó etiam libros scriberent, ut de Apelle legimus, de Vitruvio ex ejus etiam monimentis videmus. At nescio quot abhinc secula, vix ac ne vix quidem pauculis toto terrarum orbe non dico pueris aut opificibus, sed viris doctis longo studio fatigatis elementa mathematica cognita sunt: á nemine certé (quod inquirendo cognoscere potuerim) ad illum veterum usum adhibita. Denique huc elementa mathematica redierę, ut jam plerique omnes (quam nonnullorum opinionem Quintilianus etiam jam tum queritur ætate sua fuisse) opinentur in mathematicis elementis partem pueris utilem esse, atque hinc acui ingenia, & celeritatem discendi venire: sed prodesse has artes non cæterarum more, cúm perceptæ fuerint, sed cúm percipiuntur. Cujus erroris caussam siquis ad hominum inertiam ignaviamque retulerit, cúm id ei concesserо, certé magnam minimeque dubiam obscuritatis immẽsæ caussam conjungam, quam ex Aristotele quidam ejus interpretes adnotarunt nono capite primi libri de Demonstratione: & decem abhinc annos Aristotelicę Animadversiones nostrę pleniús admonent. Sed si quis nondum perspiciat, é verę scientiæ materia formaque, quam Aristotelis Analytica instituunt, facilé jam perspiciet: Analytica nempe definiunt ad scientiam facili & perspicua via instituendam, materiam præceptis catholicis, id est non solúm necessariis & homogeneis, sed propriis, ut generalia generaliter,

specia-

ſpecialia ſpecialiter doceantur. Formam autem methodo præceptorum & ordine, ut naturá prima primo, media medio, poſtrema poſtremo loco ſint: Sic Ariſtoteles docet ſecundo & quarto, & deinceps aliquot capitibus primi de Demonſtratione. Secundum quam artificioſæ & materiæ & formæ legem principió é mathematicis artibus Arithmetica definienda eſt, ejuſque generalis in componendo diſſolvendoque numero affectio proponenda: Deinde ſpecialis doctrina numeri abſoluti, comparati, figurati, per ſuas cujuſque & catholicas partes & proprietates deducenda. Cujus generis arithmeticum rudimentum utcumque á tyrone & novitio prima deſcriptione licuit, expoſui: idem in Geometria de linea, ſuperficie, & corpore perſequi conſtitui. Quid igitur in mathematicis elementis, aut in mathematicorum elementorum demonſtrationibus contra leges iſtas offenſum eſt? Certé in utriſque, multis modis eſt offenſum. Atque in elementorum materia primúm miniмé dubias offenſiones comperio. Arithmeticæ multa præcepta, ut de ratione libro ſecundo, & de Proportione libro quinto. de Symmetria libro decimo, nomine magnitudinis traduntur: id non eſt homogeneum: Geometricum præceptum in numeris eſt ἄρριθμον: Arithmeticum in lineamentis eſt ἀγεωμέτρητον. Itaque arithmetica arithmeticé, geometrica geometricé doceantur, ut Ariſtoteles ſeptimo, octavo, nono capitibus primi de Demonſtratione docet: In numeris ſymmetria, ratio, proportioq; doceatur; tũ ad magnitudines,

imo ad res omnes numeratas adhibeatur: omninoque quicquid mathematicum eſt numeri & magnitudinis commune, in numero docendū eſt, quia numerus naturá prior eſt magnitudine. Ex his heterogeneis præceptis quædam etiam bis ponuntur: modó nempe de magnitudine, modó de numero, ut quinto, ſexto & ſequentibus libris. Ταυτολογίαν autem Ariſtoteles in Analyticis & in Topicis vehementer accuſavit, & in Elenchis, Sophiſticę finem cōſtituit: Præcepta etiam non pauca ad bene numerandum neceſſaria in elementis deſiderantur: Nonnunquam enim genere poſito, ſpecies tacentur: ut in quadrati compoſitione é planis ſimilibus nono libro: Contrá ibidem in cubi compoſitione ſpecies omiſſo genere proponūtur: utraque omiſſio in arte quidem periculoſa eſt, ſed multo periculoſior eſt generis omiſſio. Denique ſi elementa perfecta & abſoluta dicenda ſunt, quibus perfectè & abſolutè rudis & imperitus inſtitui poſſit, quám multa deſint in mathematicis elementis, intelliget is, qui doctrinam numerandi perfectam & abſolutam requiret. Atque hæc in materia & præceptis: quorum formam & collocationem in totis quindecim libris nō multo meliorem competies, Arithmetica, ſcientia eſt ſeparata: Geometria item ſcientia eſt ſeparata: Itaque præceptis utraque catholicis ſepatari, & naturá prior præcedere, poſterior ſequi debuit. Quid igitur in elementis eſt factum? Arithmetica, quæ naturá prior eſt nominatim ſeptimo, octavo, nono libris ſequitur: Geometria, quæ poſterior eſt ſuperioribus libris magnam partem antecedit. Id Ariſtoteles

ſtoteles amethodum præpoſterúmque diceret, eamque certam obſcuritatis eſſe cauſſam confirmaret. Quædam propoſitiones res diverſorum generum ſine comparatione tamen complectuntur, ut de figuratis numeris libro nono: At ut quidque naturá prius poſteriuſve eſt, ita priore loco vel poſteriore dicendum. In multis libris ſpecies antecedunt, genus ſequitur. At inquit Ariſtoteles primo de partibus animalium, aut univerſalia priús explicanda ſunt, aut idem ſæpiús eſt dicẽdum: per ſpecies enim dicitur, quod de toto genere erat univerſaliter prædicendum. At ait idem quarto capite primi de Demonſtratione, qui tres angulos duobus rectis pares docet per ſpecies, Iſopleurõ, Iſoſceles, Scalenum, ſophiſticé docet, quia tres doctrinas pro una facit: generalia enim generaliter docenda. Hanc igitur doctrinam Ariſtoteles repudiaret, quia præpoſtera eſt. Definitiones primorum ſex librorum accumulantur ante primum librum cum poſtulatis & ſententiis communibus: trium ſequentium ante ſeptimum, decimi ante decimum: quædam etiam in medio decimo: reliquorum librorum ante undecimum. At vera methodus nequaquam iſtum definitionum cumulum in veſtibulis librorum coacervaret, ſed rei naturá primæ definitionem primo loco, mediæ medio, extremæ extremo conſtitueret: ſuis item locis poſtulata & ſententias collocaret. Quare qui ſic elementa mathematica compoſuit, heterogeniam, tautologiam, rebus etiam neceſſariis compluribus omiſſis, hyſterologiam, non perfectam catholicæ ac methodicæ inſti-

tutionis disciplinam composuit. Atque hæc elementa licet á primis usque hominibus repetita, tamen hunc in modum & proposita & collocata ab Euclide, existimantur: Quem virum mathematica singularum propositionum scientia tanquam singularem & propé divinum suspicio equidem & admiror, in eoque mihi observandum religiosé & colendum propono: At logica recté & ex ordine docendi prudentia, parem efficere nequeo. Quin Euclides á Ptolemæo rege, ut Valla scribit, interrogatus, num brevior elementis ad Geometriam via ulla esset, nullam methodi melioris intelligentiam indicavit, cúm respondit, regiam ad has artes viam non esse, tanquam elementa mathematica necessarió sic obscura essent, ideoque regium iter, id est planum & omnibus pervium habere nullo modo possent. Euclidis igitur logica in elementis ejusmodi est: Theonis logicam in elementorum demonstrationibus videamus: & primum quid demonstratio sit, attendamus. Demonstratio, ut ejus inventor & author Aristoteles docet primo de Demonstratione, est concluſio adjunctæ qualitatis de subjecto proprio per causſam non solúm necessariam, sed propriam & naturá primam, propter quam qualitas illa in tali subjecto insit: Et sic Theon videlicet Aristoteleus esse voluit, ut proprietates quantitatum ex Aristotelis lege demonstraret: At in tot elementorum libris ejusmodi concluſio prorsus nulla est: imó (ut contra Aristotelem ipsum nono & decimo Animadversionum libro disserui) in natura rerum esse

nulla

nulla poteſt: cúm tales proprietates per ſe & ſine ulla cauſſa alia in ſubjectis ſuis naturaliter inſint. Quæ ſunt igitur Theonis demonſtrationes? perpaucæ, quæ ex generalibus proprietatibus ſpecialeſ deducunt, ex ſua cauſſa rem demonſtrant: imó ne ex ſua quidem cauſſa demonſtrant: nec enim genus unius ſpeciei proprium eſt. E reliquis veró aliæ principia, ut quinto libro, genere orationis tantúm commutata demonſtrant. At ſi principia ſint, ſunt (ait Ariſtoteles ibidem) ἀναπόδεικτα, ἀμετάπειστα ἀμεταπίστωτα, id eſt, demonſtrari, diſſuaderi, fide mutari non poſſunt: cauſſas omnino ſuæ veritatis præter ſe nullas habent. Aliæ quæſtionem nihil omnino demonſtrant, ut cúm de planorum æqualitate agitur, initio ſecundi, planorum fabrica, quæ tamen ponenda ſit in theorematis, híc velut in problematis texitur: de quæſtione æqualitatis, quæ ſola poſita erat, tacetur. aliæ per impoſſibile cogunt: at híc diſcipulum docilem ſua ſponte & attentum, rerum cauſſis informari decuit, non cogi oppoſitis abſurdis ad id credendum, cujus cauſſam ignoraret: Et Ariſtoteles veriſſimé docet ſexto capite ſecundi de Demonſtratione, & tertio capite ſexti Topici, oppoſita æqué nota vel ignota eſſe: & quinto capite octavi Topici, peti, non demonſtrari quæſtionem, & id quod erat in principio, cúm ex contrario contrarium probatur: aliæ (quæ pars eſt maxima) per collationem parium aut ſimilium concludũt: At Ariſtoteli neque par, neque ſimile pro demonſtrationis argumento probaretur: non enim quia par aut ſimile, verum eſt: cauſſa eſt apodictica,

quamobrem par aut ſimile ſit etiam verũ. Unum veró demonſtrationis genus eſt in Theone, quod imprimis ejus logicã prodit: Propoſitiones quædam ex aliis aſſumuntur, & pleno ſyllogiſmo cõcluduntur, ut de menſura continué ſimilium & figuratorum notavi: Theon tamen híc ſyllogiſmum nullum, nullum conſtantis concluſionis judicium animadvertit, ſed veluti quæſtionem neque concluſam, neque judicatam, ſuis demonſtrationibus concludere & judicare nititur. Quare licet hominem mathematicarum rerum intelligentia Euclide non inferiorem putemus, attamen videmus adhuc quám demonſtrationibus ſuis elementa mathematica non illuſtret, ſed obſcuret. Si veró nobis reclametur, elementa mathematica iſto modo demonſtrari non poſſe, & ſublatis demõſtrationibus ſcientiam rerum perituram eſſe, ego contrá reſpondebo, in præceptis artium catholicis ac methodicé collocatis, nõ res dubias ſine cauſſis & argumentis ullis nudé quæri, ut demonſtrator elementorum de elementis videtur credidiſſe, ſed ex antecedentibus cauſſis effecta: ſubjectis adjuncta: non Ariſtotelis commentitia illa quidem, ſed certé naturali & aperta demonſtratione ſingulariter & eximié demonſtrari. Denique mathematica elementa logicis legibus illis inſtitue: propoſitiones ſingulæ loco & ordine collocatæ, ipſæmet ſuæ veritatis non tantúm propoſitiones, ſed etiam demonſtrationes erunt: nec ſyllogiſticam ex cauſſa, quæ nulla per naturam eſſe poſſit, concluſionem, ſed exemplum rei & exercitationem tantúm deſiderabũt.

Ita,

Ita, qui fructus eſt omnium (quos híc optare poſſis) maximus, mathematica elementa non ſolúm á viris ætate & labore confectis, ſed á pueris, á pictoribus, ab architectis facilé perdiſcentur, facilé exercebuntur. Veruntamen (dicet aliquis) Ariſtotelem ſæpius híc appellas, & eundem tamen authorem perpetuó non probas. Equidem Ariſtotelem ſæpius appello, ut notatis locis cognitio verorum principiorum, exquirenti plenior appareat: non quód hominis authoritate in tanta doctrina adverſus Euclidem vel Theonem uti velim, cúm hos doctores in mathematicis artibus Ariſtotele nihilo minores authores exiſtimem: nec Ariſtoteli tamen aſſentior in eo ſyllogiſticæ demonſtrationis commento, cui ab ipſa rerum natura aperté reclamari ac repugnari ſentiamus. Itaque concludo ut ſemotis perſonis res accuratiús judicetur: ſi logicorum illorum de materia, deque forma ſcientiæ, principiorum perſpicuitas probetur, tantam in elementis & in elementorum demonſtrationibus, tamque contrariam obſcuritatem probari non poſſe. Quamobrem Deũ Opt. Max. oro & obſecro, ut ad hoc opus catholicis illis & methodicis legibus conformandum, omnes (ubicũque terrarum ſint) hujus tam præſtantis ſcientiæ peritos & intelligentes excitet: Mihi enim vel optare magnum eſt, quod beatis illis ingeniis voce mea tãtummodó monitis præſtare fortaſſe ſit facillimum: ſeró enim huc & jam caneſcens accedo: at rebus anté cognitis & uſu longo verſatis ac meditatis opus eſt, ut iis judicium & methodũ prudenter adhibeas. Pytha-

goras quondam (ut Cicero ait) cúm in Geometria quiddam novi inveniſſet, Muſis bovem immolaſſe dicitur: Ego verò (MECOENAS) boves centum, & Hecatomben totam philoſophis illis & cupidiſſimé voveam, & voti damnatus, ſanctiſſimé perſolvam, á quibus mathematicas artes pueris faciles, artificibus familiares, cognitione denique & uſu non tantúm mirabiles, ſed etiam populares factas eſſe videam.

TERTIA.

EMPETRAVIMUS, Catharina Medicea, regium hoc diploma de examinandis & nominandis regi profeſſoribus, Joanne Monlucio Valentinorum epiſcopo Bleſis primúm ſuadente: deinde Othone Caſtellonio cardinale palám ad regium conſilium apud Gergobinam Bojorum referente, ſed te in primis approbante: cujus gratiam non ſolúm quia maxima eſt omnium, quas adhuc á regibus ſuis regii profeſſores conſecuti eſſent, ſed quia ad omnes populos nationeſque pertineret, per orbem terrarum denuntiãdam, divulgandam, publicandam judicavi, ut omnes docti homines, quacunque é gente orti, intelligerent, regias academiæ noſtræ profeſſiones ſibi communes eſſe, unaque perſpicerent, quã ſtudioſum virtutis & doctrinæ regem nobis informares. Sed quoniam ingenui eſt animi, inquit orator, cui multum debeas, eidem plurimum velle debere: attende quid abs te regii profeſſores præterea

terea non poſtulent modó, ſed propé jam expectent. Mediceorum domus publicum omni doctrinæ liberali hoſpitium Florentiæ fuit, & Coſmus Mediceus, Magnus propterea cognominatus eſt. Híc enim Chryſoloras primus græcas literas tota Europa latina multis jã ſeculis intermortuas excitavit, unde Lutetiam á Tifernate Chryſoloræ diſcipulo protinus, indeque in omnes Europæ regiones delatæ ſunt. Híc Argyropylus græcé Ariſtotelis philoſophiam docuit, & é græco in latinũ converſam, Coſmo nuncupavit: Híc Ficinus Platonem etiam latiné loquentem fecit, fructumque coſmianæ liberalitatis ſingularem tulit, donatus elegante villa Careggio Coſmi vicina, ubi liberius philoſopharetur: Híc denique græci philoſophi omnes, relicta græcia in Italiam ad Coſmum hoſpitem profecti, interprete Ambroſio latinis cogniti ſunt: Et quidem quó libentius docti cujuſque doctrinæ homines Florentinam Coſmi academiam frequentarent, cœnobium ſancti Marci magnificé á Coſmo ædificatum eſt, in eoque bibliotheca exornata libris omnium generum. Sed Laurentius Mediceus Coſmi nepos, avum etiam magnificentia vicit. Scholas duas, alteram Florentiæ, alteram Piſis fundavit, Chalcondylam, Veſpucium, Landinum, Politianum, Baptiſtam Mantuanum, Laſcarim, Marullum, Acciolum magnificentiæ ſuæ præcones habuit: Laſcarim etiam per univerſa barbarorum imperia dimiſit ad raros antiquorum authorum libros exquirendum. Itaque é Græcia, Ægypto, Syria, etiam voluntate permiſſuq; Sultanorum, Laurentii ſtudio faventium, conqui-

ſiti undique magno ſumptu libri & Florentiam comportati. tumque fama fuit Græcos, imperio quidem á Turcis, ſed bonis artibus atque antiquis authoribus á Laurentio ſpoliatos eſſe. Ergo florẽtina bibliotheca illa á Coſmo inſtituta, á Laurentio non ſolúm tabulis & ſignis excellentium artificum, ſed tot tantiſque latinorum græcorumque virorum vigiliis & monimentis ornata, publicis ſtudioſorum deſideriis, tam grandibus impenſis dicata, omnes orbis bibliothecas longiſſimé ſuperavit. Quid vis amplius? Chriſtiani principes Laurentii fama commoti ſunt ad doctos homines impenſius colendum, ad academias omnium liberalium artium & ſcholas conſtruendum, ad bibliothecas inſtituendum, ut Sfortia dux Mediolanenſium: ſed & reges, Matthias hungariæ, Ferdinandus arragoniæ: maximé veró omnium Franciſcus franciæ, vel hoc uno bonarum artium ac literarũ amore á francis Magnus cognominatus, ut antea Coſmus á florentinis. Laſcaris nempe Laurentio mortuo ad Franciſcum venit, ut Tifernas antea Lutetiam venerat, regemque ſuapte natura audiẽdi diſcẽdique cupidiſſimum, vehementius inflammavit. Interea Budæum etiam erudivit, unde bibliotheca Fontis bellaquei tanto rege digniſſima, unde regii profeſſores Lutetiæ inſtituti, id eſt fontes laudandarum diſciplinarum aperti. Joannes Mediceus, qui decimus Leo pontifex fuit, majorũ bibliothecam diſcordiis civilibus afflictam reſtituit, & amore excellentium ingeniorum nihilo inferior fuit. Sadoletus, Bembus, Longolius mecœnatis ſui virtutem teſtificantur. Quid Coſmus

Mediceus

Mediceus Florentiæ & Senæ dux? quid aliud adhuc egit, & bibliotheca ad fanum D. Laurentii conſtituta,& publicatis pandectis, & ingenuis artibus fovendis colendiſque,quám ut domeſticum avitæ laudis patrimonium tueretur? Vides igitur, Catharina Medicea,quę Mediceorum tuorum facta tibi proponam? Potentia & opibus liberaliter uti ad patriam maximis bonis complendum, fundare academias,ędificare palatia muſis,doctos homines præmiis ornare,neque facinore tãtúm præclaro hominibus prodeſſe, ſed exemplo principes orbis terrarum ad æmulationem incendere. Atque hæc ſunt paterni generis. quid ſi á materna ſtirpe Bononienſium in Belgio comitum cum regibus & imperatoribus ſanguine conjunctorum gloria repetatur? Gotthofredus Bononienſis tria ampliſſima patrimonia, & ſuum & fratris & matris, ſacræ militiæ conſecravit, & ſacris ideo ſtipendiis,ſummo francorum,italorum, germanorũ conſenſu, hieroſolymorum regnum eſt adeptus: Patrias nempe regii animi virtutes franci complectebantur: Germani ſuas ducebant, quód antea ſub Auguſtorum ſignis illuxerant: Itali colebant, quia bello italico ſingulares eſſent experti. Quare in genere paterno ſunt philoſophi natura atq; animo patriæ veri principes, in materno ſunt heroes virtutis admiratione reges creati. In te veró cur degenerem,aut majoribus diſſimilem animum interpreter? Superba palatia & tecta magnifica Mediceis tuis placuére: Tegulariæ ædes quid viſum antea,vel auditum Pariſienſibus oſtentant? Bibliothecæ nobiles illis prægrandi pecunia redemptæ

ſunt: tu rariſſimos latini græcique generis, nequedum feré editos authores permagno numero, neque ſumptu minore tibi comparaſti, diſcendique cupidis communicari voluiſti. Teſtem hujus laudis, prẽter innumerabiles alios, me quoque feciſti. Coſmus literatos coluit, Laurentius etiam literas ſtudioſé didicit: Tibi diſciplinæ nobiles, ſed mathematicæ in primis á tenera ætate placuerunt. Gotthofredus ſanctum regnum virtute ſibi comparavit. Tu ſingularibus naturæ adeoque & fortunæ dotibus, Chriſtianiſſimo regi nupſiſti, ut regũ perpetua deinceps ſobole futurorum mater eſſes. Supereſt ad cumulandũ Mediceam palmã, florentina muſarum domus: Supereſt Florentiæ & Piſis fundata academia. Supereſt operis pars ſumma, ut mediceam, ut bononiẽſem famam exuſcites, viciniq; populi tuas laudes admirati, æmulari denique incipiant. Agedũ ſingulares illos animi atq; ingenii tui motus, conſecrandis per ædificia memoriæ tuæ monimentis, utlibet & quantumlibet admirentur alii: equidem tum demum non admirabor tantúm, ſed fortunatos judicabo, cúm tali ſtructuræ proprium ſolum invenerint. O me fidei ſpeique bonæ plenum! Enimveró quid de gloria tua & apud te dicentem erubeſcere neceſſe eſt? Nego igitur ſolum in terris aptius eſſe ullum ad præclaram Catharinæ Mediceæ memoriam æternę poſteritati conſecrandum, clivo Pariſienſis academiæ. Híc fundatum muſarum illud palladium, deſpectus in omnes regiones latiſſimos & jucundiſſimos habebit. Coſmus & Laurentius in Hetruria amœnas villas habuere: in earum nulla bibliothecam

bliothecam condiderunt, quia agris & ſylvis iſta nequaquam præparantur. in media patriæ luce collocarunt, ubi civibus ingenuis fructus ingenii longé gratiſſimus in promptu eſſet. & de Bellaquei fontis bibliotheca, te ipſam idem mihi reſpondere memini. Ergo bibliothecam conſtituito in urbe regni, cujus regina es, urbium reliquarum principe, & in academia omnium academiarum antiquiſſima celeberrimaque: Hîc Florentia & Piſæ abundé ſuppeditabunt: neque tibi Mahumete opus erit, á quo capta Conſtantinopoli grãmatici, oratores, philoſophi é Græcia expulſi in tyrrhenum litus ejiciantur. Adſunt omnes illi, prætereaque Latini & Hebræi: adſunt & mathematici, qui literas omnium linguarum atque doctrinarum liberalium, ſtipendio profitentur: ſed ſtipendio á mille manibus emendicato verius, quám á regibus donato: & quidem emendicato ea jactura & temporis & pecuniæ, ut bona pars tum temporis, quod ſtudioſæ juventuti pro regio ſtipendio tribuendum ſit: tum ſtipẽdii, quod pro mercede aſſidui laboris profeſſoribus regi expenſum fertur, in ſtipendii procurationem abſumatur. Auditoria profeſſoribus regiis Lutetiæ adhuc nulla ſunt: aula, vel via potiús eadem viciſſim omnes, & quidem precario duntaxat utuntur, eaque lege, ut prætereuntibus bajulis & lotricibus, & quibuſlibet interpellationum moleſtiis regiæ profeſſiones obnoxiæ ſint. Profeſſoribus ipſis domicilia mercede conducenda ſunt. At privatorum gymnaſiorum profeſſoribus conditio pauló eſt æquior: Victus ſuis horis paratus,

auditorium quieto loco ſecretum, domicilium definitum, ſtipendium etiam pauló clarioribus à gymnaſiarcho, minervale omnibus á diſcipulo perſolvitur. Illa igitur incommoda jampridem deplorantur, & Franciſcus magnus cúm forté inaudiſſet, opimam abbatiam præter ſtipendium profeſſoribus donavit: Sed Timarchides tum neſcio quis dedit operam, ne abbatia collegio addiceretur: partitus eſt ſingulis quantum placuit, partem nequaquã deterioté ſubſecuit ſibi: atqui extinctis jam cunctis profeſſoribus illis, extinctum quoque regis beneficium eſt. Sed Franciſcus magnus præclarum his malis remediũ comparabat. Gymnaſium loco, ædificio, vectigali, ordine, genere profeſſorum, diſcentium numero, ſed præcipué inſigni quodam gallicæ nobilitatis prytaneo, diu multumque deſcriptum ac meditatum pené inchoaverat. Henricum ipſe audivi de patris gymnaſio diſſerentem, palamque prædicãtem, ſeſe eadem omnia etiam magnificentius præſtaturum: Bella tamen & inopinæ mortes adhuc tantum bonum gallicis muſis inviderũt. Quamobrem, Catharina Medicea, excita tuo uno eodemque monimento, Coſmi, Laurentii, Gotthofredi, Franciſci, Henrici ſempiternam memoriã. Situm gymnaſii in medio academiæ tanquã centro, quó facillimus undique é tot gymnaſiis ſit acceſſus, tibi deſignavi, ubi auditoria profeſſionibus variis ſeparentur, domicilia doctoribus & diſcipulis regiæ liberalitatis alumnis aſſignentur: vectigal tantæ fundationi congruens, ærarium tuum nihil exhauriet: verbo uno, eoq; omnium

verbo-

verborum, quæ humana voce unquam prolata ſunt, juſtiſſimo ſanctiſſimoque : verbo, inquam, uno hæc omnia tantúm tibi conſtabunt. Dicam tamen de impenſis quod ſentio, apud animum ut largiſſimum liberaliſſimumque, ita largitionis & liberalitatis fructu digniſſimum. Mortales liberi mortalem, immortales immortalem gloriã memoriamque parentibus adferunt, ait Plato : nec ob humanos liberos unquam vel templa, vel ſacra cuiquam facta ſunt : At contrá Lycurgus Lacedæmone colitur, propter leges Spartæ & univerſæ græciæ ſervatrices : Honoratur & Athenis Solon, propter talem legum partũ : Coſmo Laurentioque ab invidis multa detracta ſunt : at parta é recte factis, id eſt immortalibus liberis gloria detrahi non potuit, quin córporibus extinctis, in intimis ſuorum civium pectoribus liberales erga patriã beneficique vivis animis perpetuó verſentur. Hieroſolymorum regnũ jampridem everſum eſt: at heroicum Gotthofredi regnum in animis hominum ſempiterna gloria florebit. Quid igitur ſubſtructiones illæ, quas ingenti hominum fama atque admiratione ædificas, quandiu Catharinæ Mediceæ futuræ ſunt? Hæredem certé nomine, quin animo fortaſſe longé differentem non ita multó poſt accipient : Et ſi tua, quandiu per naturam queant, futura ſint, tamen marmora muta ſurdaque erunt : At noſtra hæc, quandiu Francorum regum ſtatu incolumi Pariſienſis academia ſteterit, Catharinæ Mediceæ & erunt & appellabuntur, beneficentiamque tuam gratiſſimis animis præ ſe ferent, omnibuſque linguis &

literis apud omnes populos in æternum prædicabunt, & quidem præconiis longiús latiuſque reſonantibus, quám vix credi poſſit. Etenim operæpretium ſit Plinii ſententiam cum præſenti argumento comparare: Serrani, inquit, Cincinnatiq; temporibus, annonæ vilitas Romæ ſumma fuit. Quænam ergo tantæ ubertatis cauſſa erat? Ipſorum tunc manibus imperatorum colebãtur agri, ut fas eſt credere, gaudente terra vomere laureato & triumphali aratore: ſive illi eadem cura ſemina tractabant, qua bella: eademque diligentia arva diſponebant, qua caſtra: ſive honeſtis manibus omnia lætiús proveniunt, quoniam & curioſiús fiunt. Hæc ille non minus veré, quám ſplendidé. At quorſum, inquies? Floruerunt, inquam, bonæ artes ac literæ Florentiæ & Lutetiæ, majoremque doctorum hominum & operum proventum ſeculo uno vidimus, quám totis antea quatuordecim ſeculis majores noſtri viderant. Laureati nempe vomeres Coſmorum & Laurentiorum in Italia: triumphales aratores Franciſci, Henrici, Caroli in gallia, illos ingeniorum proventus, illas doctrinarum fruges, illa muſarum adorea conduplicarunt. Ecquam igitur fœcunditatem & copiam non ſperemus, ſi ſpes Italiæ, ſi ſpes Galliæ conjungantur? quos præcones, quibus vocibus, quám altè Mediceam gloriam perſonantibus, futuros arbitramur? Literæ latinæ, græcæ, hebraïcæ, philoſophia tota, quæ putatur, lætiſſimo fructu animos hominum impleverũt. En etiam mathemata (quibus & contemptus & vilitas & obſcuritas ab ignaris, ſpe ſordidiſſimi quæ-

ſtus,

ſtus, lumen artium liberalium extinguere conantibus, impudenter objicitur) tres ea de re mathematicos velut oratores ad te mittunt: primus dignitatem, ſecundus utilitatem, tertius novum quendam & inſolitum ſplendorem ſuorum numerorum & lineamentorum plenè & copioſè tibi demonſtrabunt. at pro una regia Pariſienſis academiæ mathematica profeſſione (quam cæca improborum hominum turpiſque cupiditas opprimere contendit) mille (ut bona ſpes eſt) mathematicas profeſſiones tota Gallia primũ, deinde Europa reliqua excitabunt. Denique diſciplinę omnes uno variorum ſonorum concentu, ſempiternam beneficentiæ tuæ laudem concinere geſtiunt. Hanc itaque vitam, Catharina Medicea, hanc memoriam, hanc poſteritatis æternitatem complectere animo, per Deum immortalem, totáque mente meditare.

QUARTA.

EX omnibus vigiliis (Lector) multos per annos in artium liberalium inſtitutione elucubratis nihil elementis mathematicis, nobis æquè vel exercitum laboribus, vel anxiũ curis, vel periculoſum temporibus accidit. Nam cúm á primis annis mathematum amore captus, Orontio Fineo (qui primus regia profeſſione in Galliam mathematicas artes retulit) operam dediſſem, protinus abductum rhetoricę & philoſophicæ exercitationes occupa-

runt: Interea tamen Joannem Penam noſtræ diſciplinæ alumnum nactus mathematici oneris faſce me ſublevatum & exoneratum putari. Adoleſcens enim fuit ingenio quidem ad omnes artes percipiendum mirabili, ſtudio autem in literis latinis & græcis, in philoſophia præcipué & mathematica tanto, ut ardentius aut flagrantius nihil unquam viderim. Quare cum mathematica profeſſio vacaret, & á nobis in examen productus, æmulatione competitorum ſeverius examinatus eſſet, ita mentes omnium cepit, ut etiam adverſarii eo loco digniſſimum judicarent. Ergo cõmendatione tam raræ eruditionis profeſſor factus, cum noſtris conſiliis excitatus ſpem mathematicæ illuſtrationis incredibilem concitaſſet, anno ætatis ſexto & viceſimo in ipſo profeſſionis pene veſtibulo extinctus eſt, magno mœrore noſtro, magnoque mathematicarũ rerum detrimento. Itaq; cum de phyſicis jam cogitarem, ſaxum idem rurſus humeris noſtris impoſitũ, animo potius quã robore ſuſtinui. Auxilia undiq; exquiſivi. P. Forcatelus (quod in mercatore Hippocrate mirum fuiſſe alibi ſcripſimus) ſine literatura, ſine philoſophia, ſolo ingenio atque uſu quodã mathematicus ſeſquiannum apud nos fuit. Hoc adjumento uſus cum Euclidem totum accuraté obſervaſſem, ecce belli civilis calamitas, fuga civiũ, bibliothecæ direptio, fruſtraque labores Euclidei: Verũ pace reſtituta, interim dum Grãmaticam, Rhetoricam, Dialecticam recoquimus, reliquias naufragii recolligere libuit, & per Cardinalem Caſtellonium Pariſienſis academiæ, id eſt omnis doctrinæ conſerva-

ſervatorem Forcatelo (cum alter mathematū profeſſor defunctus eſſet) mathematicam profeſſionem procurare: ut gallica ſaltem lingua gallicā juventutem exercendo regii collegii columnam iſtam qua poſſet, facultate tueretur. Antecedentibus igitur ſtudiis illis expeditis Euclides de integro repetitus eſt, & diligētius quā autea diſceptatus: Intereaq; Federicus Reſnerus Germanus nobis adfuit, qui quid in literis & mathematis poſſit, propediem ſuo marte in Opticis Alaceni & Vitellonis declarabit. Atq; hæc ſecunda aggreſſio cum ſtrenué procederet, inſania furioſorum humano ſanguine nondū ſatiatorū rurſus erupit, nec propius quicquam fuit, quam abjectis cæteris cogitationibus ſaluti conſulere, id fuit in optimatū caſtra confugere, & pro diagrāmatis radio deſcriptis urbes ferro flāmaque deletas, ſtrages totis campis miſerabiles, præliū denique longé omnium acerrimū ſpectare. Quid enim Pariſienſi prælio ſimile vel Marathon Periclis vel Salamis Themiſtoclis habuit? Sed hæc matheſis alio problemate deſcribetur. Tempeſtas ſexto poſt menſe ſedata eſt, domum reverſus nil in bibliotheca præter inania pulpita reperi. Reſnerus noſter (qui Lutetiæ permanſiſſet) é prædonū manibus mathematicas cōmentationes averterat. At vix domum reverſus videri poteram, cum jam tertiam tempeſtatē non obſcuræ nubes cælum intuentibus monſtrarent: cumq; Julianus alter edicto ad omnia academiæ cōpita per falſum regis nomē publicato (rex enim Chriſtianiſſimus, ubi per Senatū hac indignitate cōmotum reſcivit, indigniſſime tulit) cū Julianus

(inquam) alter iterum christianos scholis prohiberet: imó veró quod apostata ille nunquam cogitarat, armis expelleret. Itaque ne tertio naufragio funditus periremus, impetravi ab humanissimo rege annuę ad Europæ nobiles academias peregrinationis tanquam legationem liberam, é mediaque flamma mathematicos illos omnium rerum longé chariſſimos penates in Germaniam abripui: In extremis tamẽ regni finibus cum brevia & syrtes prætervectus mihi viderer, duodecim equites é jugo montis decurrentes animadverti, cædemque intentantibus & Condæi principis consiliarium hostiliter inclamantibus ultro occurri, & diplomate regii commeatus tantisper repressos docui longé alio nos apud regem esse numero locoque quam ipsis esset persuasum, aliaque tali tempori accommodata disserui. Ter dimissus, ter repetitus, tandem velocitate summa eó perveni, ubi sicariis licentia nequaquam par esset. Deinceps tutus & lætus in Germaniam adventus bonorum ac doctorum omnium (quibus adhuc occurrimus) singulari humanitate & gratulatione exceptus est. Hoc sacrum mathematis asylum fuit: reducta tandem (ut tertio mathematicarum scholarum libro proposuimus) & composita utcumque & numeris & lineamentis sunt elementa, eaque edita & publicata, saltem ne tot periculis erepta imposterum periclitarentur. Verumtamen tanta malorum Ilias insequitur, ut cum respirare primum cœperim, tum afflictæ patriæ graviſſimũ dolorem animo percipiã. Laborum istorum partus feliciora lucis auspicia mereri videbatur. Quẽ-

nam

nam igitur mecœnatem hoc munere potiſſimum colerem? Chriſtianiſſimumne regem? an ex optimatibus noſtris præcipuum aliquem? At Galliæ neſcio quæ furialis erynnis miſerabile regi ſpectaculum in ipſo & regni & ætatis initio videtur extruxiſſe, in quo principes regni ſui mutuis cædibus concurrentes ad extremum regni exitium ſpectare cogeretur. Itaque Deus optime maxime miſerere pereuntis regni, ſolem purioris religionis clarum & illuſtrem in Galliam tuam reducito, regem meum regum omnium beatiſſimum efficito: arma tot fortium utrinque virorum in hoſtes nominis tui convertito. Interea veró mathematũ ſtudioſos omnes obſecrabo, ut ſuſcipiant laceras iſtas totoque æquore jactatas

—*Reliquias Danaum atque immitis Achilli*

Si in Angliam repulerint: Eliſabetham reginam laudum virtutumque omnium patronam reperient. Si ad I. Stevardum Scotiæ rectorem principem cum bellica laude tum vera pietate inſignem acceſſerint, nuſquam á magiſtro naufragos veluti condiſcipulos gratiores acceſſuros exiſtimem. Germania jam mihi altera patria eſt, & præſens ſingulos mathematico proœmio appellatos ſalutare ſtatuo. In Italia Hieronymum Cardanum & Federicum Commandinum ubi ſalutaverint, non dubito quin gratis animis excipiantur. Sed in Luſitaniam ad P. Nonium ſecundos ventos exoptaverim. Hic enim vir Archimedeus, vir (inquam) Archimedeus eſt, qui ejectis & egentibus præcipué poſſit opitulari. Scripſi & reſcripſi hic pleraque millies, & infinitis ſubinde modis commutavi, an-

tequam ad propoſitam methodi normam quadrarent, magiſque logicam in mathematico themate exercui, quam mathematicam in ſuo pulvere ſerioque uſu tractavi: neque jam biennio toto ad hæc ſtudia recolendum á novis quotidie turbis requies ulla fuit: neque ideo dubito, quin tanta commutatio tanque tumultuaria editio pleraque tulerit, quæ pacatioris & quietioris otii meditatio non ferret: Hanc igitur meditationem mathematici mathematico proœmio appellati capeſſite: uſum locis omnibus exigite: hujus enim gratia permulta ex elementis ſuſtuli, & vos fortaſſe plura tolleris: aut quorundam nobis ignotum fructum demonſtrabitis. Statueram ſingulos libros ſingulis veſtrum nuncupare, quod equidem confido reſtituta pace facturum, ut accuratius ſingula corrigerentur & illuſtrarentur. Inſanire enim pleroſque doctos homines exiſtimo, qui patronum & quidem plerunque rerum ipſarum ignarum adverſus reprehenſores operum ſuorum præfationibus invocant, quaſi & Dii quidã ſint, qui nihil offenderint, aut peccata ſua corrigi reipub. pernicioſum arbitrentur. Quamobrem quantus cujuſque veſtrum erga mathematicas artes eſt amor, tantum in mathematicæ dignitatis emendationem & perfectionem incumbite, gratius iſto benficio atque optabilius mathematum ſtudioſis accidere nihil poteſt.

PETRI

PETRI RAMI ELOQUENTIÆ ET PHILOSOPHIÆ *professoris Regii, Epistolæ.*

P. RAMUS SENATUI BONONIENSI S.

SI RES ULLA P. C. EX Academia Parisiensi me dimovere potuisset, profecto potuisset honor ingenii per Ang. Papium vestro judicio mihi delatus. etenim, si Livio glorioſum fuit, Gallos ab extremis orbis finibus ad ipsum audiendum in Italiam excitatos esse, quid Gallo extremi orbis fuerit ab amplissima Italiæ civitate ad principem humanitatis professionem liberali conditione esse delectum, & expetitum? Id igitur me valde, vehementerque movit, sed multo magis hominum dignitas, ac splendor, per quos delectus iste factus est. etenim Angeli Papii relatio ipsa de nobis præ se fert authoritatem summi jureconsulti, non tantũ

ad controverſiarum civilium, ſed jam ad virtutum & doctrinarum conſilium adhibiti prudentiam veró orationis copioſæ, & abundantis partibus omnibus oſtendit. eas enim laudes, & eruditionis, & vitæ complexa eſt, quas amare quidem, liberalis & ingenui animi fortaſſe fuerit. poſtulare vero, vel agnoſcere, neque modeſti, neque prudentis. Perſuaſionis autem argumenta, quibus in epiſtola ad nos perſcripta uſus eſt, ita delecta, ut nihil neque gravius neque perfectius de ea re dici potuiſſe videatur. quinetiam per amicos ac familiares ad me commovendum nullum cohortationis ſtudium vel officium prætermiſit. Quapropter equidem fateor, perlectis ejus literis, auditiſque ſermonibus amicorum ea me lætitia affectum eſſe ut hominem complecti, atque affari quamprimũ cuperem, ſed tamen Bononiæ vel ipſum nomen præcipuum lætitiæ, gratulationiſque fructum nobis attulit. Civitatis enim antiquitas, ſenatorum nobilitas, ac ſapientia ante oculos erant, memineram Bojorum quondam Bononiam, poſtea Romanorum Coloniam, deinde Theodoſii Regiam, denique Romani Pontificis ditionem ita factam eſſe, ut tamen primorum parentum in poſteris nõ ſolum charitas quædam erga nomẽ Gallicum, ſed virtus Romani generis, ac ſanguinis reſideret. Itaque tyrannis liberata Romanum quidem Pontificem habet veluti conſulem perpetuum, ſed & ſenatum habet conſilio, legibuſque liberum, opibus amplum, atque magnificum. ſed prædicabile in primis illud, & gloriandum videbatur, univerſæ Italiæ conſenſu ſingularis doctrinæ gloriam veſtræ

ſtræ civitati conceſſam eſſe. nam, velut in aliquo laudum certamine principes Italiæ civitates inter ſe contendiſſent, ita ſuam cuique quatenus vicerat palmam contigiſſe. indeque Romam ſanctam Venetias opulentas, Florentiam lepidam, Mediolanū celebre, Bononiam doctam appellari. Enimvero tam nobilem doctrinę palmam nequaquam mœnibus & ædificiis, aut ſolo denique ipſi, ac cœlo Bononienſi, ſed vobis ſenatoribus ac principibus civitatis attributam judicabāt, qui ſincero judicio doctos homines & litteratos probatis, ac deligitis, probatos, & delectos undique accerſitis, & liberaliter accipitis, benemeritos tandem honore quodam ampliore colitis. Quamobrem non gratulari mihi non potui tam honorificum doctæ Bononiæ judicium de noſtra induſtria factum eſſe. Ac ſi jam rerum noſtrarum tempora diſceſſionem, ac profectionem mihi cōdonarent, conditio gratior, atque optatior accidere nulla mihi poteſt, nec ulla extra noſtram hanc in terris mihi nota civitas eſt, cujus amore deſiderioque majore teneri me ſentiam. Verum cauſſæ permultæ obſtāt, atque impediunt: privata una eſt, quam Ang. Papius, ut confido, vobis legitimam probabit, publica eſt altera, eaque neceſſaria. Sum Gallus, & Galliæ Regis beneficio jam multos annos in meis ſtudiis, ſuſtētatus, debeo patriæ primum, deinde Regi meo me ipſum totum, mihique in primis illud propoſitum, ac pene nominatim dictum puto. Itaque tantum de veſtra æquitate mihi perſuaſi ut ſperem ſatisfactionis hujus cauſſam apud vos juſtam fore. Cæterum, ſi qualem optatis profeſſorem animadver-

tere quempiam, ac designare potuero, ad Ang. Papium studiose, diligenterque perscribam, me vero polliceor, ac spondeo animo ac voluntate, quoad vivam, Bononiensem futurum, operaque & industria, mẽte denique tota certaturum, ut vobis tam singularis erga Petrũ Ramum judicii non solum conscientia pura, atque integra, sed recordatio grata, ac jucunda sit.

PETRI RAMI AD PAPIUM BONONIENSEM, RESPONSIO.

ACCEPI literas tuas (Angele Papi) & magna cum voluptate legi, quód laborum meorum præconem tam nobilem nactus sim. Placet enim Hector ille Nævianus (ut oratoris illud usurpem) qui non tantúm laudari se lætatur, sed addit etiam, á laudato viro. Duæ príncipes duarum Galliarum civitates Avenio provinciæ, Bononia togatæ, Angeli Papii jurisprudentia nobiles sunt & glorioſæ: Avenio prior Æmylii Ferreti jureconsulti, præter ipsam jurisprudentiam, singulari quadam eloquentia magnifici te successorem adoptavit: Bononia judicio Avenionis excitata, studium virtutis & amorem ampliore & illustriore testimonio declaravit, teque duorum jurisprudentiæ luminum, Andreæ Alciati, & Mariani Socini successione decoravit, unoque hoc argumento Bononia quám Avenio fortunatior, quód tanti ingenii fructus uberiores & maturiores percipiat. Itaque Petrum Ramum ab Angelo Papio

nostræ

noſtræ ætatis ac memoriæ clariſſimo jurecõſulto tam honorifica nominatione dignatum eſſe, maximi equidem beneficii loco habeo reputoque. Ac tametſi beneficio ipſo uti nondum conſtitui, ſic tamen tibi perſuadeas velim, ſempiternã ejus apud me memoriam fore atque gratiam, meque omni ſtudio officioque perfecturum, ut hominem ſi non iſto loco dignum, certé amore benevolentiaque tua non indignũ fuiſſe judices. Cur autem tantam conditionem mihi perire patiar ac ſinam, minimé, ut opinor, mirabere, ſi conſilii noſtri cauſſam rationemq; audieris. Tu in juriſprudentia primus es, quia te pręclaro ingenio natum, multiſque á juventute humanitatis artibus excultum, huic uni ſtudio tot annos totum ac penitus dedidiſti: me veró,

Thebarum in patria, craſſoque ſub aëre natum,

Fortunæ omnibus injuriis impeditum, cúm ætas jam grandis ad literas admiſiſſet, præpoſtera etiá eruditio quædam & inſtitutio tricis neſcio quibus & apinis implicaſſet, neceſſitas coëgit non pauciores annos in dediſcendo conſumere, quám anteá in diſcendo conſumpſerã: telæ hujus contextæ & retextæ, teſtes ſunt Logica primum, & adverſus Logicos, Animadverſiones Ariſtotelicę: deinde Rhetorica, & adverſus Rhetoras, quæſtioſtiones Brutinæ, & Diſtinctiones Rhetoricæ: tũ Grammatica Græca, Latina, Francica etiam, & adverſus Grammaticos, Scholæ Grammaticæ: biennium jam adverſus Mathematicos luctatus ſum, elementa Euclidis tota in cathedra regia profeſſus, Theodoſii libros tres de Sphæra, Archimedis

de Sphæra & Cylindro totidem: ad reliqua acri properabamus animo, cúm ſuperioris anni peſtilentia nos ab iis curis longiſſimé diſpulit. Quapropter quæ biennio in ſingulis elementis meditatus & commentatus eram, ea modó ſubtiliús & accuratiús premo & conſidero, ut ſint in Mathematicis elementis Arithmetica nobis Geometriaque eadem via deſcriptæ & compoſitæ, qua fuerunt adhuc antecedētes doctrinæ, meditationeſq; Mathematicæ Grammaticis ſcholis, Rhetoricis diſtinctionibus, Ariſtotelicis Animadverſionibus reſpondeant: Quod ſi erimus aſſecuti, Phyſica nobis erit proxima: cujus primo loco Aſtrologiam, deinceps ſuis etiam locis Opticam in oculorum, Harmonicam in aurium ſenſu complectamur: quibus ſi Ethica & Politica ex animi ſentētia acceſſerint, tum veró liberalium artium profeſſione perfunctum arbitrabor: ſecús equidē majore religione quám quiſquam unquam fuerit ullius voti, me obligatum atque obſtrictum putabo. Vides igitur quod operæpreciū nobis propoſitum ſit, quid ejus utcunque antea expreſſum, quid modó inchoatum & adumbratum, quid ſuperet omnino intactum: neque te dubitare arbitror, quantam ſuſcepti argumenti velut Jalyſi cujuſdam pertinaciam ſtudiis vigiliiſque noſtris imperaverim: & tamē (ut parvis magna conferam) ſcis Demetrium, ut Protogenis tabulæ parceret, Rhodiorum civitati peperciſſe. Quamobrem, Angele Papi jureconſultorum celeberrime, da nobis hanc, oro, veniam, ne curſu ſtudiorum noſtrorum conditione ulla quamlibet magna atque honeſta,

honeſta, retardato, maneant opera, ut inquit Maro, interrupta minæque : Hanc non diſcedendi cauſſam, ſi Bononienſi Senatui (cui etiam ſeparatim gratias habeo) juſtam & legitimã fuiſſe perſuaſeris, alteram tibi gratiam immortalem debuero. Quod enim me principem humanitatis profeſſorem doctiſſimus Senatus ad tuam nominationem é tam longinquo loco delegerit, maximum equidem exiſtimo, ſed multo majus arbitrabor, ſi tanti beneficii tam liberaliter oblati, nec tamen accepti, ſatisfactionem te referente nec ingratam, nec illiberalem fuiſſe cognovero. Vale.

J. MONLUCIO VALENTINORUM EPISCOPO. S.

Quo die Lutetia diſceſſiſti, Dampeſtra Coſellus Siculus multis verbis mecum egit, ut ei, prætermisso Euclide, id eſt apertæ ignorantiæ judice, bona regii collegii venia liceret á Sphęra Orontii mathematicam profeſſionem auſpicari : cui denuo idem reſpondi, quod mane reſponderam, Orontium de mathematicis rebus præclare quidem illum eſſe meritum, ſed mathematici authoris nequaquam nomen aſſequutum, ut in regia cathedra poſſet Orontius pro mathematicæ demonſtrationis argumẽto tanquám Ptolomæus appellari: deinde præpoſterum fore, ſi vel Ptolomæus ipſe initio mathematicæ diſciplinæ præponeretur, quem ignoratis elementis diſcipulorum nemo percepturus eſſet, ſervandas eſſe in his præ-

ſertim nobilibus diſciplinis docendi diſcendique vices cognoſcendaque ideo primum elemẽta mathematicæ, poſtremó ad cœleſtia & reliqua iis cõjuncta perveniendum. Ordinis hujus partitione mathematicas artes adhuc in Academia floruiſſe, qua monitione cúm nihil moveretur, & Dionyſius Lambinus regius profeſſor fortè interveniſſet, de uſitati ordinis commoditate plurima diſſerens nihilo plus perſuadere potuit. Itaque Dampeſtram monui iterum atque iterum, ut mathematicam profeſſionem á mathematicis elementis ordiretur: ſin ea illi ignota eſſent, ut tam obſtinaté recuſando & tergiverſando videretur confiteri, conſuleret pudori, nec in regiam cathedram aſcẽderet, unde turpiter deſcendendum eſſet. Ecce igitur 16. die Decembris promulgatis per compita libellis ſignificatur academię, Dampeſtram Coſellum Siculum, regium mathematicarum profeſſorem, Arithmeticam, Aſtronomicam, compẽdioſe tractaturũ. Factus eſt frequentiſſimus audiẽtium conventus: Tum ſummo ſilentio. Cogitanti mihi (inquit Dampeſtra) quot & quanti viri in iſtam cathedram aſcenderint, non poſſum non mirari, atque hic prima fuit admiratio, multæque poſtea conſimiles é figuris paribus aut etiã inſignioribus conſequutæ, ut Demoſthenem Athenienſibus, & Ciceronem Romanis vix exiſtimem inquam tam admirabilem fuiſſe. Poſtridie expectatur par eloquentiæ mathematica, neque ſpes fefellit, Aſtronomica neſcio quæ Arithmetica vix attingitur, tertio quoque verbo non dicam jam barbariſmi & ſolœciſmi, ut, tollo unitas, manet unitatẽ, & ſimi-

lis copia

lis copia dicendi, ſed hæſitãtia, torpor, ignorantia, ut miſerabilius cogitari vix quidquã poſſit. Itaque repente Arithmetica dimittitur, dilatioque prælectionis & comperendinatio propter jejunia quatuor temporũ, vigilias, feſtos dies, hæ nempe ineptiæ omnes tum productæ ſunt: in ſequentem menſem ab auditoribus ſimiliter ac demiſſé petitur: imo qui ulceris inteſtini præcipuus dolor fuit, conſilium poſtulatur, utrum ſibi mallent Euclidis elementa, an Orontii Sphæram explicari. Tum ut, conſilium expetenti reſponderetur, Dampeſtra Coſelle mane (inquam) monui te privatim iterũ atque iterum, pro authoritate regii collegii (cujus decanus ſum) ut ſi te profeſſione iſta dignum exiſtimares, inciperes ab elementis Euclidis. Cõtempſiſti collegii monita, ſtatuta & ordines regiæ profeſſionis neglexiſti, conſilium modo petis á diſcipulis, quibus cõſulere debeas. Itaque moneo te rurſus idem publicé, ut ab elementis incipias, ſin es ἀγεωμέτρητος, deſcende maturé ex hac cathedra, ne graviore pudore mãdato regio cogaris deſcendere. Hæc totidem verbis: nihil enim muto, cúm dixiſſem abii. Homo cúm deſcendiſſet, allegavit ad me honeſtum adoleſcentem Italum, cui cúm nonnulla in gentis laudem præfatus eſſem, reſpondi: ſi Coſellus de duabus tantum Euclidis propoſitionibus arithmetica altera, altera geometrica reſpondere poſſet, me ipſius cauſſa libentiſſime omnia facturum. Cæterum me de Italiæ judiciis nequaquam ita judicare, ut Bononia talé mathematicæ profeſſorem ſit acceptura. Coſellus pauló poſt ipſe cauſſæ ſuæ orator venit, qui cúm

impudentius ageret, cœpi etiam paulo durius hominem exercere, & rogare quænam Grammatica esset. Cogitanti mihi non possum non mirari & de cæteris schematis nonnulla: cumque omnia ut præclara defenderet, jussi advocari infimæ classis puerum, qui Grammaticam doctissimo professori explicaret. Sed duas Euclidis propositiones imprimis homini reposui, de quibus si vel sumpto mensis ad cogitandum & meditandum tempore respondere posset, mea summa approbatione mathematum professione dignissimum futurum: tũ homo appellare seditionem, istam admonitionẽ, & dicere religionis odio sibi professores regios infestos esse. Noli (inquam) barbarismos & solœcismos, mathematicæ ignorãtiam, seditionem aut impietatem appellare, ne tu omnium mortalium seditiosissimus atque irreligiosissimus deprehendare, qui seorsum tam longé abeas á legibus artiũ liberalium, tãque pro nihilo sacra musarum omniũ habeas: purga te de iis criminibus, quæ tu ipse tibi tot advocatis testibus objeciſti. Hæc summa fuit admonitionis nostræ, quam tibi descriptam imprimis esse curavi, ut susceptam regii collegii causſam animo illo Monlucio tueare, atque impetres á rege, ne quis in regium collegiũ, nisi palam á toto collegio probat⁹ & exploratus admittatur. Nihil ista macula Academiæ parisiensi, nihil regiis professionibus adhuc indignius accidit. Non revoco tibi pluribus verbis memoriam postulati nostri de stipendio, oro & obtestor irascere strenua illa & generosa iracundia, qua pro rebus optimis constanter & fortiter propugnare soles, neque

que ſinito é regio collegio aſinorum aut mulorum ſtabulum fieri. Vale. Lutetiæ 14. Cal. Janu. 1565.

JACOBO ACONTIO TRIDENTINO. S.

IACOBI Acontii nomen é præclaris ingenii monumentis jampridē orbi notum atque illuſtre eſt, ſed tamen Jo. Laſcii poloni é Britannia reditu nobis etiam jucundum charumque factum eſt. Etenim cúm doctos in ea inſula & mathematis præſertim deditos noſſe cuperem, & ad te forte fortuna Laſcius delatus eſſet, operæpretium nobis fuit Lutetiam reverſum, de humanitate & gratia, de variis & reconditis artibus Acontii, narrantem audire: inter quas laudes cúm Archimedeam illam de machinis & urbium munitionibus geometriam audiviſſem, non putavi tantam docti & ingenui animi ſalutandi occaſionem mihi prætermittendam eſſe. Interea bibliopolæ noſtri Francoforto Lutetiam reverſi, attulerunt octo libros ſtratagematum, quorum lectione non ſolúm recreatus ſum vehementer, ſed quibuſdam apud nos melioris & notæ & literaturæ theologis legēdos propoſui, qui modeſtiam orationis & diſputationis prudentiam mirificé conprobarunt. Libellum autem de methodo multo jam antea legeram non abhorrentem quidem ab inſtitutis noſtris, ſed neque plané convenientem. Equidem mirifico deſiderio teneor tua omnia

perlegendi ac cognoſcendi, præſertim ſi Geometricum aliquid & mechanicum commentatus es, iis enim ſtudiis modo totus deditus ſum: ea de cauſſa ſcribo etiam ad Joannem Dium, literas noſtras eodem faſciculo concluſi ſatis confiſus te protinus ei redditurum, nec dubito utrũque veſtrum, nec unquam dubitabo quemquam veſtri ſimilem provocare gratia vel accipienda, vel etiã referenda. Hoc enim liberalis animi commune inter bonos & humanitati deditos eſſe arbitror. Vale. Lutetiæ 14. Cal. Ianu. 1565.

PETRUS RAMUS JOAN. DIO LONDINENSI. S.

VEL ME memoria fallit, vel Joannem Dium Lutetiæ in bibliotheca mea vidi, & valde gaudeo memoriam tam inſperato eventu renovatam eſſe. Nam proximis ſuperioribus menſibus, cum Laſicius viſendæ Britanniæ cauſſa ad vos proficiſceretur, binas ei ſcholas phyſicas commiſeram, quas noſtro nomine duobus in tota inſula doctiſſimis hominibus offerret. Tum abfuiſti, ſed Acontii judicium fuit, alteras tibi deberi. Itaque cúm Laſicius Lutetiam reverſus, de multiplici eruditione Dii, deq; ipſius ſingulari bibliotheca, antiquis neque dum editis græcæ mathematicæ ſcriptoribus referta narraſſet, argumentum per ſe mihi jucundum, docti & literati hominis ſalutandi eo libentius accepi, quod apud te Archimedis ἰσοπερίμετρα eſſe intellexiſſem: Habeo mi Di reliquis antiquę Geometrię manu ſcripros

ptos Apollonium Pergæū in libris quatuor Conicorum. Pappum in libris octo variorum generum sed depravatum valde, Serenum in Cylindri sectionibus, Theodosii varia opuscula, Heronis fragmēta quædā. Fac, amabo te, ut elenchus tuorum mathematicorum nobis communicetur, ut si quid divitiis tuis nobis opus erit, á te opem expetamus, & quidem tam liberaliter, quám ingenué nostra tibi communia fieri velim: ἰσοπερίμετρα verò Archimedea quæ sint & quanta vehementer aveo scire. Habeo enim Pappi quædam ejusdem argumenti paulo ampliora, quæ suspicor eadem illa esse. Meditor animo mathematicum quoddam proœmium, quo imprimis sereniſſimā angliæ reginam, deinde mathematicis artibus eruditos anglos cōplecti studeo. Didici á nostris hominibus, qui Angliam bene nosse sibi videbantur, academias in Anglia duas esse, Cantabrigiensem & Oxoniensem, atque utriusque collegia nominatim descripta teneo: sed professores mathematum vel scriptores insignes quinam essent nondum per discere potui. Itaque gemino pignore amoris erga me tui obligatus mihi videbor, si hoc utrumq; abs te impetravero, & qui sunt é veteribus in bibliotheca tua scriptores mathematici, & quinam in vestris gymnasiis, quaque authoritate mathematicas artes profiteantur. Vale. Lutetiæ 14. Cal. Janu. 1565.

PETRUS RAMUS RECTORI ET ACADEMIÆ PARISIENSI.



Quem animum præsens secundis adversisque rebus vestris præstiti, eundem absentis expectate. Qua autem mente ac voluntate erga vos adhuc fuerim pignora duo duarum pro vobis legationum tabulis vestris testificantur: alterum vestræ libertatis confirmatis privilegiis: alterum salutis, alumnis academiæ ab acerbo supplicio conservatis, nostræ liberalibus artibus illustrandis vigiliæ: tertium dignitatis pignus ad illa duo aggregare contenderunt. Jam verò cum status temporum á studiis & exercitationibus pristinis tam adversis incidisset, impetravi á Christianissimo Rege veniam peregrinationis annuæ, tanquam liberæ legationis ad nobiles Christiani orbis academias invisendum, præstantesque ingenio, doctrina, homines salutãdum: & quidem ea lege atque conditione, ut academiæ nostri ortus progressusque parenti rationem absentiæ meæ, fructumque omni officio, ac potius pietate redderem. Quamobrem sperate ad quascunque oras accesserit, Petrum Ramum vestræ amplitudinis amantissimum fore ac studiosissimum. Valete.

PETRI

PETRUS RAMUS JACOBO SCHECIO CLARISSIMO *Tubingenſis academiæ philoſopho.*



IBROS tuos de demonſtratione (Scheci doctiſſime) cum Argentinā veniſſem percurri, primumque locis quibuſdam te noſtri nonnihil affinem, id eſt vehementem, ne dicam iracundum, animadverti: Tādem veró cum ad finem pervolaſſem, tua in peroratione obſecratio mihi mirandum in modum placuit: Deum nempè obteſtaris, ut floreat philoſophiæ & præſertim dialecticæ accuratior & exquiſitior doctrina: utque veritas in omnibus diſciplinis agnoſcatur, indeque æternum numen ſpiritu & veritate rectius colatur. Itaque obteſtatione iſta ſic animo affectus ſum, ut ingemiſcerem ac frontem ferirem, ubi, inquam, voluntates hominum ſtudiaque tantopere conſentiunt, quî ſententias tam diſcrepantes tamque contrarias eſſe convenit? Quapropter ſtatui Tubingam inviſere, & cum doctis hominibus de liberalibus ſtudiis cōmunicare, ſed præcipué tecum, quem tota Germania tanquam ſingularem philoſophum græcis latiniſque literis variaque & multiplici laudandarum artium eruditione inſtructū celebrari audio. Meditare igitur quid ad meum de conſtituēdis artibus principium finemque reſpōdeas. Noſti noſtra illa ex Ariſtotelis apodicticis expreſſa

axiomata, & á nobis ad omniũ artium inſtitutionem relata de materia doctrinæ κῦ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθόλου τρόπον, in definiendo, partiendo, concludendo. Item de forma totius artis & ordine, ut á generalibus ad ſpecialia procedatur: His enim legibus cum cæteras artes omnes, tum Dialecticam imprimis conformandum cenſeo. Hoc in doctrinis inſtituendis noſtrũ principium & fundamentum eſt. finis eſt ipſarum doctrinarum fructus, qui facilius & uberius ex hac inſtitutione á ſtudioſis percipiatur. Ac ne ſpeciem ac pompam inanem jactare, operis ac veritatis nihil præſtare videar, effigié efformationis hujus quinque primæ liberales diſciplinæ intra paucos menſes adumbratam cognoſcendi cupidis exhibebunt, ac reliquæ (ut bona ſpes eſt) non multo poſt conſequentur. Te verò ex tuis apodicticis ubi contra iſta comparavi, vehemẽter admiratus ſum: libertas enim tua veré philoſophica eſt adverſus non ſolum Petrum Ramum, ſed interpretes græcos, latinos, arabes, adverſus etiam Galenum, cujus libros de Demonſtratione judicas ex authoris ipſius exemplis non magna poſteritatis jactura periiſſe: imó veró adverſus Ariſtotelem ipſum, quem & ſomniaſſe, & pleriſque locis erraviſſe, & anatomiæ imperitum fuiſſe prædicas: denique agreſtes & barbaros veré appellas, qui authoritatem potius ullam quam veritatem in tractandis artibus intuentur. Attamen quamvis hæc oratio tua ſit, in totis analyticis explicandis nullum aliud veró philoſophandi principium, nullam aliam judicandi legem videris propoſitam habuiſſe, quám

Ariſto-

Aristotelis, quám etiam Galeni authoritatẽ. Hos enim authores solos & perpetuos pro omni principio, pro omni & problemate & theoremate appellasti. At vel Grammatici & de sua & de aliorũ omnium grammatica judicant é grammaticæ artis legibus: Tu in disceptandis & dijudicandis Aristoteleæ apodicticæ decretis quámnam (quæso te) apodicticam sequeris? neque enim topicam aut elencticam Apodicticæ judicem facies. Hæc igitur est thesis de constituendæ disciplinæ principio: á quo cum longissimé meo quidem certé judicio abs is, longius tamen abes á fine. Finis enim Aristoteleæ Apodicticæ (uti in libris proponitur) est concludere propriam affectionem de subjecto per caussam propriam: Nam de genere differentiaque speciei attributis alia est Aristoteli quám syllogisticæ demonstrationis scientia. Verũ cum illam propriæ affectionis ex caussa propria demõstrationem innumerabilibus exemplis tibi videaris illustrasse, nullo prorsus mihi videris attigisse: neque veró magis quam talis demõstrationis ille ipse author Aristoteles, attingere potuisti: tantum abest ut in cæteris disciplinis characterem talis ideæ possis imprimere: neque ullã in totis mathematis tam mirabilis syllogismi quãlibet multis prosyllogismis amplificati speciem usquam reperies. Enimveró quod & tu variis locis indicas, & nos logicis mathematicisque scholis amplius exponimus, cum Aristotelis apodictica præcipué é mathematis orta sit & ad mathemata referatur, Euclidis sane Geometria, Aristotelis apodictica, & Aristotelis apodictica, Euclidis geometriá plu-

rimis partibus emendabit, malaque Aristotelis præcepta bonis Euclidis exemplis, ut mala Euclidis exempla bonis Aristotelis præceptis corrigentur. Quid plura? Certé libris tuis perlegendis adduci vix possum, ut credam scriptorum nostrorũ quicquam unquam tibi perlectum esse: sed te nescio quo fastidio doctrinæ anticipatis opinionibus contrariæ permotum de doctore judicasse. Aristotelem eo judicio lego quo legit Aristoteles Platonem, & quidem Aristotelem Aristotelis legibus & institutis expendo: id si putas esse philosophiam, vel ignorare, vel corrumpere, putato ab Aristotele philosophiam & ignoratam, & corruptam esse. Sed extra epistolæ modum egredior: Unum si addidero, finem faciam. Video nostras ætates in eadem laborum curricula incidisse, ut turpe mihi fuerit á rege meo annuæ in Germaniã peregrinationis, venia impetrata, præclaram promovendæ philosophiæ ex summorum philosophorum colloquiis occasionẽ contempsisse. Graves de religione & pernicioſæ controversiæ totũ christiani orbis statum etiam armis concutiunt: quæ omnino jampridem nullæ supereſſent, si qui dissentirent, essent inter se æquis & pacatis animis collocuti. Id in philosophia (quæ tamen sedandis religionis motibus tanquam Mercurii virga esse debeat) longe facilius & expeditius fuerit iis qui suarum controversiarum judicia sanctis & incorruptis legibus summiserint. Quamobrem pro tua libertate, vel potius pro tua pietate cogita iterum atque iterum, quod principiũ, ad disciplinas conformandum, quem finem tibi statuas: ut te tan-

quam

quam bonum civem civitatis philoſophicæ moribus obſequentem jure laudare, repugnātem ſine contumelia admonere liceat: ſicut habes á me utrumque, quo vel impuné liberes, vel meritó coerceas. Ariſtoteles abs te locis aliis vituperatur, laudatur aliis: á nobis omnibus locis probatur, ubi legibus ſuis obtemperat, improbatur ubi repugnat. Leges Ariſtotelis (quæ noſtræ quoque ſunt leges) tibi propoſui: tu tuas (ſi forte differētes habes) nobis exponito. Legum tuarum fructum, finem, uſum deſcribito. Si nobis antequā Tubingam veniam, reſponderis, equidem philoſophia noſtris votis propitia contendam, ne ullo humanitatis ſtudio officiove, quamvis peregrinū & velut Athenis Anacharſim ſuperaſſe tamen videaris. Vale, præſtantiſſime Scheci. Baſileæ, Id. Octob. anno 1569.

P. RAMUS JACOBO SCHECIO CLARISSIMO TUBINGENSIS *academiæ philoſopho.*

MISI ad te Scheci doctiſſime binas literas eodem exemplo, neque dum nobis reſpondiſti, fortaſſe quod nihil acceperis, aut quod noſtrum potius adventum expectes. Itaque cum profectio Tubingam minus mihi certa ſit, remiſi exemplar illud primarum literarum, & ſimul alias in eodem argumento exaravi, cum Apodictica tua ex eo tempore denuo relegerim: in quibus laudo equidem ſtudium tuum quod in-

terpretes in Apodictica Aristotelis interpretanda interpretationis facilitate vincere studeas, sed magis laudo, quod Apodicticæ usum illustrare contendis exemplis non solum mathematicæ, sed physicæ, medicinæ, ethicæ, politicæ, jurisprudentiæ, theologiæ. Atque utinam utriusque studii veram laudem tibi justa gratulatione gratulari possem, facerem certé non minus liberaliter quám liberé. At istam & apodicticæ doctrinæ interpretationē & apodictici usus illustrationem, quæso te, æquo attentoque animo mecum recognosce, ac primū interpretationis caput illud de partitione logicæ in inventionem & judicium: hæc enim partitio (ut veré sensisti) totam nostræ adversus Aristotelem disputationis caussam continebat, totumque aristotelei organi ædificium diruebat. Quid igitur? quomodo refellis? nihil contra disputas, sed tanquam Cēsor verbo negas tibi partitionem placere: atque ita sine sanguine Salmacida spolia retulisti. Sed tantum verbo negas, opinor, quia censeas analyticæ necessitatis & topicæ probabilitatis quas logicæ partes facis, & suam inventionem & suum judicium separatim ab Aristotele institui. Quare (philosophe diligentissime) diligentiam tuā hic exuscita, & studiosè considera utrum in analyticis necessitatis & inventio propria & judicium proprium describatur: utrum in topicis probabilitatis alia propria inventio, aliud proprium judicium doceatur: Hoc enim firmum tibi tuæ negationis fundamentum esset. at totum contra est. Inventio siquidem de caussis, factis, subjectis, adjunctis, de distributione definitione, & cæteris argu-

mentis

mentis una generalis & omnium rerum neceſſariarum & opinabilium communis in analyticis & topicis iteratur. nulla in utriſque propria aut ſpecialis inventio inſtituitur: judicii item logici doctrina tota communis neceſſariorum & probabilium traditur in organo. Diſpoſitio enim ἑρμηνείας & ſyllogiſmi & methodi tota communis eſt omnium ſententiarum ſeu neceſſariarum ſeu probabilium & enuntiandarum & concludendarum & ordine perpetuo collocandarum: neque ἑρμηνείας neque ſyllogiſmi neque methodicæ collocationis ulla etiam in topicis logica eſt. Hanc poſitæ quæſtionis inquiſitionem & inductionem ſi veré philoſophari cuperes ſubducere, ut facile potuiſti, ita ſerió & accuraté debuiſti. Non obſcuré loquor, rem clariſſimam clariſſimé propono: Inventio (inquam) una & argumẽtorum generibus eadem in analyticis & topicis repetitur, non duæ particulares in his partibus (quas facis) ſpecialiter exponuntur: judicii veró in analyticis diſpoſitio tota communis eſt, vel in enuntiato vel ſyllogiſmo vel in methodo: propria neceſſitatis, propria probabilitatis nulla eſt. Quare cum venia tanti philoſophi paceque dixerim, falſa opinione tibi perſuaſiſti analyticæ neceſſitatis inventionem aliam eſſe, aliã topicæ probabilitatis: aliud judicium eſſe analyticæ neceſſitatis, aliud topicæ probabilitatis: cũ tota ars & inveniendi & judicandi ſit una communis & eadem. Itaque vide ne iſta tua tantæ tanque logicis rebus periculoſæ inficiationis cenſura ſibi nimium tribuat nimiumque ſumat, neve dum videri vis logicam inventionis & judicii partitionẽ

contemnere, videaris hominibus in tuam philoſophiam ſeverius inquirentibus, quid inventio logica, quid judicium logicum ſit penitus ignorare: ac ſi quando definire utrumque cogitabis, errorem ſine dubio protinus intelliges. Sed de partitione iſta propediem plura audies. Quid tum veró quomodo te objectis argumentis liberas? Hic cum apodicticos Ariſtotelis libros apodicticis axiomatis expendi, legiſlatoremque ipſum ſuis legibus interrogari audires, paradoxum mea quidem ſententia hactenus inauditum commentus es, apodicticam Ariſtotelis apodicticis legibus non teneri, quia analytica non ſit ſcientia, ſed ars, quæ tamen doceat modum ſcientiæ, quæque ſit inter neceſſarium & opinabile. Enimveró integritatem animi tui & æquitatem in conſilium adhibe, & tecum philoſophare, qualis ſit hæc interpretatio: facis duas logicæ partes, Analyticã (in qua ſit apodictica) & Topicam: & tamen apodicticam ipſam quãvis ſententia tua principem logicæ partem neutri parti ſubjicis, ſed inter ambarum fines intermediam collocas. At ſi requiram iſtius intermediæ logicæ logicam ad ipſammet intermediam explorãdum & probandum, quid reſpondebis? An me ad logicam nondum natam, imó vix ac ne vix quidẽ iſta tua interpretatione ſomniatam remittes? Apodictica (ais) eſt archetypum cujuſvis ſcientiæ, præceptis neceſſariis, homogeneis, propriis informãdæ, archetypum tamen ipſum præceptis neceſſariis, homogeneis, propriis nequaquam (ais) eſt informatum. Ecquid veró, nónne propter quod unum quodque tale, & illud magis? Quid metaphyſicus

physicus tuus (qui & Apodicticus vel Aristoteli in apodicticis 8. c. 1. & in metaphysicis ipsis 2. c. 4. lib. idem est) quomodo se scientiæ laude spoliari abs te patietur? Aristotelis ὑπολήψις illæ magnificæ quó tãdem recident? metaphysica vel apodictica est ὀπτημονικωτάτη, ἀκριβεστάτη, διδασκαλικωτάτη, ἀρχικωτάτη, quonã (inquam) te tali interprete axiomata illa recidẽt? Quapropter cogitato qualenam sit hoc φιλοσόφημα, quamque aristotelei philosophi qualem te haberi vis, philosophia indignum. Atq; hoc primum est interpretationis caput de primæ logicæ partibus: videamus (ut de multis hæc paucula nunc seligam) de analytici judicii generibus enuntiato, syllogismo, methodo, qualem te interpretem præbeas. Aristoteles apodicticum enũtiatum jubet esse omnino necessarioque verum, homogeneum, reciprocum. Leges enim sunt Aristotelis κατ' παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθόλου θεῶρον. Harum legum tristitiam verebare, ne tam severis quæstionibus examinata Aristotelis apodictica periclitaretur: mitiorem itaque legum sensum pro tuæ interpretationis æquitate reperisti. De omni ad plerumque & pleraque (ut loqueris) in omnibus artibus ampliasti, homogeniam & reciprocationem variis modis similiter dilatasti: ut nihil tam perversum aut præposterum fingi possit, quod legibus illis ad tuas expositiones ita modificatis non sanctum judicetur. At Galenus de optima secta longe aliter, cum docuit artes στοχαστικὰς & conjecturales dici non propter θεωρήματα & præcepta, sed propter θεῶξιν, artiumque omnium præcepta ὁμοίως βεβαίᾳ & ἑστικότα similiter firma atque constantia.

An grammatica (ubi tot anomaliæ ſunt) aliter diſciplina non erat futura? At (ut tu ipſe pervidiſti) anomaliæ ſuis analogiis conjunctæ κῦ πωπὸς retinent, & confuſionem nugatoriamque repetitionem locis quibuſdam vehementer improbas. Quapropter apodicticarum legum gravitatem & conſtantiam paulo graviore & conſtantiore judicio interpretari debuiſti. Quid verò in ſyllogiſmo & methodo quam logicam nobis interpretaris? Demonſtratio Ariſtoteli in Apodicticis ſyllogiſmus eſt, & ſyllogiſmus in triplici figura tribus enuntiatis confirmatus: quin etiam figurarum ipſarum inter ſe præſtantia in apodicticis ipſis diſceptatur. Tu cum putares vel in Geometria nullum demonſtrationis exemplum ſyllogiſmo comprehenſum eſſe, excogitaſti pro tuæ interpretationis acumine verbum ſyllogiſmi ab Ariſtotele in apodicticis generalius accipi, non autem pro forma collectionis ex tribus enuntiatis. Verum iſto metu te libero. Nec enim ſyllogiſmus partium proſyllogiſmis quamlibet magnis ornatus ſyllogiſmus eſſe deſinit. Itaque noli dubitare totam Milonis defenſionem, totam Archimedei tetragoniſmi demonſtrationem ſyllogiſmum vel tribus ſententiis comprehenſum appellare, nihil hic peccabis: aſtipulatorem me, imò in prioribus analyticis Ariſtotelem analyſeos hujus authorem habebis: ſecus ſi tuam interpretationem ſequare, Ariſtoteles alium tibi ſyllogiſmum definierit, alium tibi diſtribuerit in apodicticum & dialecticum. Sed enim de methodo (cujus una lege Ariſtotelis organum graviſſime urgebatur) prorſus ſecuri es animi.

animi. Hanc enim perpetuam in artibus ordinandis viam licet á nobis ampliſſimé deſcriptam, ne videris quidem (quid eſſet) ſuſpicatus eſſe: tantum abeſt ut cognoſcere unqam ſtudueris, Salmacida videlicet illa ſpolia in iſto negligentiæ faſtu opima tibi fuerunt. Methodus itaque tibi via quælibet eſt, qua quiſquam ire poſſit aut redire, ſurſum an deorſum nihil laboras: quælibet denique diſputatio tibi methodus eſt. Sed ſum prolixior quã ſtatueram. de exemplis tamen quibus commentitiam proprié affectionis ex cauſſa propria apodicticam Ariſtotelis illuſtrare voluiſti, pauca ad extremum proponenda ſunt: Ariſtotelis tota triginta exempla (quibus in apodictica uſus eſt) falſa erãt & fallacia, imó triginta erant contra tam inſolens ariſtoteleæ demonſtrationis in ſomnium manifeſta teſtimonia: Id aut nõ vidiſti, aut pro nihilo habuiſti, quia lege illa veritatis κζ' παντὸς ſolutus eras: & tamen alia tibi conquirenda ſtatuiſti. Miſſis igitur cæteris, mathematica (in quibus veluti aptioribus ac certioribus præcipuam jactationẽ habes) & quidé é ſingulis geometriæ partibus ſingula duntaxat attingã. Linea tibi eſt punctis concreta, quod Ariſtoteles 6. phyſ. tam vehementer averſatur. Trianguli tres interiores angulos duobus rectis æquales per externum angulum impẽſé & ſolicite demonſtras: idque tam multis tamque variis locis iteras & repetis, ut hoc tibi ſicut Ariſtoteli totius apodicticæ commentationis fundamentũ fuiſſe videatur: at per rectam in vertice baſi parallelam alterni anguli protinus æqualitatem oſtendunt, neque tamen id ariſtoteleæ demonſtratio-

nis exemplum eſt de propria affectione per cauſſam propriam. Æqualitas enim trium cum duobus rectis prius ineſt duabus rectis in eandem rectam coinſiſtentibus, & hinc ad triangulum traducitur, atque ad iſtum ſcopulum imprudēs naufragus neſcio quo interpretationis tuæ loco incidiſti. Itaque cum tanta anxitudine plurimum Ariſtoteleam apodicticam confirmare videaris, totā funditus evertis: ſiquidem illud é triangulo fundamentum vobis eſt. Briſonis tetragoniſmus proponit (ut putas) quadratum circulo & majus & minus, ſic æquale dari poſſe, & ideo tibi ſophiſticus eſt, quia heterogenea comparat: At heterogenia iſta (quæ tibi eſt) Ariſtoteli nulla fuit in categoriis, & tam multis præterea locis, ubi circulum quadrari poſſe profitetur: Heterogenia Hippocrati nulla fuit cum lunulam quadraret: quod tu ipſe primo phyſico jampridem profeſſus, neſcio quomodo hic oblitus es. At ſi græcos interpretes legere quàm contemnere maluiſſes, ex Philopono Alexandrum in iſta tua interpretatione ἀγεωμέτρητον fuiſſe didiciſſes, doctumque geometram in geometrica quæſtione ſecutus eſſes. Sed mittamus tetragoniſmum circuli. Qualis eſt tibi ἀπλασιασμὸς cubi? Dupla (inquis) linearū quatuor continua ratione: ut lineæ inter ſe comparantur, ita ex iis procreati cubi inter ſe conferentur, ac ſemper proximus reſpectu præcedētis ſubduplus erit cubus. Hæc tua verba ſunt: Sunto igitur (inquam) lineæ quatuor in dupla ratione, ut 1. 2. 4. 8. cubi ex iis procreati erunt 1. 8. 64. 512. non duplæ ut interpretaris, ſed octuplæ rationis. Atque ita obſcuriſſimis

ſcuriſſimis geometriæ problematis ſubtilitate tua non dico tibi incognitis, ſed fallaci teſtimonio productis Apodicticam Ariſtotelis videlicet illuſtraſti. An exemplorum velut é trivio arreptorum (uti dicis) ἀμέλφαν (quam Ariſtoteli indulſeris) ſine rubore tibi indulgeas? non opinor: præſertim cúm profitearis cum Platone exempla eſſe tibi ὥσπερ ὀ'μήρους τ̃ λόγου: neque verò talem indulgentiam Euclidi vel Archimedi in geometria unquã probares. Quamobrem per illum cæleſtem veræ philoſophiæ parentem oro te atque obteſtor, ſi quid unquam æquo animo tecum de tuo pudore atque nomine meditatus es, meditare cujuſnam philoſophiæ licẽtia iſta ſit, legitimam logicæ partitionem in inventionem & judicium nullo prorſus argumento tam confidenter inficiari, partitionem in Apodicticam & Topicam, quã ipſe inſtitueris & approbaveris, tertia inter utrãque parte tam inconſtanter evertere, omnes Ariſtoteleas logici judicii leges tam inſolenter ludificari, exemplis & tibi ignotis, & ad tua illa commenta ineptis omnia permiſcere. Et tamen cum ejuſmodi interpretatio tua ſit, ſæpe gloriaris Ariſtotelis apodicticam omnibus antea interpretibus incognitam fuiſſe, abs te uno nũc demum é tenebris erutam, & in clariſſima præſtantium exemplorum luce collocatam eſſe: Quæ cujus ingenii oratio ſit, malo te arbitro ac judice perpẽdi, quám á me ſubtilius explicari. Admiror in te doctrinæ induſtriæque pleraſque dotes, literaturam Latinam & Græcam, lectionem excellentium authorum feré omnium, multiplicem variarũ rerum doctrinam:

Unam tibi judicii libertatem vanæ persuasionis errore solutam vehementer exopto, ut ita velis Aristotelis discipulus esse, quomodo Aristoteles Platonis esse voluit, neque mihi irascare si te non Aristotelis servum, sed Aristotelem alterum, vel Aristotele etiam præstantiorem magistrum esse cupiam. Materies hujus laudis in manu tibi est, præsertim in physicis (quorum professor etiam es) hic enim Deus bone, quám præclari monumenti quanque studiosis omnibus optati, quanta materies est ab Hippocrate, Platone, Aristotele, Galeno, Plinio, sexcentisque aliis, qui operas suas ad istam architecturam tibi gratuitas offerunt? Delectum & judicium ex apodicticis legibus adhibeto, non vanam fucatę opinionis umbram, sed constantem expressæ doctrinæ laudem consequere. Audio te virum probum esse, & isto nomine non solum obliviscor, si quibus verbis in nos durior fueris, sed te complector, & ad solidam gloriam exhortor, & excito. Vale, Basileæ prid. Id. Septem. 1569.

JACOBUS SCHECIUS PETRO RAMO REGIS GALLIÆ PHILOsopho S.

NON voluntate aut proposito factũ est, ut hactenus ad tuas unas non responderim (binas quidem eodem exemplo scriptas non accepi) sed quód nullus sese mihi nuncius hactenus obtulerit, & propter occupationes, & quod

quod non ſoleo impiger eſſe admodum ad ſcribē-
dum, aut etiam ad reſcribendum. Jam reſcribam
ſané denuo á te admonitus, & quód ſperem fretus
opera cujuſdam amici, brevi poſſe meas tibi reddi,
cui notiores ſunt Baſilienſes nuncii quám mihi.
Ac primum vir Clariſſ. noli mirari quód acerbius
ſum in te invectus in demonſtrationibus meis,
propterea quód interpretandum ſuſceperam Ari-
ſtotelem, quem tu animadverſionibus tuis, tam
crudeliter, iniqué, & miſeré flagellaſſes. Ad hanc
cauſſam accedebat alia, quód ſuperioribus annis, á
quibuſdam ſtudioſis acceperam, quam contume-
lioſé commentationibus noſtris Phyſicis inſultaſ-
ſes, & me valde contemptim publicé etiam exagi-
taſſes, ut quodammodo meis libris aditus non pa-
téret in Galliam. Certé vellem tua, & Reipub.
cauſſa, ut libros hos contra ſummum, & admiran-
dæ ſapientiæ Philoſophum nunquam ſcripſiſſes,
quibus certé non refellis divini iſtius viri inventa,
ſed declaras nihil aliud, quám te non intelligentē
eſſe eorum, quæ ſunt á tanto Philoſopho ſcripta.
Oppoſuiſti te hac in deſcriptione non tantum Ari-
ſtoteli, ſed omnium doctorum, omnium ætatum
judicio, ut videatur mihi propemodum inſania
eſſe, damnare, quę doctiſſimorum omnium ſuffra-
giis tot ſæculis fuerūt comprobata. Imperitos for-
taſſe iſtis qualibuſcunque argutiis movebis, &
ignaros Ariſtotelicæ Philoſophiæ forſan in tuam
ſententiam pertrahes, ſed noli credere te á doctio-
rib. quicquam impetraturum eſſe, qui cum intelli-
gant egregia eſſe Ariſtotelis ſcripta, tua viciſſim
frivola, & nihil ſucci habentia ſtatuunt eſſe. Igno-

sces pro tua humanitate, ingenué, & liberé suam sententiam confitenti, & te admonenti, ut rationẽ habeas publici commodi, nõ enim est, quod post hac vereare, ne acerbius aliquod cõtra te scribam, si me contumelioſé non lacessas. Quód si veritati, & non ambitioni studes, non dubito quin redituras sis in viam, sed profectó vereor, ne nimis verũ illud sit, quod vulgo dicitur, Qui velit ingenio cedere, nullus erit. Quód si Philosophus es, sic amabis veritatem, ut non amicos tantum, sed etiam teipsum non recta via incedentem reprehendas, & pluris veritatem, quám tuam κενοδοξίαν facias. Sed ad hãc mutationem instinctu Divini spiritus est opus: humanis enim consiliis hac in re nihil proficitur, quin etiam pertinacioribus feré nihil persuaderi potest. Ad reprehensionem quorundam temere mihi obiectorum paucis respondebo. Fretus ipsa veritate, & Aristotelis authoritate, diuisi Logicam Aristotelis in Analyticam, & Topicam, propterea quod Logica, cúm sit ars probandi, & fidem faciendi per notiora, probatio omnis aut sit necessaria, aut ἔνδοξος. Probatio, quæ nititur propriis & vernaculis rei probandæ rationibus, petitur ex Analyticis præceptis. Quæ autem nititur communibus, & nulli certo generi rerum devinctis argumentis, requirenda est probatio horũ ex Topica Dialectica. Finis est utriusque partis Dialecticæ, ut possimus invenire, & judicare argumenta quibus probandum est aliquid. Quare Inventio & Judicium, species non sunt ἀνηρημέναι, ut visum quibusdam fuit, præsertim Stoicis, has Dialecticæ species, authore Boetho,

facientibus,

facientibus, sed Analytica, & Topica, species erūt ἀνταδυρημέναι, & quæ semel in idem non concurrant. Vides me non tanquam Dictatorem, hæc astruere, sed rationibus motum approbasse Logicæ artis Aristotelicam hanc in species divisionē. Habet ergo & Analytica pars, præcepta quædam, quibus & invenire demonstrationis στοιχῖα, & quibus etiam judicare proposita valeamus, id est, demonstrationes, á non demonstrationibus discernere. Ita quoque Topica docet, & invenire, & judicare, ea quibus ἐνδόξως de re proposita disseri possit. Habes quod requirebas á mea diligentia, & non opus certé fuit, ut me tam sollicité exuscitares. Quæ tu postea scribis, non diligentiam aliquam redolent, sed, quæso ignosce mihi ignorantiam terminorum, & finium utriusque speciei Logicæ artis, nempe Analyticæ, & Topicæ. Putas eadem in utrisque tractari partibus artis, quod falsissimum est, καὶ μέγα λίαν ἄτοπμα, quod de Empedocle alicubi inquit Aristoteles. Multa dicis, sed nihil probas, & quod me reprehendis, nullo meo merito, id omnium meritissimo tibi adscribitur, nempe Censorium, seu Dictatorium supercilium. Tales profecto sunt tuæ animadversiones omnes, ab ignorantia scilicet veritatis pulcherrimorum inventorum ab Aristotele, profectæ. Ergo cúm res istas non intelligas, & tanquam Andabata pugnes, non puto te rationibus refellendū, ut qui hypotheses verarum rationum tuis somniis plané é medio sustuleris. Quis unquam inventionis generalis, & quæ Topicæ communis etiam sit, præcepta in Apodicticis, præter te unum ex-

plicari dixit? A ſcopo aberraſti, toto cœlo, totaq; via aberraſti Rame. Prius, mihi crede, intelligere authores oportet, poſtea animadverſiones in eos ſcribere. Quomodo, quæſo, judicium horum nullum eſt proprium, quorum non eſt generalis, ſed omnino propria inventio? Alia inveniendorum præcepta in Analytica parte tractantur, & ſimul etiam judicandorum, & alia præcepta, & aliarum probationum inventiones, & judicia præſcribuntur in Topicis: quam differentiam fortaſſe tu non vides, quia Ariſtotelem non intelligis, & reprehēdis non intellecta. Ergo Methodus omnino nulla (authore Ramo) in Topicis attingitur. Concluſio hæc tua ſimilis eſt præmiſſis. Quando talia ſcribis, Ariſtotelici partim rident, partim indignātur: perinde enim facis, atque cæci, ſi de coloribus diſputant, aut perinde atque Anaxagoras, cùm probare conaretur, nivem eſſe atram. Proinde argumenta tua ſimilia ſunt concluſis, & ne gutta quidem veritatis in utriſque eſt. Falſiſſimum itaque eſt quod ſcribis, Inventionem unam, & argumentorum generibus eandem in Apodicticis, & Topicis repetitam eſſe. Quis hoc dicit? Ramus? Quis hoc negat? Omnes docti Philoſophi, qui veritatem & Ariſtotelem intelligunt. Ad alterum breviter reſpondeo. Primùm me Apodicticam non in medio ponere inter Analyticam, & Topicam, non enim mihi unquam hoc venit in mentem, ſed Analyticæ, ut generis, facio diviſionem, in priorem Analyſin, & poſteriorem, quæ aliàs ἀποδεικτικὴ ἀνάλυσις ſolet appellari. Deinde non eſſe ſciētiam dico Ἀποδεικτικὸν, ſed artem quandam tractandarum, inveniendarū, explicandarum,

explicandarum, & judicandarum scientiarum. Aristoteles in Rhetoricis, inquit, eos qui Dialecticam appellant ὑποκρίνειν, ipsius διαλέγεσθαι penitus ἀφανίσαι. Sed Ramo nō rectè videtur hoc dictum. Quare? Quia Aristotelea hæc, non satis intelligis. Proinde alia ratione Metaphysica, dicitur Apodictica, & alia Analytica ars, dicitur Apodictica Metaphysica, scientia est scientiarum, sed ars Apodictica non est scientia, sed ars scientiarum. Quare nihil promoves his tam ineptis argumentis, quæ me non redarguunt, sed te Philosophiæ non admodum intelligentem esse ostendunt. Deinde reprehendis exempla mea, quód non possint ferre severitatem Analyticorum præceptorum. Nam sic me statuere dicis, quód in Physicis & artibus obnoxiis rebus, non ex necessitate cohærentia monstrari soleant, sed talia, quæ plerunque & in plerisque ita se habeant. At Analytica præcepta de necessariis præcipere, ut quæ κατὰ παντὸς, καθ' αὐτὸ, & καθόλου prædicentur. Respondeo, necessitatem non tātum in his esse, quæ semper, sed etiam in his quæ plerūque subiectis insunt. Ut si Physicum est, plerunque nasci naturali constitutione animalia, necesse etiam est, ut plerunque ita generentur. Nam nisi non esset necesse plerunque sic nasci, sequeretur ut Natura indefinita, & fortuita causa esset. Quód autem ex necessitate plerūque & non simpliciter ex necessitate, sic fiunt Naturalia, causa est alia huius Necessitatis, nempe Materia, quæ obnoxia ἀνωφάσει, non patitur, ut res non possit non aliter fieri, quám fiat. Philosophis hæc satisfaciunt, sed tibi, ut opinor, qui novam Philosophiam cō-

mentus es, non ſatisfacient. De Syllogiſmo Mathematicæ demonſtrationis, reſpondeo, me non negare illum eſſe nullum: cum enim ſubjectum ſit, & proprietas, & cauſſa ſit proprietatis, quomodo quęſo non erit ſyllogiſmus ἀποδεικτικὸς, Sed tales ſyllogiſmos propter Medii compoſitionem, χαλεπὸν ἐστιν ἀνάγειν. Quid eſt Triangulum habere tres duobus rectis æquos? Id eſt, Quæ cauſa eſt? Quia tres illi anguli ſunt æquales exteriori & interiori, angulis creatis á latere trianguli, inſiſtente cuidam alii rectæ, qui duo ſint æquales tribus internis, ratione qua externus trianguli ſit oppoſitis duobus angulis internis æqualis. Medium illud compoſitum eſt ex principalibus cauſſis, quæ vernaculæ ſunt, & peculiares propoſito demonſtrando, quibus definitur eſſentia prædicati proprii hujus. Complementa autem probationum, Epagogicis abſolvuntur ſyllogiſmis, quæ omnia copioſiſſimé in Annotatis noſtris in Apodictica, expoſuimus: quæ volente Deo, brevi exibũt in lucem, & in his declarabitur ſtudioſis Mathematicarum demonſtrationum principalia media, quomodo contrahi poſſint, ut his unum quoddam εἶδος, cauſſæ proponatur. Sed difficilia hæc ſunt, & quæ pauci ſine præceptore aſſequi poſſunt. Non eſt ergo, mi Rame, quód me hoc loco calumnieris, & mihi tuos, neſcio quos, proſyllogiſmos proponas. Non hoc agitur, utrum plurib. ſyllogiſmis una demonſtratio conſtet, ſed utrum uno ſyllogiſmo principales partes medii complecti poſſimus, & quænam ſint illæ partes principales, de quib. in Annotatis meis docebo. Præterea, tuam Methodon in artibus ordinandis,

dinandis, non possum videre qualis sit, cum Aristotelis Dialecticam ignores, & Apodictica tãtopere contemnas. Multi multa scribunt hodie de Methodis, ignarissimi Analyticorum, quos facilé patior abundare in suo sensu, utinam nobis ipsis non tantum arrogaremus, & potius veterum inventa explicaremus, quám his per calumniam explosis, nostras nugas juventuti erudiendæ in Philosophia obtruderemus. De linea ex punctis concreta, non est ut tibi respondeam. Nam nec Arist. nec ego constitutam lineam statuo ex punctis: Ut Triangulus est constitutus ex tribus lineis superficiem claudentibus. An nescis Aristotelem esse de exemplis non solicitũ? & sæpe ipsum ex aliorum sensu exempla afferre, & præterea παχυμερῆ, quidã interpres verissimé dixit esse Aristotelem in exemplis. Alterum exemplum demonstrationis proprii trianguli, egó statuo me ex præceptis Aristotelis Apodicticis tractasse, quæ præcepta tu non benè, ut opinor, intelligens, immeritó reprehendis. Certé quod tres sint æquales duobus rectis, probari non potest, nisi probetur tres illos angulos internos, æquales esse exteriori, & interiori, qui creantur uno latere trianguli insistente lineæ rectæ. Nã ex prius quadam demonstrata, liquet, sic habentes duos, aut ambos rectos esse, aut duobus rectis æquales. Itaque principale illud est, & συνεχὲς Medium. Quare probandum jam nihil aliud restat, quám probare duos angulos illos esse æquales tribus, quod monstratur, si probetur, externũ æqualem esse duobus internis, quod ipsum probatur etiam per prius demõstratam quandam, dividen-

do ſcilicet externum angulum per lineam παράλλη-λον in duas partes. Principale igitur medium, duabus his cauſſis conflatur hoc modo: Omnis figura rectilinea tres habens angulos, exteriorem habens æqualem duobus oppoſitis, & exteriorem cum interiore, habens tribus interioribus æqualem, habebit tres duobus rectis æquos. Sed omnis Triangulus eſt figura rectilinea, tres habens angulos, exterioremque habens æqualem, &c. Reliquæ probationes complentur per Epagogicos ſyllogiſmos, qui ſunt principalium mediorum complementa. Sic reduci poſſunt ad formam Syllogiſticam demonſtrationes Mathematicæ. Ut ſi velis probare, quód duo parallelogramma in eadem baſi, & intra eaſdem parallelos conſiſtentia, ſint æqualia, συνεχὲς eſt ἄτοπον: Quorumcunque Trapeziorum æqualium (quæ formantur æqualibus triangulis, ſi commune triangulum utriſque detrahatur) idem fuerit complementum, quo per additionem Trianguli communis unius, formentur parallelogramma duo, neceſſe eſt, ut duo hæc parallelogramma ſint inter ſe æqualia. Sed duorum quorumvis parallelogrammorum, ſuper eadem baſi deſcriptorum, & ſub eiſdem parallelis, ſunt hujuſmodi Trapezia æqualia (quæ formātur æqualibus triangulis, ſi commune triangulum utriſque detrahatur) quæ complemento unius trianguli addito, transformantur in duo parallelogramma. Ergo duo huiuſmodi parallelogramma, &c. erunt æqualia. Principale etiam hujus medium demonſtrationis poſtea completur Epagogicis ſyllogiſmis, quorum majores præmiſſæ, vel prius

ſunt

ſunt demonſtratæ quædam, vel Axiomata quædam. Copioſé tractavi hæc in Annotatis meis, in poſteriora Analytica, quæ Deo volente brevi edã in lucem. Quare, non eſt ut putes me nullum tenere uſum Analyticorum præceptorum in Mathematicis exemplis.

De Hippocrate non nego, quod pleræq; ipſius hypotheſes fuerint Geometricæ & συγγενεῖς, offendit duntaxat in uno, quo factũ eſt, ut ψευδογράφημα committeret. Oſtenſum illud eſt in Phyſicis. Demonſtrationem duplationis cubi, in edendis annotatis meis proponam, cujus demonſtratio eſt in inventione duarum mediarum, quas invenire licet per comparationem parallelogrammorum quorundam, & ſimilium triangulorum. Quo volui oſtendere, quomodo Stereometricis etiam demõſtrationibus adhibeamus linearum propria, & figurarum, & hac ratione eſſe quodammodo ὑπάλληλον ἐπιστήμην στερεωμετρίαν, ipſi Geometriæ. Quod ſcribis præterea de cubis, proportionis ordine ſe conſequentibus, me falli, non recte meum ſenſum mihi videris interpretari. Nam inter duos cubos, habentes ῥητὰς lineas, intermedios duos poni dixi, quorum lineæ ſint ἄλογοι, ut ſint duo cubi, quorum unius ſit radix 2. & alterius radix 4. Primus eſt unitas, & ultimus eſt 8. cujus radix eſt binarius. Hæc certé non ſunt obſcura intelligentibus, nec fallacia ſunt teſtimonia præceptorum quæ tracto, & mihi libet interdum ad talia evagari. In extremo epiſtolæ denuo obteſtaris, ut dicã tibi qua re motus, vulgarem hanc diviſionem Logicæ in Inventivam & Judicativam rejecerim.

Supra & initio quidem breviter cauſſam expoſui. Ego viciſſim te obteſtor, ut ne ſummum & præſtantiſſimum Philoſophum Ariſtotelem, tuis animadverſionibus frivolis, é manibus ſtudioſorum excutias. Majorem laudem conſecutus eſſes profectó, ſi egregia ipſius ſcripta explicuiſſes, vel ſcribendo, vel docendo, quám non intellectum authorem tot ſophiſmatibus oppugnãdo, tam multorum doctorum virorum odio te ſubjeciſſes, ut vix interdum credam te hoc ſerió agere, ſed quaſi luſum inſtituiſſe, ut ſolent Rhetores facere, quando aut febrim, aut podagrã, aut tale quid laudant. Quod ad me attinet, tanti facio Ariſtotelem, ut credam naturam rerum, omne acumẽ ingenii humani in ipſo oſtentare voluiſſe, ut recte Averroës ipſum naturæ miraculum fuiſſe dixerit. Quæſo igitur te, & tui honoris, & Reipub. nomine, ut deinceps nobis novam Philoſophiam, & Dialecticam non velis obtrudere, & ne reprehendas meliores authores, ne tu quoque reprehendaris. Quod ad me attinet, bené poſthac ſecurus eris, ut contra nihil ſcribam, modó tu noſtra non reprehendas, ſi vera ſint. Ego quæ tu reprehendis in Ariſtotele, nullo modo reprehendẽda eſſe video, ſed accuratiſſima interpretatione evolvenda eſſe, ut legentibus amplius non ſint obſcura. Quare iterum atque iterum te hortor, ut bonitatem ingenii tui, in explicandis, non in reprehendendis veterũ inventis, exercere velis: qua in re habebis me non tantúm hortatorem, ſed etiam laudatorem ſummum, & in die illo Talẽtum tuum, bene & cum uſura collocatũ, Domino offeres, qui non vult,

vult, ut donis ſuis male, & præpoſteré utamur. Tubingæ 15. Martii. Jacobus Schecius D. ad omnia obſequia paratiſſ. ſi νομίμως philoſopharis.

PETRUS RAMUS JACOBO SCHECIO TUBINGENSIS *academiæ clariſſimo Philoſopho.*

AGNOSCE mihi (Scheci doctiſſime) ſi priuſquam in Germaniam veniſſem, tam illuſtris philoſophi tantum nomen neſcierim: neque veró quicquam intellexiſſem, niſi Argentinæ in officina librarii cujuſdam libros quoſdam tuos pulveri, tineiſque expoſitos animadvertiſſem. Cum rogarem quis eſſes, & quamobrem libri tantæ molis non venderentur, reſpõſum eſt, te Tubingenſis academiæ philoſophum magnum eſſe, ſed perobſcurum, ideoque minus in vulgus probari. Tumque diligentius apodictica tua legi: Itaque noli conqueri, quod quiſquam de te in Gallia publicé loquatur: proptereaque tuis libris in eam regionem aditus occludatur. Sed de re. Duo te præcipué rogaveram, ut nobis leges tuæ civitatis indicares, cum jura meæ civitatis aperuiſſem, tu pro omni lege ac jure Ariſtotelis authoritatem reſpondes, affirmaſque á natura omne ingenii humani acumen in eo philoſopho oſtentatum eſſe: denique ipſum naturę eſſe miraculũ. Quid ergo? An Ariſtoteles, tibi naturæ miraculũ eſt, cúm ſophiſmatis ſuis argutatur æternum mũdum, mortales ani-

mos, ſine providentia Deum, hominis beatitudinem non aliam quàm ab homine & in hac vita quærendam eſſe? nempe hoc eodem iure ſi per ſe clariſſimam rationis humanæ lucem infinitis tenebris obruerit, etiam tibi naturę miraculum erit? Enimvero pudet te hominẽ in tam diuturna philoſophiæ profeſſione conſumptum, tam pinguẽ & ſuperſtitioſum philoſophũ eſſe: vix enim ullam idololatriam tua iſta Ariſtoteleorum ſophiſmatum idolomania nequiorem eſſe judico. Quare mitte obſecro iſta puerorum miracula, Ariſtotelique ipſi perridicula. Ariſtoteles enim hoc authoritatis quamlibet eximiæ argumentum ἄπιχνον appellat, teque ideo artis (de qua loquimur:) nolo dicere cætera. Et tamen (ut prima epiſtola monui) huic ipſi tuæ naturæ miraculo mirabilẽ pleriſque in locis & errorem & ſomnum & imperitiam objectas: ut ingenii tui mirificum acumen ſatis admirari nequeam: qui Ariſtotelem Ramo ſacroſanctum velis eſſe, quem Schecio tot probris obnoxium facias. Nos igitur leges conſtantes & ſanctas habemus, quibus legitimum civem debeas agnoſcere: Tu verò & Ariſtoteli, & legitimã Ariſtotelis philoſophiam ſequentibus eris ἄπολις, ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀνέστιος. De partitione logicæ in inventionem & judicium ſecundo loco ſcripſerã: hic reſpondes iſtas ſpecies in Analyticis & Topicis confuſas eſſe: Analyticam autem & Topicam ſpecies eſſe diſtinctas & inter ſe oppoſitas. Reſponde igitur mirifice logice, utrum logica de inveniendis cauſſis, oppoſitis, genere, ſpecie, definitione, & reliquis argumentis ſit eadem logica,

quæ

quæ ἑρμηνεῖαι enuntiati, quæ analyſis ſyllogiſmi in ſuis figuris & modis, quæ analyſis methodi in perpetua artium collocatione. Illic enim inventionis logica eſt: hic judicii logica. Hoc (inquam) problema pro tua ſingulari logica attentius conſiderato. Deinde veró quid ais logicam aliam eſſe inventionis analyticæ, aliã topicæ? Item aliam logicam judicii analytici, aliã topici? Reſponde igitur utrum alia definitione noſti analyticũ, genus alia topicum? alia definitione ſpeciem analyticã, alia topicam? utrum alia denique eſt logica de cauſſis, oppoſitis, & reliquis argumentis analytica, alia topica? Item utrum alia ſit ἑρμηνεῖα, alia ſyllogiſmi vel methodi analyſis in analyticis, alia in topicis? tum enim aliam logicam inventionis & Judicii in analytica, aliam in topica tibi conceſſero. Tu igitur cum tantũ ſtomachum habeas, hoc problema non ſolúm devorato, ut adhuc feciſti, ſed conficito penitus & concoquito: verba enim inventionis & judicii tibi philoſophiam neſcio quã inſolentem adferunt: ut tot annos in Ariſtotelis philoſophia verſatus, nondum videaris cogitaſſe quid eſſet invẽtio: At (inquam) doctrina eſt inveniendi argumenti cujuſcunque ſive neceſſarii ſive contingentis: ſed præcipué in Judicii logica valde es neſcio quis, cum affirmas alia præcepta eſſe judicandi in analyticis, alia in topicis. At, vir divine, quidnam loqueris? quam enim ἑρμηνείαν enuntiati, quam analyſim ſyllogiſmi vel methodi in Topicis unquam legiſti? ἑρμηνεῖα uno opere duntaxat explicatur, ſyllogiſmi logica priore analyſi tantum traditur: Methodica diſpoſitio poſteriore

analyſi tantum exponitur: denique tota operis logici forma in organo ſemel exponitur: materia in elementis, terminis, principiis, id eſt in argumentis infinite iteratur, in categorematis, categoriis, inventione medii, in apodicticis topicis: confuſio (inquam) organi tota eſt in generalis & omnium rerum communis inventionis infinita repetitione. Repetitur enim perpetuo eadem illa communis & generalis, ſed modo ad omnem cujuſcumque enuntiati veri, falſi, neceſſarii, impoſſibilis, probabilis conſtructionem, ut in categorematis, categoriis, inventione medii, modo ad ſpeciales quæſtiones apodicticas & topicas, ſed tamen (ut dixi) cõmunis eadem & generalis. Sed cætera corám, ſi Tubingam venero, neque enim te & ſalutare & complecti propter hoc apodicticum bellum deſinam: aut etiam ſi plus otii nactus ero, copioſius eadem de re tibi reſpondebo. Vale, Baſileæ 10. Cal. April. 1569.

PETRUS RAMUS JACOBO SCHECIO CLARISSIMO *Tubingenſis academiæ philoſopho.*

LITERÆ tuæ (Scheci doctiſſime) á Felice Platero nobili medico Baſilienſi, qui ab excellente duce Virtenbergenſi redierat, mihi ita redditæ ſunt, ut vix legendi facultas eſſet, cum denuntiaret equos ſe protinus remiſſurum. Itaque ex tempore reſpondere breviter coactus ſum: nunc verò diligentius perlectis literis

ris, paulo plenius etiam reſpondebò. Duabus noſtris epiſtolis ad te perſcriptis rogaveram, primo quas ad vere ſerioque philoſophādum leges opinionibus hominum & authoritatibus liberas haberes, & quam conformandi judicii logicam ſequereris: Secundo de partitione logicæ artis deq; tuis exemplis egeram. ad primum reſpondes Ariſtotelis laudes plurimas, quas ſane nunquam tantas verbis efficies, quin reipſa præſtantiores efficiam. Itaque authoritatis hujus umbra fretus belle tibi philoſophari videris, ſi convitia neſcio quę in eum evomas; quem á te diſſentire intelligis, quod crudeliter, inique, miſere Ariſtotelem flagellet, quod per inſaniam damnet quem non intelligit, quod argutus novellis frivolis & nihil ſucci habentibus imperitos & ignaros Ariſtoteleæ philoſophiæ in ſuam ſententiam pertrahat, quod non veritati, ſed ambitioni ſtudeat, quod ſuam κενοδοξίαν pluris quàm veritatem faciat, quod tanquam cæcus de coloribus judicet, quod velut Andabatæ pugnet, quod non rationibus refellendus, qui ratas hypotheſes ſomniis é medio tollat, quod ut Anaxagoras nivem eſſe atram diſputet, quod philoſophiam non intelligens, ſibi nimium arroget, quod inventa veterum per calumniam explodens, ſuas nugas juventuti obtrudat, quod frivolis animadverſionibus & ſophiſmatis non intellectum authorem oppugnet, quod odio doctorum ſeſe ſubjiciat, rhetoricumque luſum inſtituens laudandæ podagræ philoſophiam & dialecticam objiciat: quod ideò Ariſtotelici partim rideant, partim indignentur. Hæc enim tui vomi-

tus fruſta ſunt eſculenta, vinum neſcio quod redolentia (intuere enim hæc velut in diſco tibi ſigillatim ante oculos repetita & repoſita) quibus nobis objicis, crudelitatem, iniquitatem, miſeriã, inſaniam, imperitiam, per argutias frivolas impoſturam neſcio quam, ambitionem, κενοδοξίαν, judicii cæcitatem, Andabatæ pugnam, ſomnia, Anaxagoræ nivem atram, philoſophiæ ignorantiam, calumniam, nugas, ſophiſmata, authoris non intellecti oppugnationem, odium doctorum, podagræ laudationem, Ariſtoteleorum riſum & indignationem. Hæc (inquam) tui vomitus fruſta in epiſtola tua & quidem ſæpius iterata ſunt. Denique ut hominis apertum pectus videremus, huc ſpiritũ ſanctũ (ut P. Ramus reſipiſceret) appellaſti: extremumq; judicii diem dixiſti. Leges igitur philoſophiæ tuæ poſtulanti hoc humanſſimum reſponſum & tot logicæ tuæ argumentis inſtructũ dediſti? At per ſpiritum ſanctũ ingenii, doctrinæ, logici luminis (de quo diſſerimus) authorẽ & largitorẽ, philoſophe, quomodo philoſopharis? Quæritur abs te qua lege judices Ariſtotelis philoſophiam legitimam eſſe: Tu vehementer commoveris, & tumultuaris, Ariſtotelem omnibus laudibus, Ramum contumeliis omnibus cumulando. Eſto (inquam) Ariſtoteles tibi ſit gygas Athlante altior, Ramus homũcio pumilione, quovis humilior, quid tum? Quæſtio tibi eſt de artium non de perſonarum differentia. Si puer in Tubingenſi academia á condiſcipulo interrogetur, utrũ, Deus ſanctus, ſit oratio latina, nullam, opinor, pro tua iſta logica contumeliam, ſed ipſam artis regulam

lam reſpondebit: tu tua opinione, tantus omnium artium artifex iraſceris & convitiaris? Et tamen ſi Ariſtotelem legibus ſuis repugnantem emendare tibi tantum flagitium eſt, quid tibi miſero tandē eſt futurum, qui Ariſtotelem ſomniare, qui Ariſtotelem errare, qui Ariſtotelem ignarum: & imperitum eſſe tot locis affirmas? Sacrifica, queſo te, ut diſcipulo ſapiens ille magiſter præcepit, charitibus & manſuetioribus muſis, ut ſtomachum tuū tibi leniant. Diſcipuli tui queruntur te perobſcurum eſſe: ſi tibi perſuaſeris iſtam ruſticam moroſitatem obſcuritatis hujus cauſſam eſſe, mea quidē certé ſentētia nihil errabis: caliginoſi enim halitus iſti mentis ſtatum totum conturbant: Placata, liberalis, humana communicatio, canos noſtros magis deceat. Itaque ſi ego in iſta patientiæ & cōſtantiæ militia veteranus, te novitium tyronem amicé moneam, æquo animo feres, & urbanior factus, admonitionem noſtram amabis. Ego te honorifice in meis ſcriptis (uti perſpicies) appellavi, & appellabo ubicumque honorandi tui æqua poteſtas fuerit. Quinetiam ut intelligas me ingenii tui virtutibus aliis magis delectari, quám iſtis impatientiæ motibus offendi, mitto ad te dialecticam noſtram, teque publici commodi gratia vehementer obteſtor, ut in eam tam ſevere tanque acriter inquiras, quám in tua ſcripta putas inquiri. Qualis univerſæ facultatis definitio noſtra ſit, ſed præcipue quám ſit accurata in inventionem & judicium partitio, utrum logica inventionis ſit eadem cum judicii logica, quoniam partes iſtas ἀνπδιηρημένας negas eſſe: conſidera utrum membra iſta

universi corpois logici naturam & essentiam complexa præceptis, legibus, theorematis, alia sint ad res necessarias, alia ad probabiles inveniendum & judicādum, quod arbitraris. Species oppositæ tibi sunt probatio necessaria & tantū probabilis, quis negat? Nos enim hanc differentiam in enuntiati differentiis sequimur, quoniam illic κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, καθόλου θεωρεῖται esset, unde captiose ad syllogismum & inutiliter traduceretur. Sed heus logicæ nostræ monitionis nimium fastidiose, eandem necessariæ & tantum probabilis probationis & εὑρετικὴν primo nostro libro & κριτικὴν secundo percipies. Tot annos ista & voce & scripto docui, duabus epistolis id ipsum tā perspicue tibi proposui. An Aristotelis ænea pelvis pilaque admovēda est, quæ philosophum tam manifestæ philosophiæ indormientem exuscitet? Talis tua logica est, cum ais primo tuo Apodictico dialecticam non esse scientiam, sed artem tractandarum scientiarum: item secundo Apodictico esse artem, quæ doceat modū scientiæ, partirisque primo libro in Topicam de opinabilibus, & analyticam de necessariis & scientificis: & initio secundi libri analytica præcepta inter necessarium & opinabile constituis: tanquam analitica (quam tamē principem partem facis) tuo isto tam logico judicio nulla pars sit dialecticæ. Dialectica, inquis, primo libro est aut analytica de necessariis, aut Topica de opinabilibus: At (ut idē ais secundo libro) analytica præcepta neutrius partis sunt, sed sunt inter necessarium & opinabile: concluderes igitur ex hac tua contradictione analyticam non esse dialecticæ partem, aut certe neutrius

trius partis legibus teneri. De tam crasso stupidoque errore cum te monuissem, homo tam memoria constans quám Philosophia præstans irascéris mihi, & negas hoc tibi unquam in mentem venisse. At ne mihi tua oblivio fraudi esset, locos ipsos tibi notavi. Hoc igitur ænigma dissolvito, Analitica esse de necessariis & scientificis, Topica de opinabilibus, & analytica tamen neq; necessaria vel scientifica, neque probabilia, sed inter necessarium & opinabile, id est analytica Aristotelis de necessariis & scientificis, negas analytica esse, quia negas esse necessaria, negas esse scientifica, cum inter necessarium & opinabile constituis. An igitur ut elenchū tam prodigiosum excusares, tot convitiorum plaustra convehenda tibi duxisti? sed institutum persequor: In primo nostro libro cum tota illa dialecticæ principia perpenderis: secūdo libro nihil parcito, examinato quā rectè judiciū ipsum ex Aristotelis doctrina & definitum & distributum sit. Atq; in prima judicii parte de apodicticis artificiosi & scientifici enuntiati conditionibus & differentiis, veri, falsi, veri necessarii contingentis, falsi impossibilis contingentisque: in his, inquam, differentiis quæstionis urnam moveto, utrum legitimé ex apodicticis Aristotelis illa subducta sint, & in illo primi judicii gradu collocata: Hîc necessitatis tuæ præclaram distinctionem intelliges. In syllogismo & methodo diligentiam & severitatem parem adhibeto: & quid prosyllogismus sit, ut irridere desinas, ex Aristotelis doctrina percipito. Sed in methodo ungues demordeto, ut discas quamobrem in topicis nulla me-

thodus attingatur. Hæc lux Aristotelea, si oculis intentis aspicies, hallucinationes opinionum tuarum tibi mirabiles aperiet: tibique novum novæ Philosophiæ mundum (quem in nobis tantopere admiraris) aspectabilem faciet: Hæc tibi viam & rationem perspicuæ & facilis doctrinæ demonstrabit: quod unum in te tui amici vehementissime desirant: quod doctor, quod scriptor sis obscurissimus: ut é discipulis tuis simplicissimi te quidem admirentur, omnino autem nihil intelligant: atqui de laudibus Aristotelis methodus est una lõgé maxima præstantissimaque, quam equidem suspicari non possum quamobrem non tam nescire quám despicere volueris: Neque enim adduci possum ut credam, tam singularem Aristotelis philosophiam idcirco tibi minus probari, quia nobis vehementissime probetur. Hác enim Philosophi gloriam vnicé vindico propugnoque quam tu valde insolenter aspernaris & cavillaris. Quare cum laborem nostrum non solúm in reliqua arte, sed præcipué in methodo Aristoteleum esse perspexeris, mitesces (ut spero) & judex de studiis nostris æquior eris, teque præ nobis in logica Aristoteleum putare desines: Logicam enim inventionis judiciique materiam ab Aristotele totam feré desumpsi, formam quam ex methodo adhibendam esse præcepit, adhibui. Ita logicam penitus Aristoteleam sequimur. Vis in logicis doctrinam esse aliquam de causis, oppositis, genere, specie & argumentis reliquis, communibus entis) ut appellat Aristoteles (differentiis? Volo: vis judiciũ enuntiat, syllogismi, methodi? Volo:

Hoc

Hoc igitur mihi tecum in Aristotelis philosophia commune est: sed illa sola sequor, quia hæc sola sunt Aristoteleis artium faciendarum principiis consentanea, quia hæc sola sunt utilia juventuti ad reliquas liberales artes percipiendum & exercendum, ad humanam vitam prudentiæ consiliis & judiciis informandum, atque ea semel propono, quia generalia & omnis entis adeoque etiam non entis communia sunt, & semel proposita tantundem ad quęstiones Apodicticas, Topicas, Elēchticas valent, quám si infinita & odiosa tautologia Aristotelis more repeterentur: neque Apodictica aut Topica Logica tollitur, cum de Apodicticis, de Topicis, de quibuslibet aliis problematis cogitandi & judicandi logica illustrior & uberior ostenditur. Hæc (inquam) sola & hoc modo retineo: Tu contrá, omnia quæ quomodocunque ab Aristotele in organo collecta sunt, & in primis argumentorum elementis infinitè repetita, mordicus retines, eaque obscura neque intellecta nobis esse infinitè clamitas. Equidem (ut verum fatear) si Aristotelem intelligere, existimas esse, omnia quæ in Aristotelis bibliothechā ex innumerabilibus authoribus, ut alibi disserui, coacervata sunt, quāvis falsa, aliena, impropria sint, attamen necessaria, cōsentanea, propria facere: Si (inquám) id existimas esse Aristotelem intelligere, ut certé contra me saltem videris existimare, fateor & mihi & tibi, imó Aristoteli ipsi Aristotelem nunquam intellectum esse, imó intellectu non difficilem tantum, sed plane impossibilem. Ego velut in auctione publica de supellectile Aristotelis, principia firma, leges indu-

bitatas, mentem ipsam denique primo mihi comparavi: Deinde é scriptis ejus & libris omnia quæ summis & incorruptis judiciis illis congruerent: & hoc modo Aristoteleus esse cupio. Contraria etiam si mihi á præcone gratis offerrentur, attamẽ repudiavi atque abjeci: Tu memoria philosophi vel pietate potius nescio qua motus, Aristotelis vel putres soleas (ne quid auribus indignius dicã) quovis pretio mihi redimendas, & pro sacris reliquiis venerandas arbitraris: At tibi tam multis locis Aristoteles cum somniat, cum errat, cum ignorat, etiámne sacer, etiamne venerandus erit? Atque hic pudet recordari quam facetus esse volueris. Quis affirmat, ais, Topicæ & analyticæ inventionem communem & eandem esse? Judicium commune & idem esse? Ramus: quis negat? Omnes docti philosophi. At, homo hominum ad erroré suum intelligendum tardissime, illa ipsa inventio communis, illud ipsum judicium commune est in Aristotelis organo, unde & nos assumpsimus. Aristotelis ἐρμηνεία, nostra est ἐρμηνεία, Aristotelis syllogistica, nostra est syllogistica, Aristotelis in artibus collocatio methodica, nostra est in artibus collocatio methodica: neque hæ logici judicii differentiæ repetitam libris compluribus logicam habent in Aristotele, sed unam & communem omnis entis & non entis: Judicium itaque logicũ in Aristotelis organo commune est: Inventio de caussis, factis, subjectis, adjunctis, dissentaneis, cõparatis, nominib⁹, distributione, definitione, testimonio, infinité quidẽ repetitur & iteratur per quæstiones Apodicticas, & Topicas: attamen illis ipsis

gneribus ſemper una & eadem, licet mille ſophiſmatis obruta, tamen una & eadem ſemper ſperatur. Quare inventio etiam communis ab Ariſtotele proponitur, & bello iſto facetoq; ſale Ariſtoteles Rami nomine abs te aſpergitur. Verum ſi dialecticam noſtram legeris, mittam dialecticas ſcholas, quæ tibi de ſingulis plenius fatisfacient, teque meliora docebunt, quàm unquam de philoſophia ſperaveris. Venio ad excuſationem exemplorum, quibus & falſis & tibi ignotis incredibili ſecuritate abuſus es. Quid igitur hic reſpondes? Ariſtoteleam in exemplis παχυμέρειαν prætexis? atqui homo de tua conſtantia negligentiſſime, qui exempla ὥσπερ ὁμήρου λόγους tam confidenter in apodicticis tuis prædicas, quique vel in præſenti epiſtola affirmas teſtimonia quibus uteris nequaquam fallacia eſſe: hæc oratio tibi minime gentium cõveniebat, falſis exemplis uteris, & negas tamen te falſis exẽplis uti: tandem admonitus exemplorum falſitatẽ negligentiæ nomine excuſabis? Hæc prima excuſatio fuit de linea ex punctis concreta. Quid deinde? Dixi tibi adverſus ſomniata Ariſtoteleę apodixeos apodictica non eſſe propriũ trianguli habere tres angulos duobus rectis æquales, quia talis æqualitas in ſolis abſque ulla figura lineis inveniatur: Dixi cauſſam talis æqualitatis non eſſe propriã trianguli, quia communis ſit linearũ ſimplicium, & quamvis figuram præcedentium: hoc cum nequeas inficiari, attamen nihil ad rem reſpondendo, ſed neſcio quos obſcuritatis tuæ fumos excitando χαλεπὸν ἀναγαγεῖν ais: falſo affirmas tres interiores duobus rectis æquales probari non poſſe

absque Euclidis exteriore angulo uno latere triãguli insistente ut loqueris: contrarium ex epistola percipere potueras: novam tineis escam sæpius minitaris: denique tanti tui tamque multiplicis morbi medicum calumniatorem appellas. Difficilia hæc ais esse ignarissimis analyticorum, concedo: sed qui sint ignarissimi illi tui, attentius tecum reputato, & quam tibi velut Antigenidas intus cantilenam canas, considerato. Talis est excusatio de tetragonismo Hippocratis, & mavis tamen te judicibus causſam edoctis nescio quám misere deridendum propinare, quám tam manifestũ lapsum simpliciter & aperté confiteri. Sed in cubicæ duplicationis errore occultando & tegendo, homo pudoris tui prodige, quas in salebras te imprudẽs induis? non recté sensum tuum interpretor (ais) at obscuritas ista tibi (ut video) adversus morbos omnes catholicum est remedium. Si quid in Aristotelis philosophia emendatur, Obscurus est (ais) Aristoteles, nec ábs te intelligitur: ita modo cum de errore manifestissimo amicé admoneris, indicas te obscurum esse, neque sensum tuum á nobis recté explicari: At hoc obscuritatis pharmacum secũdus dialecticarum scholarum liber claris istis & illustribus Pharmacopolis eripiet. Modó quæstionem persequor. Sensum tuum (ais) non recté interpretor. At (inquam) Scotine doctor, quoniã etiam ista laude delectaris, verba quibus usus sum, tua ipsius verba sunt in tuis arcanis apodicticis hoc modo: Si triplicetur (ais) linearum proportio, jam non figuræ, sed corporis respectu alterius exuperantia generis magnitudinis cognita erit: si

cubus

cubus sit habens octo partes, qui duplo sit major, habente quatuor: & quatuor eo, qui duas: & qui duas, eo qui unã partẽ: dupla linearũ quatuor cõtinua proportione, primus respectu ultimi (triplicata proportione) cubicus erit, & octies grandior cubus ultimo & minimo: ut ergo lineę inter se cõparantur, ita ex iis procreati cubi inter se conferentur: ac semper proximus respectu præcedentis sub duplus erit. Hæc (inquã) tua verba sunt é cymmeriis tuæ matheseos tenebris eruta, nihil addo vel mutó, nihil interpretor: exemplum ad te é tantá famæ tuæ flamma eripiendum assumpsi. At (inquam) dupla linearum quatuor continua proportione non ut lineæ inter se comparantur, ita ex iis procreati cubi inter se conferentur, ut 15 é 4 & ad 4 é 24 in geometria nostra perspicies, ut etiam exemplo illo tibi proposito 1. 2. 4. 8. cubi sunt 1. 8. 64. 512. non duplæ rationis, sed octuplæ. Quare talem plané geometriam nobis demonstras, qualem discipulis tuis apodicticam demonstrasti. Enimvero ut gratiam nobis haberes, quod te monuerim familiariter de tanta audacia, quid hic facis? quónam te is perditum? Quod scribis (ais) de cubis, proportionis ordine se consequentibus me falli, non recté meum sensum mihi videris interpretari. Nam inter duos cubos habẽtes πρώτας lineas intermedios duos poni dixi, quorum lineæ sunt ἀνάλογοι. Ut sint duo cubi, quorũ unius sit radix 2. & alterius radix 4. primus est unitas & ultimus est 8. cujus radix est binarius: Hæc epistolę totidem verba ipsissimá sunt, quæ tibi apertissime demõstrant non Aristotelem tibi, quám te ipsum obscuriorem

esse. Quid enim illud est? Quatuor cuborum continué proportionalium primum esse unitatem, ultimum octo, & tamen unius radicem esse 2. alterius 4? Quinam cubi sunt inter 1 & 8 quorum radices sunt 2 vel 4? cubus enim é radice 2 est ille ipse numerus 8, cubus é radice 4 est 64. Quis mathematicus & modestus credet cum ista legerit, te non solum doctrina, sed rusticitate ista planæ ἀγεωμέτρητον planeque ἄμουσον esse? imó mathematis ninium non dico tantum inscienter, sed insolenter & immaniter abusum? Quia non potes in plerisq; Aristotelis locis falsitatem, heterogeniam, improprietatem pro veritate, homogenia, proprietate divendere, obscuritatem philosophi caullaris: an tuam philosophiam tam mirabilis affirmationis sophismate convictam obscuritatis pari jure tueberis? At fucus, at fraus est in isto tam glorioſæ obscuritatis emblemate. Dialectica est ars bene differendi, id est quidvis perspicué docendi, & tu nobis sophisticam obscurandi cacotechniam pro dialectica magnificé prædicabis? imó quamlibet inscientiam isto tectorio pro scientia venditabis? Nemo nisi perversa natura, miser est, cum fortunatus possit esse: Nemo præsertim in lucis arte, nisi fatuus aut improbus, est obscurus, ubi perspicuus esse possit. Demitte igitur ignavum nescio quem spiritum, qui te in has angustias perduxit: & consulito aliquem Tubingẽsis academiæ discipulum mathematicum (iis enim doctrinis nobilem academiam florere audio) graviter errare te respõdebit. Sed caput extremę tuæ philosophię est, cum tuam istam geometriam velutattonitus admiraris,

aisque:

aisque: Hæc certé non sunt obscura intelligentibus. Certé (inquam) admirande philosophe, hæc non ψευδογραφήματα, sed ingenii tui verissima argumenta non sunt obscura intelligentibus. Et quisquam jam miretur te credulis discipulis obscurũ esse? Verum cum obscuritatis hujus caussas in falsa doctrina, in falsis exemplis (quæ pro veris habuerant) intellexerint, falso obscuratatis nomine accusare te desinent, errorem, insomnium, ignorantiam (ut tu perspicué Aristoteli objicis) sic tibi disertis & apertis verbis multo justius objicerent, seque deceptos á decepto magistro perspicient. Equidem per annos feré triginta (quibus ista de logicis quæstio disceptatur) cum docerem in Aristotelis apodictica, exceptis differentiis artificiosi & scientifici enuntiati & methodica artium forma, nil nisi inanes & sophisticas nugas esse, nullos acriores adversarios habui, quám qui non dico apodictica nulla opera experti aut machinati essent, sed qui apodictica exempla penitus ignorarent: quorum omnium te principem locupletissimo ad eam fidem quindecim librorum testimonio perhiberi ac prædicari voluisti. Sed (mi Scheci) miseret me tui, qui talia tuo nomine publices: imo veró qui nobis (quia meram stultitiam pro insigni sapientia non admiremur) tanquam fanaticis Spiritus sancti gratiam velut obtesteris. At ego justissima de caussa adducor, non ut me tui in convitiis similem erga te exhibeã (placet enim liberé quidem, sed tamen modesté, sed liberaliter de modestis & liberalibus disciplinis agere tecum) sed in tanta de logicæ & geometriæ

non curantia te commonefaciam, ut Pythagoreo silentio utramque doctrinā prius condiscas, quām tam insolenter tantam ingenio tuo occurrentium visorum insolentiam profiteare. Si te in Logicis quæ ad te mitto, profeciſſe cognovero, mittam etiam geometriam & scholas geometricas, ut in his etiam proficias: meque tibi si nō tuis istis falsorum & theorematum & exemplorum artibus philosophum parem, fidelem certē benevolumq; consiliarium fuisse percipias: teque summis precibus obsecrabo, ne hominem quenquam (ut Aristotelem non tibi, qui illum erroris, insomnii, ignorantiæ condemnas, sed mihi persuadere vis) Deum esse existimes: sic enim te non solum nobis chariſſimum, sed Philosophiæ utiliſſimū præstiteris. Furiosam istam & agrestem logicæ tempestatem (quam ex ignavia temporum atque inertia tuo isto modo præceptam dedidiciſſe maximi mihi laboris fuit) dediscito, & Socraticam differendi tranquillitatem atque urbanitatem in Xenophōtis & Platonis schola perdiscito. Et si quid nobis respondeas, utere quæso, constantibus argumentis, solidis legibus, indubitatis principiis, quæ neque negari, nisi ab impudētibus aut fatuis, neque refelli, nisi captiosē & á fallacibus sophistis queant: Demonstra nostram doctrinam falsam, sicubi non sumus assecuti quod contendimus: Declara exempla nostra falsa esse, sicubi decepti sumus: sicuti tuam & Aristotelis doctrinam falsam esse doceo, sicuti vestra exempla falsa vel aliena esse convinco. Desine rei & falsitate convicti Aristotelis authoritatem ad ipsius defensionem

nobis

nobis objicere: Desine muliebribus contumeliarum telis præliari quæ nihil offendant adversariũ, sed angustias pectoris atque infirmitatem judicii tui tantum demonstrent: Tum enim tuis discipulis utilem, bonis omnibus insignem, mihi certé charũ atque amabilem philosophum te probaveris. Quare ætatis prudentiam, studiorum antecedentium maturitatem, omnem denique ingenii virtutem ad illam laudem gloriamque comparato. Nemini unquam omnium qui contra me scripserunt, nominatim verbum ullum respondi. Quare cum me huc demissum cogitabis, nostri erga te amoris μνημόσυνον accipies. Vale, Basileæ Cal. April. 1569.

P. RAMUS T. B. V. S.

ACCEPI literas tuas 5. Id. Aug. peramanter ac perhumaniter scriptas: (Ne nescius essem) nos diserté rursus admones, quod per nostrum Pithœum monueras, te nunquam sensisse nobiscum, neque etiam nunc sentire in plerisque dialecticæ capitibus: diligentiam tamẽ nostram laudabilem tibi videri, certé ad ingenia excitandum. Equidem clausula tam eleganti perlecta risi ipse mecum, scholæque meæ artificium recognovi, qui, cum discipulorum meorum themata minime probarem, neque tamen deterrere vellem, sic loqui solebam. Disciplinæ nostræ judicio tuo nugæ sunt: attamen ne sine spe relictus videar, diligentia nostra tantum non improbatur:

Omnes tamen amoris & modeſtiæ vias prius experiri ſtatui, quã te in iſta de noſtris laboribus exiſtimatione dimittam: tametſi enim neque ſcripta tua (quæ quidem legerim) neque curſus ſtudiorum tuorum á te ipſo tot præfationibus explicatus, demonſtrat in iſto pulvere tibi multum deſudatum eſſe: attamen quia de philoſophia judex eſſe vis, & philoſophici gymnaſii moderator es, quæſtio iſta imprimis tibi cognoſcenda eſt. Videor tibi egrotare, tu cõtra mihi: Itaq; per Deum optimum mutuo demus operam, ut alter ab altero curetur, præſertim cum hic morbus ſua contagione plurimos afficiat. Audi igitur quæ dico, ut audiam quæ tu mihi reſpondeas: Dialectica noſtra philoſophorum omnium, de quibus conſtare quidquam poſſit, dialectica ſunt: cætera in organum collecta cur omiſerim, dialecticæ ſcholæ (ſi requiras) abundé tibi reſpondebunt: & dialecticorum ipſorum uſus quem ſequimur, in logicis excellentium authorum laudibus imitãdis & exercendis, ex academica & peripatetica cõmunium theſium declamatione præcipué deductus eſt. Quare dialecticam noſtrã dialecticæ noſtræ uſum tam vehementer improbari equidem valde miratus ſum, præſertim cum ſolis exemplis, quibus utimur, adduci vel cogi potius debueris. Rogavi te proxima epiſtola, & iterum rogo, ut dialecticam tibi dono miſſam perlegas & pernoſcas: Nam ſi diſſentionis tuæ culpa mea eſt, præſtare equidem paratus ſum. Dbce igitur quibus locis ſatisfactum non putes, tum meritam laudem tribuam vt philoſopho, habeboque gratiam ut amico, ſummaq;

diligen-

diligentia ac fide contendam, ne possis imposterum meritó de nobis conqueri: sin animi caussa dissentire lubet, satisfactio tibi ipsi meditanda est. Enimvero si nihil ista te moveant, exemplum saltem domesticum moveat. Una Dei Ecclesiæ laus est per orbem christianum maxima, quod disciplinam vitæ nullam nisi é puro Dei verbo teneat: Ejusmodi nostra heresis est in Logica, nullum præceptum esse, nisi ex illo efficacissimo differendi magistro usu observatum, deductumque: sed Dei Ecclesia nullam disciplinam quamvis evangelicam satis esse arbitratur, nisi vita, factis & moribus respondeat. Hoc igitur utrumque cogita quamobrem usum logicum, logicæ artis magistrum neges esse, aut qua tandem religione publicam studiosæ juventutis eruditionem usu tam nobilis disciplinæ contra studium conatumque nostrum prohibeas. An putas dialecticam legitimé exerceri, cum de dialecticis præceptis clamitatur? puta igitur grammaticam legitimé exerceri, si de grammaticæ regulis disputetur: At nos longe aliam exercendæ logicæ viam sequimur: logicas poëtarum & oratorum primó, deinde philosophorum omniumque authorum consilio judicioque præstantium virtutes nobis cognoscendas, imitandas, æmulandas, ad logicæ artis usum arbitramur. Grammaticus quidam nuper mihi oblatus est, qui affirmat pronuntiationem literarum (de qua libros duos conscripsi) corruptissimam quidem sibi videri, nec temeré tamen innovandã arbitratur: Quid vero an corruptissima pronuntiatio sine temeritate corrigi non potest? Confido

te(si attenderis) judicio constantiorem futurum, neque quidquam de infinito dialecticæ artis abusu simile respōsurum. Elenchus enim istæ sophisticæ superstitionis, quod inveteratus abusus instar usus habeatur, sophistis in ore tam perpetuus, tibi sat scio displicebit. Quare obsecro te quoniá tibi plerisque locis errare videor, admone de istis non solúm doctrinæ, sed exercitationis erratis, meque isto morbo imperpetuũ libera, ut tibi erroris emendationem debeã. Secus patere, amicé & familiariter publici commodi caussa te admoneri, jocari in tam manifesto juvenilis institutionis detrimento non lubet. Quapropter audi partem nosti enim cætera. Oblatus est mihi poëmatum liber una cum tuis literis, pro quo gratias habeo: neque enim amici munus contempsi, sed legi libenter & diligenter, valdeque Buchanani, Stephani, & alia quædã poëmata probavi: de tuis autem nonnullis versibus, sed imprimis de præfationis tuæ logica, si te videro, coram audies quæ tibi audienda sint ab homine tui cupido studioso que. Cupiebam, si ad te veniissem, de iis atque aliis nonnullis communicare tecum, sed tempora non tulerunt. Deus te Ecclesiæ suæ quãdiutissime servet incolumẽ. Vale, 5. Cal. Sept. 1569. Bernæ.

P. RAMUS JOANNI THOMÆ FREIGIO. S.

LITERÆ tuæ duplicis gratulationis materiã nobis attulerũt: & de provincia quã sis adeptus, & de munere, quod nobis exoptas. Itaq; tibi ex animo gratulor, & te nostrarũ vigiliarum tam studiosum

dioſum eſſe valdé lætor: cupioq; ut iſta provincia tibi fauſta fœlixq; ſit, rebuſque tuis acceſſionẽ ac nomini laudem & gloriã ſempiternã afferat. De me verò quód tam amanter, tamq; honorificé cogitas, facis tu quidẽ pro tua humanitate & benevolentia, quæ te ad benè merẽdum de amicis excuſcitat. Itaque pro tali erga nos amore te etiam atq; etiam redamo. Peregrinatus feré ſum per illuſtres Germaniæ regiones & civitates: tandemque Genevam ſpe patriæ pacis adductus perveni: rogatuque civium primam Ciceronis Catilinariã dies aliquot animi cauſſa veluti declamavi. Deinde cúm peſtis metus nonnullus eſſet, & ab hominibus noſtris in militiam profecturis ad eãdem profectionem ſolicitarer: iis me penè adjunxi: cõſilium tamen quietis potius & aptius viſum eſt, ut Genevæ vel in urbe alia quapiam conquieſcerem, donec Galliæ tempeſtatibus finem Deus afferret. Domi itaque liber & addictus nemini, lectitando & módo has, modo illas meditationes agitando, otium oblectare inſtitui, niſi forte tu nos aut alius quiſpiam ab aratro ad dictaturam avocet. Si nobis pauló ſubtilius de loco, deque cauſſa & conditione ſcripſiſſes, ego tibi quoque plenius & apertius reſponderẽ. Quare perſcribito accuratius de re tota: hîc enim aut Loſannæ aut in vicino quopiã loco futurus ſum. Vale. Genevæ 4. M. Julii. 1570.

P. RAMUS JOANNI THOMÆ FREIGIO. S.

LITERAS tuas frequentes accepi, quibus tamen nihil reſpondi, quia qui Lutetia Fribur-

gum veniret, nemo nobis occurrit: ſtatui tamen per Wechelum typographum noſtrum tandem aliquando reſpondere, & amoris erga te mei gratam jucundamque memoriam declarare. Sæpe tamen de te cum adoleſcentibus iis, qui é Briſgoia cum tuis literis venerunt, colloquimur: & de tuis ſtudiis, ſermonis plurimum habemus: quid agas, quibus authoribus explicandis animum oblectes: quæ te auditorum frequentia familiaque ſectetur: atque his collocutionibus modo quodam tecum verſamur: tibique animo, quod licet, favemus & gratulamur. De noſtris autem rebus nihil admodum novi eſt, quod te ſcire magnoperé interſit. Mandato regio, liberales artes Latiné perſequimur & Gallicé convertimus. Itaque tres primas recognovimus: Grammaticam Latinam & Græcam, Rhetoricam & Dialecticam, quas ad te mittimus: ad reliquas acri animo cõtendimus: teque ſingulis annis participem (ut ſpes eſt) faciemus. Vale Lutetiæ 16. Auguſti 1572.

CAROLO LOTHARINGO CARDINALI P. RAMUS. S.

CUM tu adoleſcens eſſes, anno abhinc quinto propé ac triceſimo, amare cœpiſti me, tum quoque adoleſcentem exeoque tempore te colui, amoremq; erga me tuum apud mortales omnes predicavi ac celebravi. tempora tamen inciderunt, ut jam malevolorum ſermonibus jactetur Petrũ Ramum á Cardinale Lotharingo ſpolia-

ſpoliari, non ſolúm regia profeſſione (cujus adipiſcendæ nominator apud Henricum regem fueras) ſed Prælei gymnaſii poſſeſſione, id eſt ómniū antecedentium ſtudiorum fructu ac mercede. At quinque liberales artes primæ adhuc á nobis elaboratæ & excultæ, & par vel etiā major alacritas, ad reliquas elaborandum & excolendum, longé alia præmia ſibi propoſuerant. Quamobrem te obteſtor per canos utriuſque noſtrum, non longiſſimo ſpatio ſepulchrum reſpectantes, perfice, ne ætatum noſtrarum extrema, ab initiis tantopere diſcrepaſſe, neve curſus annorū noſtrorum á comicis principiis exorſi, tragicos exitus habuiſſe videantur: ſed nos potius ad dura illa & laborioſa cudendarum poliendarumque artium, veluti metalla, ſponte præſertim talem pœnam flagitātes condemnato: Hæc enim vindicta magnitudinem animi tui ac celcitudinem multó magis deceat. Vale.

CAROLO LOTHARINGO CARDINALI P. RAMUS. S.

SALUTAVI te per epiſtolam, quoniam tutó ad te adire non potui. Alienatæ autem voluntatis tuæ cauſſam, quod ex ingrati, impii, & rebellis animi culpa repetis, declaras tu quidem gravia offenſionis argumenta ſi modo ea vera ſint. Certé plerique omnes (qui in rerum tuarum amplitudinem intuentur) exiſtimāt, eum, á quo tot encomiis cumulatus ſis,

amplis quoque abs te divitiis esse cumulatum: nec illi quidem toto genere falluntur, sed divitiarum speciē ignorant: neque enim abs te vel á mortali ullo quicquā unquā quod fortunę esset, accepi, ut accepti beneficii propterea immemor existimarer, sed sudore & labore corporis animiq; proposita mihi studia sustentavi, teque multis audientibus prædicare memini, me unum in tua familia cæterorum familiarium dissimillimum esse, quod illi assidué atque importuné flagitarent: ego contra ne teruntii quidem munus ullum unquam abs te petiviſſem, tumq; velut offensus, rogasti utrum voluntati an facultati tuæ diffiderem. Atqui equidem (quæ mea avaritia fuit) vocem illam pluris quam fortunas & opes tuas omnes æstimavi. Parisiensem verò professionē accepta Bononiensi professione Romuli Amasæi (qui mille & ducētis ducatis docuerat) si permisisses, jampridem tibi reddidissem. Veruntamen nostros pro liberalium artium dignitate conatus invidia obtrectātium penè obrutos amanter acriterque defendisti. Itaque si judicii de me tui, si amoris erga me tui divitiis me ditatum esse oblitus sim, immemorem famé obtrectatores appellanto. In mathematicis verò, querimoniam nostram de turbulento in academia rectore, & á quo tum penè interemptus sum, desinant de quoquam alio tam nequiter interpretari. Nūcupationes prętereritæ sunt, quæ tibi displicere putabantur, at nemini alii sunt attributæ. Sed pietatis quæstio gravior est, quasi leviter & inconstanter á patriæ religionis cultu rituque discesserim: At si negligentiæ nomine in huma-

humanis literis ſuſpectus nunquam fui, in ſacris multó minus eſſe debui: & tamen inter illas opes (quibus me ditaſti) has etiam in æternum recordabor, quod beneficio poëſiacæ reſpõſionis tuæ didici, de quindecim á Chriſto ſæculis, primum veré eſſe aureum, reliqua, quó longius abſcederent, eſſe nequiora atque deteriora: Tum igitur cum fieret optio, aureum ſæculum delegi, poſteaque non deſtiti ſcripta excellentium theologorum legere, cumque ipſis theologis (ubicumque licuit) coram agere & communicare, & ad me ipſum priuatim erudiendum commentaria præcipuorum capitum cõficere: quæ ſi tuis oculis non magis aliena judicares, quam rhetorica á nobis & philoſophica quondám judicaſti, fructum illius amoris tui ut inſperatum, atque inopinatũ ſic ineundum (ut mihi perſuadeo) gratumque percipe-res, ſtatuereſque nihil in nobis abs te fruſtra, vel amatum, vel defenſum eſſe. Atenim ſecundo tumultu, Sandionyſium confugimus: certe confugiẽdum in illa caſtra fuit, aut præſenti cæde occumbendũ: pręlii ſpectator non pręliator fui, votaq; noſtra pacis & togæ, nõ belli vel armorũ fuerunt: ſicuti cõſecuta deinde peregrinatio Germanica, honorificis doctorum hominũ gratulationibus & ſermonibus excepta, imó etiam perampło principum, regumque ſtipendio ad liberalium artium profeſſionem invitata, ut in gratiam eorum de noſtris laboribus judiciorum plenior hiſtoria teſtabitur. Meram igitur laudum tuarum, omiſſis cogitationibus caducis, tantoq; principe certe indignis in alto & ſublimi collocato. Grammatica,

Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, Geometria, noſtram limam ſubierunt: duæ de ſeptem artibus ſuperſunt: intelligis quid hic abs te poſtuletur. Expletis vigiliarum iſtarum excubiis, reliqua vita ſacris jã literis animo devovetur. Faxit Deus opt. max. ut vitæ tuæ curſus, humanis honoribus ſatiatus atque expletus, ad hæc divina ſtudia velis remiſq; dirigatur. Sæculum noſtrum doctiſſimis in omni lingua ſcientiaque hominibus beatum eſt, quos tu potes unius de tam multis tuis abbatiis impenſa tibi adjungere, ad teſtamentum vetus ex Hebraïca veritate, novum é Græca in latinum, in vernaculum etiam ſermonem accuratiſſime convertendum: cujuſmodi quiddã á Cardinale complutenſi tentatum, rurſus á Philippo rege tẽtatur: ad conficiendũ indicem, qui præcepta atque exẽpla cujuſque partis, vel ad doctrinam de fide, deq; fidei actionibus in lege, precatione, ſacramento, vel ad eorum omnium politiã, diſciplinamq; artificioſa ratione, ac via complectatur. Hoc enim indice nullus ſacræ ſcripturæ Doctor, vel interpres futuro theologo optabilior meo judicio unquam fuit. Hanc igitur præſtantiſſimo ingenio tuo, pro meritis erga me tuis, ſempiternam gloriã exopto. Vale Lutetiæ
11. Cal. Novemb.
1570.

TRES

TRES ORATIONES

A TRIBUS LIBERALIUM *disciplinarum, Professoribus, Petro Ramo, Audomaro Talæo, Bartholomeo Alexandro Lutetiæ, in gymnasio Mariano habitæ, & ab eorum discipulis exceptæ, Anno salutis* 1544. *Pridie Nonas Novembris.*

AUDOMARI TALÆI.

ORATIO.

SI QUIS VESTRUM (auditores) forté miratur, me tot annos in his leviori-bus artium studiis ita versa-ri, ut ad graviores vel medi-corum, vel Jurisperitorum, vel Theologorum disciplinas tardius accedere, atque aspirare videar, quàm vel ætas mea, vel communis hominum consuetudo ferat: is si mei consilij causs-am, rationemque cognoverit, unà & quod facio, ut spero, probabit, & in his profectó laboribus, voluntatem nostram minimé reprehendendam putabit. Cum duo socij, & mecum summa necessi-tudine conjũcti, Petrus Ramus, & Bartholomeus

Alexander hoc anno docere constituissent: factũ est, ut quos mecum vetustas amicitiæ, consensus voluntatum, consiliorumque omnium conjunxisset, eos ne ulla quidem studiorum dissimilitudo distrahere potuerit. Adductus sum amicorum exemplo, veteri consuetudine, studio, atque optima voluntate, ut cum duobus amantissimis fratribus meis, ineundam publici muneris societatem putarem. Quód si hanc causſam tam idoneam, tam gravem, tam honestam nõ haberem, & si id quod facio me reipublicæ causſa facere profiterer: ut communibus studiis Academia propé convulsa suis sedibus Lutetiæ restitueretur: quis tandem esset qui meum factum, consiliúmve reprehenderet? permotus, attonitus, perturbatus academiæ populus, nõ accepta quidem calamitate, sed metu proximę calamitatis, pené nobis in gymnasiis solitudinem reliquit: bellorum metu Parisienses musæ impendentibus incommodis, & difficultatibus perterritæ siluerunt: bellorum metu, aliam pené sedem, ad constituendas suas fortunas, disciplinæ quæsiverunt. In hac tanta nostri ordinis offensione, perturbatione literarũ, jactura temporum, cũ hoc unum tot incommodis remedium esse arbitrarer, ut homines non inertissimi hanc causſam publicam susciperent, fateor me ad eam partem recreandæ Reipub. accessisse, quæ fidem, studium, diligentiam professorum magnopere postularet.

Et quoniam video laboris, & industriæ causſam mihi vobiscum esse communem, primum de me, & præceptoris, tum de vobis ipsis, & discipulorũ officio dicam, ut meæ, vestræque partes, quæ sejũctæ

ctæ esse non possunt, una atque eadem oratione declarentur. Intelligo (auditores) magnum quiddam & grave esse onus, atque munus suscipere & profiteri se ab ingeniosis & vigilantibus adolescẽtibus in publicis scholis, de disciplinis humanitatis esse audiendum. Etenim qui tantam rem sustinere possit, oportet eum & virtute & doctrina & diligentia præstare: quæ tria é tam multis hominum millibus, in paucis vix singula reperiũtur: præclaré quidem Homerus, ut cætera, sic excellentis doctoris Ideam nobis proposuit Phœnicem illum á Peleo patre Achilli juveni comitem, datum, actorem rerum, oratorem verborum, industrium, ac diligentem principis moderatorem: á quo nescias utrum melior tantus ille vir, an sapientior, an omnibus in rebus exercitatior effectus fuerit. Virtus igitur & eruditio, & industria in idoneo doctore, non improbitas, ignorantia, desidia requiri solet. Ac cúm de Magistris homines inter se colloquuntur, de improbo sic agunt: hic non solúm corruptus, sed etiam corruptor adolescentiæ tam exemplo, quám peccato nocet: de indocto, caue huic tuos liberos committas, cave credas: discipulos enim suos non erudire, sed infatuare tantummodo novit: de pigro autem, ac desidioso: hujus industriam non novimus, laboris specimen nullum vidimus, nescimus quis sit. At veró quem bonum, quem doctum, quem diligentem cognoscunt, amplectuntur: hic á nobis, inquiunt, est omni ratione retinendus: quid enim facere sapientius possemus ad tuendam nostrorum liberorum institutionem? melius ad augendam familiæ gloriam? sanctius ad

domeſticæ virtutis amplificationem? Etenim ſi petulans fuerit noſtra juventus, eam cúm præceptis, tum exemplis optimis refrenabit: ſi rudis, elegantia doctrinæ limabit, ſi tarda, vigiliis excitabit. His igitur modis, cúm uſitata hominum de præceptoribus judicia fiant, eſt illud credo obſcurum, quam grave atque arduum ſit, magnitudinem ac difficultatem hujus provinciæ ingenio, facultate, ſtudio ſuſtinere. Putáſne te poſſe á diſcipulis rationem vitæ repoſcere, qui non poſſis reddere tuæ? Putáſne poſſe, cúm ſis ignarus dialecticæ virtutis, rudiſque in dicendo, ſententias Poëtarum, Oratorum, Hiſtoricorum, Philoſophorum judicio diſtinguere, locis accommodare, idonea oratione explicare? Putáſne etiam dum te omnia ſcire exiſtimari vis, nullum autem veræ doctrinæ exemplum præſtiteris, nunquam oraveris, nunquam carmen ullum ſcripſeris, nunquam ullum authorem ordine, judicioque explicaveris, ſed arroganti perſuaſione tibi primum, deinde tuis impoſueris, putas, inquam, te veri præceptoris officio ſatisfacere? Putáſne ſi vulgo ab aliquot imperitis, & opinione ſtulta deceptis dicatur: hic vir eſt multæ lectionis, corrigit & emendat multos locos, cúm tu tamen permiſceas & depraves omnia, te præclaré ad dicẽdum inſtructum accedere? Magna ſunt ea quæ dico, mihi crede, præceptori dicenda, demonſtranda, explicandaque ſunt ornaté omnia: perficiendum eſt, ut adoleſcentes te non ſolum audiant, verumetiam ut ſtudioſé, & utiliter audiant, & ea quidem dicentem, facientemque audiant, ac videant, quę juvenilis ætatis inſtitutio requirit. Non enim cõtemnendo

nendo eloquentiam, cujus usum nullum tenes, sed exercendo, exprimendoque, discipulos tuos disertos, & eloquentes efficies. Dicet aliquis: quid? ergo hæc in te sunt omnia? utinam quidem essent, verũ ut esse possint, quotidie magno studio est elaborandum, ut si non fuerit ea quam descripsimus: quamque animo tenemus doctoris perfectio, at conatus tamẽ atque adumbratio: non assequimur: at quid sit optimum videmus: neque enim de nobis dicimus, neque est quod dicere possemus, neque si esset, diceremus. Atque idcirco eas leges optimi præceptoris mihi præscribo, ut cúm intelligam notum vobis omnibus esse, quibus modis me regere, ac conformare debeam, diligentius accuratiusque vobis industriam meam probare studeam: præsertim cúm tot judices, tam instructos, & paratos ad intelligendam, deprehendendamq; culpam mihi ipse sponte proposuerim: quem in publicis studiis amorem, quis in nobis reprehendat? præsertim cúm sit præclarum omnes suas curas, vigilias, cogitationes ad reipublicæ dignitatem referre: præclarum multos sibi mortales immortalibus beneficiis obligare: præclarum sapientiæ studia, cum plurimis hominibus ita communicare: ut quó majores processus in ea largitione feceris, eó majores, & uberiores fructus consequare. Dissimilis est enim largitio pecuniæ, & scientiæ. Nam pecuniam qui dedit, non habet: & qui multum dedit, multum de suo detraxit: scientiam veró & qui dedit, habet & qui multum dedit, in eo quod multum dedit, sibi majorem cumulavit. Quare cũ sentiam, quàm nihil, aut parúm ingenio possim,

quàm infœcundus ſim, & inanis literarum, ut animum locupletiorem reddam, libenter hanc liberalitatem induſtriæ, quantulacunque eſt, apud vos exerceo. Sed mea cauſſa ſit hactenus expedita, videamus deinceps quæ ſint partes veſtræ, & ea quæ ſeparari non poſſunt, eadem oratione complectamur. Duas res á vobis literæ poſtulant, amorem, & laborem. Amor magnum eſt ad omnes res gerendas incitamentum: amore predæ, venatores feras luſtris omnibus, & cubilibus perſequuntur: amore pecuniæ, mercatores fluctus maris, & tempeſtates maximas ſubeunt: amore dominādi, principes armis inter ſe dimicant: Quód ſi predæ, pecuniæ, regni cupiditas, quæ præter naturam eſt, tantum valet ad animos noſtros excitandos, quantó magis amor doctrinæ, qui proprius eſt hominis, hominem ad ſe invitare, vel potius rapere debebis? quàm volumus, licet nos amemus, tamen nec velocitate cervos, nec robore leones, nec calliditate vulpes, nec denique nativio, ac familiari, tuendæ naturæ ſenſu, ſed hac una re quód trahimur, & ducimur ad cognitionis, & ſcientiæ cupiditatem, omnes pecudes, belluaſque ſuperamus: eaque cupiditas non recepta, ſed innata, nec extrinſecus ad nos delata, ſed in animis, ſenſibuſque noſtris penitus infixa, atque impreſſa eſt. Verúm ut ingenii ſtimulus eſt amor, ſic amoris labor, labor inquàm, rerũ effector optimus, qui cum duobus officiis conſtet in vobis, uno audiendi, altero commentandi: audire quidem ad comparandam prudẽtiam, & eloquentiam multum utile eſt, ſed multo utilius audito præceptore, quotidie aliquot horas in exercitatione

tatione dicendi, & ſcribendi ponere, & virtutes excellentium hominum ſcriptis conſignatas, propoſita ſibi quæſtione effingere, quemadmodum hodierno die multis locis hujus orationis quam pronuncio, conatus ſum veſtigia Ciceronis in Divinatione contra Cęcilium perſequi: niſi forté putamus egregium quempiam Muſicum fore, qui cum canendi ſtudio teneatur, multos præſtantiſſimos cantores, citharœdos, tibicines, diu multumque audiat: ipſe verò nullum periculum ſuæ artis faciat: nullum concentum edere, nullam citharam pulſare, nullam tibiam inflare incipiat: an quod ad commemorandum eſt honeſtius, id ad faciendum videri non debet utilius? utra igitur oratio honeſtior? an, vocem doctoris libenter audio, ſed reliquum ſcribendi, & dicendi laborem, quód multas moleſtias habet, penitus abjicio: an, non ſolúm aures ad audiendum, ſed linguam quoque ad dicendum, & manum ad ſcribendum exerceo? dubitare quiſquam poteſt quin ſit melior, & vtilior cum auſcultatione frequens, & aſſidua, commentatio, quám ſine commentatione ſegnis & deſidioſa auſcultatio? Quamobrem (auditores) quod in hac ſtudiorum communicatione fieri neceſſe eſt, hodierno die, & ad levandam laborantis hujus Academiæ perturbationem, & ad augendam veſtræ gloriæ dignitatem, conſentite nobiſcum, & conſpirate. A nobis nonnullos obſides habetis, quos tueri, conſervare, recuperare non deſinemus: habetis trium conjunctiſſimorum hominum, in æqualitate fraterna conſpirantem conſenſum: habetis aliquam, licet exiguam, diligentiæ noſtrę exiſti-

mationem ſudore, labore, vigiliis collectam: date nobis mutuos ſidejuſſores, amorem, ut velitis, laborem, ut poſſitis hujus fœderis ſocietatem conſervare: vobis (niſi conſilium ac voluntatem graves caſus impedierint (animum, & induſtriam meam hoc anno probare conabor, neque Poëtas modó, & oratores, ſed etiam Philoſophos, imprimiſque Ariſtotelem de moribus diſputantem, propediem vobis interpretabor: vos ne veſtram cauſſam tam nobilem, tam illuſtrem, tam honeſtam contempſiſſe, ac pro nihilo duxiſſe videamini, etiam atque etiam providete.

BARTHOLOMEI ALEXANDRI ORATIO.

VIDEBOR fortaſſe vobis inepté facere (auditores) qui cúm nulla vobis commẽdationis cujuſquam ratione ſim cognitus: audeam tamen in hunc locum, doctiſſimis præceptoribus veſtris celebratum aſcendere: præſertim cúm nullo modo ſim cum his, qui ex hoc loco dicere conſueverunt, vel ingenio, vel doctrina, vel diligentia comparandus. Verùntamen vetus amor, & antiqua mihi cum illis familiaritatis conſuetudo, me licet formidantem, ac multum repugnantem impulit, ut ſecundarias aliquas operas, communibus veſtris ſtudiis præſtarem: ut cúm jampridem illa quæ celebrantur in amicitia, τὰ τῶν φίλων κοινὰ inter nos multum valuiſſent, ſtudii item & laboris communione & ſocietate confirmarẽtur.

tur. Itaque cúm alter, ſibi philoſophicas, alter mathematicas, uterque etiam rhetoricas exercitationes aſſumpſiſſet, grammaticas Græcæ linguæ meditationes mihi tradiderunt: non quod hac una re, ſicut cæteris omnibus, ſatisfacere abundé non poſſent, ſed ut hac una cura nobis commiſſa, copioſius & abundantius in muneribus ſuis vobis adeſſent. Ponam itaque brevis admonitionis loco, quæ de Græcarum literarum ſtudio, & doctrina linguæ illius ſtudioſis proponenda exiſtimavi: proferamque primúm in medium clariſſimorũ, & doctiſſimorum hominum authoritates & teſtimonia, qui Latinas literas cum Græcis conjungendas eſſe putaverunt: deinde quæ ſint in Græcis literis utilitates, quot perſpexiſſe nobis licuerit, explicabo. Atque in hac doctrinæ contentione, duo illa facundiæ Romanæ lumina, Ciceronẽ, & Quintilianum ſatis idoneo nobis teſtimonio futura arbitror, quibus credamus. Audiamus igitur primúm Marcum Tullium de ſe memorantẽ, quedadmodum Græcas literas eorum cõſilio primúm cognoverit, quorum authoritate continebatur: Equidẽ memoria teneo, pueris nobis primum Latiné docere cœpiſſe L. Plotium quendã: adquem cúm fieret concurſus, quód ſtudioſiſſimus quiſque apud eum exerceretur, dolebã idem mihi non licere: continebar autẽ doctiſſimorum hominum authoritate, qui exiſtimabant Græcis exercitationibus ali melius ingenia poſſe. Hoc de ſe ſcribit ad M. Ticinium (ut Suetonius author eſt.) Unde agnoſcimus, & quid Ciceronis præceptores, & quid Cicero ipſe judicaverit. Quanquã

nihil aliena interpretatione nobis hic opus eſt. Non enim ſolum Cicero gloriatus eſt ſe Latina cum Græcis junxiſſe, cúm in philoſophia, tum in dicendi exercitatione, ſed idem bonus & parens, & præceptor, filium ſuum, ut idem faceret, ſæpius hortatus eſt. Sic enim Officiorum primo, ait, ut ipſe ad meam utilitatem ſemper cum Græcis Latina conjunxi, neque id in philoſophia ſolúm, ſed etiam in dicendi exercitatione feci: idem tibi cenſeo faciendum, ut par ſis in vtriuſque orationis facultate. Et filius in patris Oratoriis partitionibus, hunc paternæ inſtitutionis fructum teſtatur, cúm ait, Studeo mi pater Latiné ex te audire, quæ mihi tu de ratione dicendi græcé tradidiſti: & pauló póſt, Vis ne igitur ut tu me Græcé ſoles ordine interrogare; ſic ego te viciſſim eiſdem de rebus latiné interrogem? Quæ nobis aperté declarant Ciceronem patrem, filiúmque Græcas literas cum Latinis cũjuncto ſtudio coluiſſe. Audiamus deinde alterũ illum (quem propoſuimus) magiſtrum, quid ait? á ſermone Græco puerum incipere malo: quia latinus, qui pluribus in uſu eſt, vel nobis nolentibus ſe perhibet: ſimul quia diſciplinis quoque Græcis prius inſtituẽdus eſt, unde & Latinæ fluxerunt. Sed idem graviſſimus author jubet non longé latina ſubſequi, vel potius ſimul ire: ut cúm æquali cura linguam utramque tueri ceperimus, neutra alteri officiat. Quare quoniam conjunctionem iſtam tantis viris, & tam probatis authoribus placuiſſe intelligimus: dicendum eſt (quoniam me ſecũdus locus orationis admonet) de rationis hujus utilitate, quæ tanta eſt, ut quic-

quid

quid Latini in omnibus artibus habeãt, id á Græcis acceptum dissimulare non possint. Hinc enim humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ, & in omnes terras distributæ putantur. Grãmatica non solúm prius fuit in honore apud Græcos, sed quacunque ratione fieri potuit, Latinis commodavit. Orthographia certas quasdam literas. Quomodo enim Zephyros, Harpyas, Xistos diceremus, si ζ, υ, ξ, literas nobis Græci denegent? Etymologia innumerabiles voces, unde Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Aritmethica, Musica, Geometria, & innumera id genus vocabula profluxerunt. Vocum item declinationes, latinis, & inflexiones mutuo per multas dedit. Quis enim Græcé non eruditus casus illos intelligit? -Thesea Pyrithoumque - Orphei Calliopeiæ, -Androgeo galeam. -Panthu quem prendimus arcem--illum venerande Melampu. Et illa Terẽtii, Græca Menandrꝛ, Græca Apollodorꝛ. Quinetiam Cicero græcis permultis dictionibus usus est, quasi aut plané Latinis, aut certé communibus: cujusmodi sunt peristroma gynæceum apotheca, secunda Philippica, symphoniaci serui, prima in Verrem, symphoniaci adolescẽtes, septima. Scribitur Heracliodica quarta, Xystus & Troïca tempora pro Trojanis de cl. orat. syngrapha pro Murena, acroama pro Archia, diploma in Pisonem, bibliotheca in Topicis, hypodidascalus nono epistolarum, physiologia & monogrãmi dii, de natura deorum, ephemeris pro Quintio, Gaza secundo officiorum, & in Verrem lectica octophoro vehebatur, & secundo epist. ad

Q. fratrem, Macerophoris centum ſequentibus: Cæſar etiam in quarto de bello Gallico, ephippiatos equites dixit: cujuſmodi vocabulis Latina lingua plena eſt, quæ longiſſimũ ſit recenſere. Jamverò Syntaxis latina, conjungendarum vocum rationem ſuam ſæpe deſerit, græcam ſequitur: quo ex genere ſunt illa Ciceronis, mihi probatur, magnam partem ex iambis noſtra conſtat oratio: & illa Vergilii: -cætera Graius: &, Os humeroſque Deo ſimilis. Quód autem ad proſodiam attinet, quantum utilitatis ad tonos, ſpiritus, paſſioneſque noſtrarũ ſyllabarum Græcos attuliſſe exiſtimatis? Itaque diſſimulandum non eſt, quod negari non poſſit, ſed præ nobis ipſis ferendum: latiné loquendi leges á Græcis accepimus. Graiis (inquit Horat.)

Ingenium, Graiis dedit ore rotundo muſa loqui.

Ac ne quis forté id ſolúm de grammaticis credat, eloquentia ex iiſdem fontibus tota manavit. Illinc ſunt tropi, illinc omnes figuræ ſententiarum & verborum, quæ unde prodeant, ſatis ſuis nominibus produnt: illinc ſunt oratores Romani, qui eloquentiam Græcis acceptam referunt. Nam Marcus Tullius ab ineunte ætate ad præturam uſque (ut Suetonius ait) ſæpius Græcé declamitavit, quám Latiné. Et de ſeipſo in Claris Orat. loquitur: Commentabar declamitans (ſic enim nunc loquuntur) ſæpe cum L. Piſone, & cum Q. Pompeio, aut cum aliquo quotidie: vel quód Græca oratio plura ornamenta ſuppeditans, conſuetudinem ſimiliter Latiné dicendi afferebat: vel quód á Græcis ſummis doctoribus, niſi Græcé

dice-

dicerem, neque corrigi posſem, neque doceri. Idēque ſummorum oratorum Græcas orationes latinis verbis explicandas cenſuit. Sic enim primo de Oratore per Craſſum loquitur: Poſtea mihi placuit, eoque ſum uſus adoleſcens, ut ſummorum oratorum græcas oratioens explicarem: quibus lectis hoc aſſequebar: ut cum ea quæ legerem Grecé, Latiné redderem, non ſolúm optimis verbis uterer, & jam uſitatis: ſed etiam exprimerem quædam verba imitando, quæ nova noſtris eſſent, dūmodo eſſent idonea. Et cúm ſe totum ad imitationem Græcorum contuliſſet, effinxit, ut Fabius ait: vim Demoſthenis, copiam Platonis, ſuavitatem Xenophontis, jucunditatem Iſocratis, divinitatem Theophraſti immortalis ingenii beatiſſima ubertate. Omitto Latinos Poëtas á Græcis omnia mutuatos eſſe. Terentium á Menandro, Vergilium á Theocrito, Heſiodo, Homero: Horatium à Pindaro. Taceo à Græcis poëtis copiam verborum, varietatemque orationis petendam eſſe: quod monet idem Horatius:

Vos exemplaria Græca
Nocturna verſate manu, verſate diurna.

Doleo quód in Dialectica ratione diſſerendi, non plus veræ laudis Græcis tribuere poſſim, quã Sophiſticæ confuſionis. Phiſica veró & medicina, & mathematica, ſi non inventa á Græcis, ſaltem exculta, & memoriæ prodita ſunt, á quibus Latini has diſciplinas mendicare coacti ſunt. Quid commemorem ſacras literas, & earum tam multos interpretes niſi Græcé intelligi non poſſe? Denique ne plura ſingulatim tractem, ſed paucis univerſa

complectar, nullum genus doctrinæ Græcis literis vacare potest: ut non immerito Quintilianus Græcæ linguæ Latinam simiam, Budæus discipulam appellasse videatur, & veteres Latini, qui laude literarum excellere cupiebant, incredibili studio accensi, vel in Græciam Roma navigarent, vel é Græcia Romam magistros eruditos accerserent: & hic nostris beatissimis seculis nemo feré laudis cupidus, non sibi ad discēdas Græcas literas omni studio enitendum arbitretur. Quamobrem cúm ex Græcorum scriptis & institutis, omnis doctrina liberalis, omnis sermo elegans sumatur, cúm varietas tanta sit artium, ut nemo sine Græcæ linguę instrumento, ad ullam scientiam satis ornatus possit accedere, cumque á Petro Ramo, & Audomaro Talæo diligētissimis, & doctissimis præceptoribus vestris, laborum conjunctione sociis, amore veró fratribus meis, magnos fructus (sicut antea percepistis) sitis percepturi: laborandum quoque nobis erit, ut neque vos operæ nobis traditæ, neque me industriæ vobis tributæ pœniteat.

PETRI RAMI ORATIO.

HODIERNO die fratres nostros (auditores) Audomarū Talæū, & Bartholomeū Alexandrum de studio, atq; amore erga vos suo dicentes, audivistis: puto nunc vos expectare, ut de meipso quoque aliquid postremo loco dicam: ut quemadmodum illi in hoc publicæ professionis, quasi theatro personarum suarum, argumenta

vobis

vobis expoſuerunt: ſic ego quas partes agam, quã expectationem veſtram eſſe cupiam, exponã paucis: & deſideriis, animiſque veſtris ſatisfaciã. Meminiſtis enim ex oratione Audomari Talæi, gratiã induſtrii præceptoris ingenioſé, & eleganter eſſe propoſitam: definitamque veſtri laboris vobis eſſe metã: cognoviſtis deinde Bartholomei Alexandri plenam humanitatis & veræ doctrinæ, de Græcarum literarum ſtudiis induſtriam: conjunctamque utriuſque ad inflammandos amore virtutis veſtros animos, diligentem cohortationem & honeſtam, quæ quoniam non prętervolavit aures veſtras, ſed penitus in ſenſibus & animis inſedit: ut multó plus ex illius recordatione voluptatis, quám ex ulla admonitione noſtra capere poſſitis: tantó ſcilicet extremus hic perorandi locus mihi difficilior relinquitur. Veruntamen quoniã officii noſtri reddenda ratio eſt, in communi ardore ac ſtudio verſandum mihi potius, Diogenis more, dolium aliquod eſt: quám ut diſſimilis eorum fuiſſe videar. Quid ergo? quæ tuæ partes erunt? Dicam primúm quæ ſequenda, docendaq; mihi propoſui: deinde ſi quid ſententiæ noſtræ contrarium eſſe videbitur, id breviter quale ſit, explicabo. Summam igitur (quod vos animo cõplecti memoriaque potuiſtis) fratrum noſtrorum in expolienda, formãdaque ſtyli & orationis elegantia, alacritatem excitatam perſpicio: hujus me laboris non ſolúm participem ſed authorem, amplificatoremque eſſe cupio: itaque cum Rhetoricis illis eloquentiæ ſtudiis altiora pauló, gravioraque mathematicarum artium ſtudia libenter ad-

jungo : eumque campum mihi concedi maximè gaudeo, ubi si nulla virtus, doctrinaque noſtra, at certè egregia ad benè de veſtris commodis merendum, voluntas poſſit excurrere. Etenim cùm varia ſint nobis auditorum ingenia, aliaque molliora delicatioraque, alia firmiora & robuſtiora, turpe & abſurdum eſſe arbitrarer præceptoris diligentiam naturæ, ac voluntati veſtræ non reſpondere. Eſt enim doctoris intelligentis (ut ait Cicero) videre quo ferat diſcipulum natura ſua quemque, & ea duce vtentem, ſic inſtituere ut Iſocratem in acerrimo ingenio Theopompi, leniſſimo Ephori dixiſſe traditum eſt : alteri ſe calcaria adhibere : alteri frenos. Quare gravis eſt illa mihi pueri de præceptore conquerentis oratio : Neſcio quid hic cogitet magiſter : an pueros exiſtimat ilicó fieri ſenes ? loqui neſcimus, balbi ſumus : dicendi, ſcribendi exercitationem petimus : at hic præceptor egregius aut oblitus, aut faſtidioſus puerilis hujus profeſſionis atque diſciplinæ, de rebus neſcio quibus quotidie nobis audiendus eſt, quibus ſibi placet, nobis nihil prodeſt : quæ cum puer ille curæ diligentiæque tuæ commiſſus, conqueſtus fuerit : poteríſne aut tam humanus eſſe, ut juſtiſſimam querimoniam cõtemnas ? aut tam ſceleratus, ut generoſæ indoli immaniter obſiſtas? non arbitror eſſe ullius animi tantam perverſitatem : dabimus igitur imbecillioribus illis ſtomachis neceſſarió, primum Terentii domeſticum & familiarem ſermonem, deinde, pauló tamen lautioris condimenti, eandem familiaritem de Ciceronis epiſtolis apponemus : poſtremó ſi avidio-

res

res ad has epulas acceperimus, conquisitas omnis elegantiæ suavitatisque dapes, de poëtis & oratoribus licet effundamus: At cúm huic parti vestrũ satisfactum abundé fuerit, veniet é grandioribus illis prætextatis & barbatis unus, qui nos desipere dicat, & nimis nescio quo concionario populo delectari, omne nostrum studium in puerili & pené ludicra exercitatione consumi: & nos in circulo aliquo iracundius & infensius objurgabit atq; irridebit. Hiccine vir est ob cujus unius ingenium tanta togatorum sapientum trepidatio, tantus timor, terrorque esse debuerit? quem vindicem publicæ commoditatis, ultorem miserorum, & afflictorum studiorum, veteris & antiquæ consuetudinis assertorem fore putavimus? vidésne tu illum tãquam sydere aliquo percussum? tristem? demissum? jacet, diffidit: abjecit hastas: Enimverò ubi est impetus ille ad dialecticam, reliquasque philosophiæ partes excitatæ cupiditatis: ubi est ardor ille accensi atque inflammati ad mathematicas artes animi? refrixit: conglatiavit, illicet: ab eo deserti contemptique sumus. Serpit hic sermo, & rumor quorundam discipulorum nostrorum: quorum voce, si mihi liceret non commoveri, si nulla ignaviæ nata, nulla inertiæ turpitudo, nulla inhumanitatis culpa susciperetur, liceret nobis in priori institutione permanere: sin autem ignaviã, fuga laboris, inertiam, repudiatio doctrinæ, benevolorum neglectio improbitatem coarguit: nimirum hæc quærimonia est ejusmodi: quam nec diligens, nec industrius, nec officiosus præceptor deserere possit. Huic itaque ætati, his ingeniis in-

ſerviendum eſt: & noſtri laboris aliquid eſt impertiendum. De philoſophia autem, ſinite me, auditores, (ſicut oratores & poëtæ ſolent in obruenda triſtis & mœſtæ rei cogitatione) dolorem meum potius quám veſtrum, dolorem quidem graviſſimum, acerbiſſimumque, verum (ut dixi) dolorem meum potiuſquam veſtrũ ſilentio præterire: Horatianumque illud levandi, conſolandique animi gratia in memoriam revocare,

Inter ſpem curamque, timores inter & iras,
Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum,
Grata ſuperveniet, quæ non ſperabitur hora.

De mathematicis autem nunquám cupidius quicquam expetetur: quám cupimus & optamus præſtare: ergo quamprimum ad nobiles illas contemplationes adeamus, mathematicas artes inviſamus: & animis (quorum ſunt liberæ cogitationes) velut præſentes & expoſitas intueamur. Ut ſi quis hoſpes & amicus nũc primúm Lutetiam veniſſet, Pariſienſiſque palatii fama, ac celebritate commotus, viſendi, cognoſcendique loci gratia, comitem te ſibi rogaret: deduceres in omnes eum regiones, aditus, veſtibula demonſtrares: ingentia illa marmorearum ambulationum ſpatia una conficeres: ſtatuas regum, tabernas cauſidicorum, diſtincta locis pro cauſſarum generibus tribunalia: inauratam ſummorum judicum aulam, regium illud auguſtæ religionis ſacellum: cæteraque loci illius miracula ſpectanda proponeres, & de ſingulis rebus interroganti, dubitantique reſponderes: Ita quoniam me comitẽ hoſp ites videlicet amicique delegiſtis: per quem Mathematicarum baſilicarum

opes,

opes, divitiaſque vobis exponi, declararique velletis: agite, vultis, ordiamur ab initio, & progrediamur ad extremum? ſic opinor. En igitur primo introitu dextra ſedet Arithmetica jucundiſſima, numerorum ſubtilitate comitata, alii enim diſperſarum additione rerum, compoſitarum ſubductione alii, alii multiplicatione ſingularum: univerſarũ diviſione alii eximium quoddam opus intexunt, expoliuntque, alii comparationes inter ſe, tum majorum cum minoribus, tum parium cum utriſque collatas expediunt: ſimilitudinum habitus alii conjungunt: differentias alii diſſimilitudinum diſtingunt, Hîc mihi tacitos & jucundos animorum motus ſermoneſque audire videor. Dic per ego te deos oro, hoſpes optime, quis hominum opera tã excellẽtia fingere potuit? primi, inquam, homines illi propagatores generis humani, Adam⁹, Sethus, Enus, Noëus, inveniſſe: excoluiſſe Græcæ gentis quidam viri ſapientes, Pythagoras, Archytas, Timæus exiſtimantur: Verúm diutius hîc immoramur. En ſiniſtra nobis eſt Geometria, quæ menſuras ponderaque quantitatum nobis explicabit: hîc arcani linearum meatus acutiſſimis punctis notãtur, hîc effugientes planorum receſſus reprehenduntur, hîc conjugati ſolidorum complexus dirimuntur, eorumque omnium inter ſe affectiones, proprietates, proportiones expenduntur.

Ec quodnam obſecro, hoſpes chariſſime, in figuris tam variis, tamque multiplicibus artificium cernimus? artificium, inquam, ſingulare cujus non ex ſeriis ſtudiis, ſed ludicris oblectamentis opera, niſi certiſſimorum hominum fide traderentur: nó

facta, sed ficta viderentur: hominem unum Geometricæ artis præsidio munitum maximo hostiũ, potentissimoque exercitui, parem esse, Marcellus mari Syracusas ingenti Romanorum manu obsidet: Archimedes geometra, multorum millium instar, unus obsistit, & Romanas naves alias trabibus ingenti pondere libratis deprimit: alias ferreis manibus per proram sublime raptas in puppim demergit: alias oppositis impulsas tormentis, præcipites in scopulos illidit: alias altius á mari catena suspensas, huc atque illuc agitat: & miserabili spectaculo dissectos provolutosque nautas deorsum affligit: solvit Marcellus navalem obsidionem, & terra Martem experitur: Archymedes machinas convertit, trabes, saxa, moles, instrumentis Geometricis in terrestres copias jaculatur: & incredibili fragore, tãquam tempestate totam aciem prosternit: denique summis maximi imperatoris artibus, summis infinitorum hostium viribus, geometra sedens & quiescens, non solùm par, sed etiam superior est, ut non immeritò Marcellus Gygantum centimanorum fabulam in geometra illo expletam cum magna hostis gloria prædicaverit: quos homines, mortales Deus (ut de ventis Poëta noster ait,)

Ni faciat, maria ac terras cœlumque profundum
Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras.

Hoc tam altæ reconditæque mentis acumen, & tam immensum speculandi thesaurum, inter alios permultos minimum geometria possidet: quibus tamen omnibus, longé locupletiores sunt thesauri duarum (quæ supersunt) disciplinarum: quas, si lubet,

bet, uná viſamus. Muſica notatis modulationum ſpaciis: diſtinctis ſonorum, commatis: definitis ſeſquitonorum, ditonorum, diateſſaron, diapente, diapaſon melodiis, variiſque variorum modorum fidibus, chordiſque velut Apollinem cum novem muſis cantantem repræſentabit. Aſtrologia nobis auream illam ſuperorum aulam, in eaque ſanctiſſimum, divinitatiſque pleniſſimum templum, licet æternis accenſum flammis, vix tamen ac ne vix quidem, vel acutiſſimis oculis, explicabiles admirabilium rerum opes, complexum errantium, conſtãtiumque ſyderum, tum regiones ac domos longiorum, breviorum, rectarum, obliquarũ viarum trajectionibus diviſas: tum curſus, recurſus: ortus, occaſus, anteceſſiones, conſecutiones, progreſſus, digreſſus, moras, impetus: tum omniũ ex diſparibus inter ſe motionibus, diſcordia, concordiaque ſufficientes, alendo, tuendoque mundo vires, complexum: templum, inquam, non principis aut regis cujuſpiam ſumptu, ſed omnipotẽtis Dei manu fabricatum, demonſtrabit. Quid eſt? Quid nos attonitos video? an, quemadmodum ſolem intentis oculis diutius ferre non poſſumus: ita pulchritudine, ſplendoreque tantarum rerum, cogitationes noſtræ perſtringuntur? & differendam potius lætitiam mentis, voluptatẽque putamus, quoniam tanta non poſſit uno tempore percipi? Æquum porró narras (hoſpes ſuaviſſime) & hunc nobis fœlicem fortunatumque diem ducimus, quo licuit nobis per te ſpectaculo tali frui. Et meũ quidem certé animum, admiratio non minor ſubiit, reputantem hominum (á quibus iſta nobis

tradita sunt) excellentes, divinasque mentes: verissimasque eorum laudes Nasonis carmine descriptas recordantem:

Fœlices animæ, quibus hæc cognoscere primùm
Inque domos superas scandere cura fuit,
Credibile est illos pariter vitiisque jocisque,
Altius humanis exeruisse caput,
Non Venus & Vinum sublimia pectora fregit
Officiúmve fori, militiæve labor,
Nec levis ambitio perfusaque gloria fuco,
Magnarumve fames sollicitavit opum.
Admovere oculis distantia sydera nostris
Aetheraque ingenio supposuere suo.

Sed de his, & toto instituto nostro satis. Respondendum nobis est ad ea paucis, quæ contra sententiam nostram dicuntur, & placandi quorūdam animi sunt sine caussa nobis (ne quid acerbius dicam) vehementius, quàm par est, irati, quibusdam enim judicio non animo peccare: quibusdam etiã flagitiosé facere videmur, qui sacra profanis hoc modo misceamus, miserum me cúm optimé cupiã, flagitiosé facere coarguor? Deum optimum maximum imploro, oro, obsecro, ut quã salutaria reip. consilia nostra sunt, tam grata certis hominibus aliquando possint esse. Conjungo cũ sermonis orationisque studiis, Mathematicarum artium studia, & conjungenda esse confirmo: quid tum? juventutem corrumpis alienis, & inusitatis studiis: immó verò & propriis & usitatis instituo, idque ne novo exemplo facere videar, quod facio, omnium & temporum & hominum authoritate confirmare, probareque possum. Exquiramus

igitur si placet ex prima temporũ, hominumque memoria, quas olim disciplinas, quas artes pueri discebant: si reperiamus Mathematicas non modó primas inventas esse: sed multa secula solas fuisse, quæ dubitatio poterit esse, quin hæ artes puerorũ fuerint? At sacra Historia testatur multis ante terrarum inundationem temporibus inventas & demonstratas fuisse. Grammatica veró, Rhetorica, Philosophia recens admodum Græcorum inventum est: Eripiemus igitur ea pueris studia: quæ puerorum & prima studia fuerunt? & sola studia diutissimé fuerunt? excitandi sunt, videlicet ab inferis veteres illi Græciæ sapientes, atque philosophi, qui nos authoritate & gravitate præsenti ab errore deterreant, quasi non pleni sint hujus consuetudinis atque sententię eorum sermones atque libri: Plato vetat ne quis Academiam Geometriæ expers ingrediatur, nec schola, Philosophiaque Platonis, auditorem dignum putat, qui non anté mathematicas artes noverit. Eandem scholæ gravitatem Platonis auditores sunt imitati, eorumque libri mathematicis & rationibus, & exemplis ita referti sunt, vt intelligi á mathematum imperitis nequeant: quare quodam tempore in universa Græcia mathematicis artibus nihil illustrius fuit, nec, qui nesciebat, satis excultus ad philosophiæ studium putabatur: Age veró ne vetera atque externa semper meditemur: Academiam nostram intueamur, quas leges erudiendæ juventutis á regibus nostris, quas conformationes á Pontificibus Romanis accepit? nempe, quas olim Græcia sibi instituit, nec hodie Parisiis Academia legibus aliis

instituta est, quàm quondam Athenis fuerat. Testis est veteris Academiæ non exesa penitus imago, quæ religione sanctissimi jurisjurandi vetat, ne cuiquam mathematum ignaro, docendi facultas permittatur. Testis est aliquot gymnasiorum institutio, quæ perpetuis stipendiis ornatos harum disciplinarum professores habet: Testis es deniq; Christianissime Rex Franciſce (quem honoris causſa nunc appello) qui prope intermortuam harum literarum gloriam, tanta liberalitate excitandam, & pueris proponendam nunquam cogitasses, si juventuti inutilem credidisses. Quare ne simus tam stolidé perverseque amentes, & insani, ut innumerabilium seculorum morem, consuetudinem doctissimorum virorum, decreta Regum, instituta Pontificum, contemnamus: eorumque sapientiæ, nostram paucorum stultitiam præponendam putemus: At obstrepentem adhuc aliquem, & obmurmurantem video. Confunditur puerorum animus, tanta literarum Latinarum, Græcarum, Grammaticarum, Rhetoricarum, Mathematicarum varietate, nec puerilis ætas potest uno tempore tam diversis studiis satisfacere: At in quanam tandem civitate, aut apud quos homines ista disputantur? Nempe apud eos, qui quæstionem istam mille ferè quingentis antè annis disceptatã, refutatam, derisam legunt atque audiunt, quid enim?

Quintiliane vage-

(Sic enim te, cum Martiale nobis affari liceat)

moderator summe juventæ,

Gloria Romanæ Quintiliane togæ.

Quid

Quid inquam? quam veré, quam graviter hanc quæſtionem refutaſti? Sed non ſatis, ais, perſpiciunt quantum natura humani ingenii valeat, quæ ita eſt agilis & velox, ſic in omnem partem, vt ita dixerim, ſpectat, vt ne poſſit quidem agere aliquid tantum unum: in plura veró non eodem die modo, ſed eodem temporis momento vim ſuam impendat. An veró Citharœdi non ſimul & memoriæ & ſono vocis, & pluribus flexibus ſerviunt, cúm interim alios nervos dextera percutiunt, alios læva trahunt, continent, probant, ne pes quidem ocioſus, certam legem temporum ſervat, & hæc pariter omnia: quid? nos agendi ſubita neceſſitate deprehenſi, nónne alia dicimus, alia providemus, cúm pariter inventio rerum, electio verborum, compoſitio, geſtus, pronunciatio, vultus, motuſque deſiderentur? quæ ſi velut ſub uno conatu tam diverſa parent ſimul, cur non pluribus horis diverſa partiamur? cúm præſertim reficiat animos ac recreet varietas ipſa, contraque ſit aliquanto difficilius in labore uno perſeverare, ideoque & ſtylus lectione requieſcit, & ipſius lectionis tædium vicibus levatur. Quid huic ſentẽtiæ Ciceronis, non ſententiam modó, ſed penè vitam adjungam? Oratores in foro, in Senatu, in roſtris frequenter audiens varia dicendi genera, diligenter obſervans acerrimo ſtudio tenebatur, quotidieque & ſcribens, & commentans, & declamitans, oratoriis tantúm exercitationibus contentus non erat: juris civilis ſtudio multum operæ dabat, ejuſdemque diei diverſis horis ſe philoſophiæ tradebat: in eoque non modó magnitudi-

ne & varietate rerum non frangebatur, ſed retinebatur attentius: & dies noctesque in omnium doctrinarum meditatione verſabatur: ut optimus de ſeipſo teſtis eſt. Quare quoniam ſatis idoneis exemplis patefactum nobis eſſe arbitror rerum diverſitate ſtudia non onerari, ſed recreari atque exercitari: omni nobis cautionis diligentia proſpiciendum, providendumque eſt, ne malitioſé tam nobilem Academiã affligere videamur, meritoque ab ea ipſa pauló ſeverius appellemur. Etenim, ſi me, cæteroſque profeſſores ſuos, Academia convenire poſſet, nónne velut chara ſolicitaque mater ad filios ſic agere, conquerique poſſet? filii quid agitis? nunquámne miſeræ matris afflictas opes reſpicietis? Mathematicas artes á primis hominibus acceperam, floruéram quondam in Græcia, aucta ſtudiis humanitatis etiam fueram, in Italia vigueram, in Galliam maximis Regum, Pontificumque beneficiis invitata veneram: at quæ nubes, quæ tempeſtates, quæ noctes, temporum coortæ interea ſunt? meminiſſe horret: nec tantam calamitatem neceſſe eſt acerba præteriti doloris cõmemoratione renovare. Ecce autem converſis mutatiſque temporibus, de repente cúm nova lux Regiis unius virtute nobis affulſerit: proh dolor? vos in tenebris inertiæ, delirationis, ſtultitiæ, obſtinaté reſiſtentes adhuc aſpicio? erumpite tandem aliquando, & meliora probare, atque amare incipite: bené inſtitutæ juventutis fructum laudemque conſiderate: non humanum mediusfidius, ſed divinum quoddam ac cæleſte bonum eſt ignoratione animum liberare,

rare, certas cognitionis vias demõſtrare, orationis leges dare, rationis regulã formare: deniq; opus á Deo inchoatũ atq; inſtitutũ perficere atq; abſolvere. Quare alacres & excitati ad hanc certiſſimã laudẽ gloriãq; properate: atq; hoc tam optandũ, expetẽdumq; decus. aut mihi vobiſcum, aut vobis mecum cõmune vt permaneat, elaborate: His ſanctiſſimis academiæ vocibus, cũ eſſemus admoniti, verendũ eſſet temeritatis & impietatis crimen: ſi veriſſimæ juſtiſſimæq; adhortationis conſiliũ deſpiciatur. Quamobrẽ cúm meipſum hac inductione animi confirmaverim ad vos revertar (auditores) ad amorẽ ſimilẽ cohortabor, vobis iſta ſeges aratur, vobis fructus iſte ſeritur, vobis laboris atq; induſtriæ noſtræ meſſis comparatur: Ponite itaq; ante oculos, non ſolúm honores, ſed etiam labores eorum qui ſtudiis iſtis (quæ nunc vobis proponuntur) ſe dediderunt: Terentii proprietatem, Ciceronis etiam ornatum & ubertatem laudamus & amamus: at niſi ſummum ſtudium in obſervando, ſummam diligentiam in meditando, ſummum laborem in ſcribendo dicendoque poſuiſſent, nil in vtroque laudaremus, nil amaremus: admiramur Pythagoram, Platonemque: verúm potius admiremur laborioſas peregrinationes Pythagoræ, Platoniſque in Italiam, Ægyptum, lõginquaſque regiones: quas cognitionis cupiditate commoti, pertulerunt. Quid in Archimede perpetuam ardentiſſimæ mentis intentionem, cogitationemq; memorem, ut nec cibi, nec potionis, nec valetudinis ullam haberet rationẽ? Ducebatur ab amicis plerunque invitus ad balnea, ibi cúm perungẽdus

in cratere conſediſſet, leviſſimæ voluptatis immemor, diſciplinæ ſuæ memor, ducebat in foco lineas: moxque perunctus, geometricas figuras in unguẽto corporis digito pingebat: cúm urbs ejus patriaq; inſidiis capta, maximo turbarũ clangore terreretur, maximo tumultu & clamore trucidãtium, morientiumque cõpleretur, quinetiam domus ipſius diſturbaretur, diriperetur que tam acri in contemplandis quibuſdam figuris, & demonſtrandis, cogitatione fuit, ut nullum omnino motum ſenſerit, tanta videlicet artis ſuæ dulcedine, atq; ie amœnitate capiebatur, ut veré illum quodã muſarum numine inſtinctum, afflatumque fuiſſe credamus. talem in Aſtrologia fuiſſe Ptolemęum exiſtimandũ eſt, quanvis nulla nobis id confirmaret hiſtoria: Eſt enim profectó ſummis & excellentibus ingeniis ad magnitudinẽ amplitudinemque rerum percipiendã ſingularis quædã cupiditas divinitus adjuncta. Quamobrẽ eadem laboris amoriſq; via ad eandem, ſimilemq; laudẽ contendamus, cõjunctas ſtudiorum rationes teneamus: ſermonis & orationis ornatus quempiam magis oblectat? huic cúm quod vult permiſero, admonebo tamen ut meminerit ex rerum cognitione, copiam orationis, atque ubertatẽ efflorescere, atq; redundare, ſi concitatius amore, cõtemplationeq; rerum teneatur: recordetur eloquentiam ſapientiæ copulandam eſſe, perfectamque eſſe ſcientiã, quæ poterit de quæſtionibus materiæ ſuæ ſubjectis eleganter & ornaté dicere, ſperemuſque Academiam florentiſſimam fore, in qua eloquentiæ ſapientiæque ſtudia conjuncta, ſociataq; fuerint.

PETRI

PETRI RAMI ORATIO,

HABITA LUTETIÆ IN GYMNASIO *Præleorum, Cal. Decembris, Anno, 1545.*

DIUTURNI silentii AUD. quo sum annùm pené jam integrum usus, non molestia nostræ professionis ullá, sed partim quarundam commentationum occupatione, partim impendentis periculi metu, finem bonitas Nicolai Sapientis hujus domus sapientissimi moderatoris attulit: is enim me, cúm longissimé ab hac academia propter urbis pestilentiam abessem, honorificé per literas appellavit, & in administrationem familiæ, cui summa cum laude boni, diligentisque patris præfuisset, tanquam filium adoptavit, idemque curriculum nobis aperuit, in quo labor, industriaque nostra excurrere antea, exercerique didicisset. Hoc itaq; beneficio mihi, & meæ pristinæ vitæ consuetudinem, longa taciturnitate intermissam restituit, & ad bene de publicis studiis merendum, clarissimum, jucundissimumque signum sustulit. Quamobrem tantam erga bonas, honestasque literas benevolentiam, tam excellentem in remp. beneficentiam, tacitus præterire nullo modo possum, neque committere ut animo saltem ac voluntate tam singularem erga me liberalitatem non secutus esse videar. Tametsi neque tam ignarus acceptæ calamitatis hinc abii, neque

tam hoſpes, rudiſq; poſtea redii, quin multa mihi non ſolum neceſſario deploranda, ſed etiam ad hoc publicum gymnaſii munus accedenti difficilia eſſe intelligerem. Cujus enim negocii eſſe credimus, Auditores, in ſolitudine frequentiam quærere, atque ut ſumma celebritas adfuerit inſtituẽdæ multitudinis, & erudiendæ tam gravem provinciam ſuſcipere? Etenim ut illam partem prius attingam: quid vultis recentiſſimam calamitatis publicæ memoriam renovem? Vidimus academiã quæ pauló ante florentiſſima fuerat, exitiali peſtilentia afflictam: quotidiana erant ante oculos omnis ætatis, ſexus, fortunæ, juvenum, ſenum, virorũ, mulierum, locupletum, inopum funera: nulla tũ erat hora diei, noctíſve lugubri gemitu vacua, multi pueri, plerique doctores, nonnulli etiam gymnaſiarchi (ne domeſticos luctus ſileã) in gymnaſiis ſuis miſerabiliter extincti, pulſi ſunt é cathedris, metu tanti mali, profeſſores Regii, fugatique ſunt é ſcholis, unà cum diſcipulis, magiſtri, bonæ artes omnes ac literæ uno illo miſerabili calamitoſoque tempore, Lutetię conticuerunt, muſæque ipſæ intermortuæ, peneque deploratæ jacuerunt: ut non modó veteris academiæ ſpecies nulla cerneretur, ſed in ea omnia tenebris, & caligine cujuſdam profundæ noctis ſepulta viderentur. O miſeram humanarum rerum legem, atque conditionẽ, in qua ſint omnia tam fluxa, tam caduca, tam ad omnes mutationes volubilia! Atque hæc incommoda publicé percepta: quibus tametſi viri boni eſt moveri vehementius quàm ſuis, ſentiuntur tamen illi morſus acriores, cùm ad nos propius pertingunt:

fingunt:unius enim hominis in hac publica peſtilentiæ clade, interim dum abfuimus, amiſſi memoria recordatioque meum pectus effodit. Joannem Bomontium doctorem medicum ſignifico, cujus ſine lachrymis meminiſſe vix ullo modo poſſum. Quoties enim de viro illo cogitabo, toties me de optimo, doctiſſimo, noſtriq; amantiſſimo meminiſſe neceſſe eſt:tu enim Bomonti(animum, ut ſpero, periculis omnibus defunctum, & infortunatis cœlorum inſulis beatum alloquor) animo ſingulari difficillimis noſtris temporibus affuiſti, ardentes illos & volaticos impetus, qui erāt in nos Ariſtotelicis animadverſionibus concitati, quantum æquitate, doctrina, virtute perfici potuit, ſuſtinuiſti. O virum multo longiore vita (ſi ſuperis ita viſum eſſet) digniſſimū: faxit ille Deus qui te nobis eripuit,ut quę tibi vivo,ſicuti cęteris amicis, debita officia libentius tribuiſſem, mortuo cumulatiora uberioraque,gratiis omnium generum & agendis,& referendis me præſtitiſſe aliquando veré gaudeam. Sed á lachrymis temperemus, quarū vim fortaſſé ſatis multam ſuperque malis aliis profudimus, Ad nos revertamur, & reliquas inſtituti noſtri difficultates obeamus. Temeritatis ſummæ eſſe videbitur, literarum ludum aperire in tanta diſcentium paucitate, non quantam celeberrimus conſpectus hic veſter indicat,ſed quantam in omnibus academiæ regionibus ſolitudo declarat: tamen hæc majora multó,gravioraque ſunt, qui liber omni cura publica,privatuſque vixerit,ſubito ad ſumma reip. gubernacula pervolare providendum,vigilandum,laborādum, non ſolum ut curæ,

fideique tuæ commissa juventus in omni officio & sanæ disciplinæ,& veræ religionis contineatur:sed etiam ut consortes illi, sociique muneris tui doctores, & magistri (quos optaveris) studiosé, diligenterque partes suas agant docendo, monendo, exercendo modesté alios,& leniter hortãdo, alios severé ac duriter objurgando, omnes ad virtutis amorem studiumque deducendo. Quantum veró ab eo expectari arbitramur, qui principes in omni actu, tot, tantarumque rerum partes acceperit? theatrum sibi propositum existimet oportet, celebritate refertissimum, magnitudine amplissimum, judicio eruditissimum, natura ita resonans, ut significationes usquequaque, voceſque de vitiis potius quám de virtutibus referantur, diligentia, plena simultatum est, negligentia, vituperationum, severitas molesta, indulgentia periculosa, sermo odiosus, assentatio pernicioſa, frons omnium familiaris, sed multarum simulationum velis occulta. Ac mihi uni, præ cæteris mortalibus, locum hũc obtinenti proposita hæc omnia videri debent. Etenim si in mediocri statu prædicationis & famæ, nostræ res essent, nil á me eximium, nil præstans, nil præter aliorum consuetudinem excellens postulari judicarem: nunc veró propter Aristotelicæ contentionis, in qua jactati sumus, existimationẽ, nisi infinitam quandam diligentiam, cautionemque in ista provincia adhibeamus, vix videamur summam vituperationem posse vitare, ea nostra conditio est, ut omnes boni, qui consilium voluntatemque nostram cognoverint, cúm faveant, tum etiam omnem á nobis operam diligentiamque expectent:

expectent: pletique autem malevoli, vel minima offensione ad calumniandum contenti esse videãtur. Quid igitur (dicet eorum aliquis) cúm penè sepultam academiam videas, domumque tuam imprimis desertam ac vacuam, an te Deucalionem esse putas, qui jactis vocibus, ut ille quondam lapidibus, novum aliquem populum derepente procrees? minimé verò: neque enim tam sum expers humanitatis, ignarusque vitæ, ut antiquis illis poëtarum miraculis nullas, aut certe perexiguas ingenii nostri vires comparem. Sed me tamen valde recreat ac reficit summorum, doctorumque virorum consolatio, qui publicis privatisque studiis jam totam academiam, quanvis jacentem, egregia virtute excitare graviſſimaque illius vulnera omni ratione curare sanareque cœperunt: ad quorum famam dispersa per universam Galliam juventus, ad intermissa studia quotidie revertitur, in castra rediit imperator, vagus & dissipatus miles, ait, jam signa tubæque cecinerunt, ad vexillum accurrendum properandumque est: ita navus industriusq; discipulus, magister in scholam rediit, vocem docentis audire mihi videor, perfice pater, obsecro, ne majorem temporis jacturam faciam. Hæc bonorum adolescentium desideria esse credo, restituetur academia (mihi credite) propediem, & ornamenta pristina recuperabit, ac cúm cæteræ omnes scholæ refertæ magno auditorum numero, plenæque fuerint, tum fortassis ex illis superfluentibus fontibus aliquid in nostros hortulos redundabit. Itaque non eum me tam superbé tamque arroganter esse profiteor, qui perditam academiã

divina aliqua ratione in priſtinũ ſtatum reſtituere poſſim, ſed qui ad recipiendam dignitatem academiæ principes imitari, & recepta cum cæteris lætari, atque exultare cupiam. At temere tantam provinciam ſuſcipis, nulla per ætatem experientia temporum eruditus, nulla publica regendæ reip. ſcientia inſtructus, cúm in ea tamen ſummam prudentiam neceſſariam eſſe fateare. Enimvero ſi tanta virtus in nobis eſſet, tamen de me nunquam dicerem, notamque levitatis & arrogãtiæ pertimeſcerem, neque tamen ſi Catonem iſta judicii laude non vincerem, propterea deſperarem: magna ſiquidem ſpes me tenet, neminem tam iniquum judicem futurum, qui me non juſta ratione facere exiſtimet quod facio. Etenim ſi navem aliquam regendam pater ipſe gubernator optimus, filio quanvis non peritiſſimo maris periculorum, tempeſtatum traderet, affirmaretque ſe locis omnibus conſilio affuturum, inertiæ atque ignaviæ ſummũ crimen arbitrarer, patris hoc imperium non alacri animo ſuſcipere, atque exequi. Atqui patris illius ſapientia ac virtute jam licet híc fruamur: intus, intus eſt ille pater, non re minus quám nomine ſapiens, qui in hac regenda navi, ut quondam ſedebat in puppi: &, ut poëta noſter ait, Clavumque affixus & hærens Nuſquam amittebat, oculoſque ſub aſtra tenebat. Ita hoc tempore & fallaces auſtros regere, & omnes cœli varietates moderari paratus eſt. Cui ad hujus gymnaſii, tanquam navigii gubernationem adhortanti, cúm dicerem, me gravitate, magnitudinéque negocii deterreri, perhumaniter ac peramanter aiebat, macte animi

virtute

virtute esto, atque hunc timorem omitte. Equidē tuam industriā, propter ingenii tui indolem, nulla provincia inferiorem judicare audeo, nonnulla tamen in re forsitan conformare tuos egregios forteſque conatus, & leniter inflectendo certius dirigere possum: alios enim vidi ventos, alias procellas pertuli, alias tempestates animo prospexi, quare agē, confide, & inchoatæ virtutis iter, quod tibi virtus ostendit, constanter ingredere. His amantissimis paternisque vocibus AUD. ita me fateor incensum, atque inflammatū fuisse, ut omnes molestias hoc uno ad meas actiones, adjuncto consiliario, jucundissimas fore mihi persuaserim. Quamobrem hac animi alacritate concepta, cúm magna spes sit brevi tempore academiam talem fore, qualem omnes optamus, magnaque sit auxilii nobis propositi confidentia, nil á nobis arbitror expectari, nisi in omni genere exercitationis ac doctrinæ diligentiam, laborē, assiduitatem, vigilantiam: quæ omnia, quoniam non tam magnæ potestatis quám bonæ voluntatis esse intelligo, crastino die aggrediar majore animi ardore ad explicandum Scipionis somnium, ut hoc brevi facto initio & nos excitati, & vos comparati ad legitimam deinceps institutionē perfectamque veniamus.

CAROLO LOTHARINGO, RHEMORVM ARCHIepiſco, Mecœnati ſuo, Petrus Ramus. S.

AD *quartum idus Octobris, quanvis nihil nobis otioſius eſſe poteſt, Ariſtotelis tamen* τὸ δεῖπνον ἕτερον *inire cœpimus: vtrum? inquies,* δειλινὸν *inquam, quod eſſet aptius homini deſidioſo, & dum (ut ait ille)*

-clarum mane feneſtras

Intrat dormitanti. ἑωθινὸν *ad Audomari Talæi fratris mei matutinas vigilias dimiſi. Quod utrunque ſpatium (quanvis ipſe minimé facio) populo tamen noſtro conficiendum ſuaſi, & ſané (niſi quid improbé refractariolus fuerit) perſuaſi. Mitto ad te oratiunculam, non ut eam legas (quid enim habent hæ nugæ lectione tua dignum?) ſed ut ſi quis inertem aut neſcio quid eſſe me apud te criminetur, quanvis ego ſim, ne tamen fateare: quin tanquam magnæ defenſionis inſtar, ad eum ſcilicet impediẽdum, tricas iſtas objice. Nunquam (mihi crede) tantum illi erit animi, ut res tam inſulſas perlegat, atque ita, ſi moleſtus eſſe deſinet, mirificé liber ero. Vale præſulum humaniſſime.*

PETRI

PETRI RAMI ORATIO DE STUDIIS PHILOSOphiæ & eloquentiæ conjungendis, Lutetiæ habita anno 1546.

TSI non ignoro, AUD. me novi nihil hoc tempore vobis audientibus esse dicturum, propterea quod divisas, communis mihi cum Audomaro Talæo fratre meo professionis, partes ejus oratione cognovistis, ut ille matutinis horis philosophiam, nos pomeridianis eloquentiam profiteremur: tamen in hac novæ auditionis nova forma, proponenda mihi videtur esse ratio majoris & clarioris argumenti, quoniam quæ justissima mihi caussa visa est ad cohortandum, eadem vobis amplissima videri debet ad agendum. Nam me cúm mediocris literarum cognitio, tum meæ vitæ perpetua consuetudo, ad hanc caussam suscipiendam adhortata est. At veró ut id studiosissimé facerem, publicorum studiorum amor, doctoris officium, ipsæ denique literæ, unà mihi vobiscum ad humanitatem propositæ coëgerũt. Non enim id nunc agimus ut odiosa barbaries, inanes argutiæ, vanæ & inutiles nugæ, in scholas inducantur: sed ut optima juventutis erudiendæ doctrina, in omnibus gymnasiis suscipiatur. Quæ cum ita sint, á vobis AUD. hanc veniam peto, ut me de vestris studiis dicentem benignè atque attentè, sicuti fa-

citis, audiatis. Repetam veró pauló altius instituti nostri originem, quó facilius omnes, id quod volumus & probamus, intelligant. Fuit igitur AUD. apud veteres ea docendæ juventutis ratio, ut philosophiæ studiis, eloquētiæ studia conjungerentur, earumque disciplinarum præcepta disjuncté, usus conjuncté traderetur. Siquidem vetus illa (ait Crassus) doctrina eadem fuit & rectè faciendi & bene dicendi magistra: neque disjuncti doctores, sed idem erant vivendi præceptores atque dicendi, ut ille apud Homerum Phœnix, qui se á Peleo patre Achilli juveni comitem esse datum dicit ad bellum, ut illū efficeret oratorem verborum, actoremque rerum. Atque hinc secuti sophistæ, Gorgias, Trasymachus, Protagoras magna universæ Græciæ fama, se, & sapientiæ & eloquentiæ magistros esse profitebantur. Quorum gloria motus Aristoteles, intelligendi prudētiam cúm dicendi copia conjunxit: & cúm antea matutinis ambulationibus philosophiam solam doceret, pomeridianis etiam rhetoricam docere cœpit, in eoque adolescētes non ad reliquorum philosophorum morem, tenuiter & aridé differendi, sed ad rhetorum copiam in utranque partem ut ornatius & uberius dici posset, exercuit. Philosophos deinde graves oratores sunt imitati, qui tametsi se totos ad eloquentiæ laudem compararēt, philosophiam tamen á rhetoricis exercitationibus nunquam separabant. Hinc gloriatus est Cicero se oratorem non ex rhetorum officinis, sed ex Academiæ spatiis extitisse: idémque Periclem, quód Anaxagoræ, & Demosthenem, quód Platonis

tonis auditores fuiſſent, tantum reliquis, ait, oratoribus præſtitiſſe. Neque veró philoſophi & oratores ſolum veterem illam diſciplinam coluerunt, ſed noſtri quoque reges eam nobis colendam tradiderunt. Quæ enim Athenis Academia primúm fuerat, ea Romam deinde, poſtremó Roma Lutetiam commigravit, ſed gymnaſiorum (quæ multis poſtea temporibus ædificari cœpta ſunt) moribus, neſcio quo modo, elanguit, ac jam prorſus interiit. Noſtra veró ætate Frãciſci Valeſii (quem honoris cauſſa libenter, ut debeo, nomino) regis cúm virtutum omnium, tum ſapientiæ imprimis amantiſſimi, liberalitate recreari & excitari cœpit. Omnis enim ſapientiæ, omniumque ingenuarum literarum doctores, honeſtiſſimis ſtipendiis ornatos in Academia Pariſienſi conſtituit, eoſque nobis ejuſdem diei diſtinctis horis auſcultandos & audiendos propoſuit. Hæc eſt AUD. (de qua dicere propoſui) philoſophiæ & rhetoricæ conjunctio á primis pené hominibus inſtituta, á ſophiſtis & philoſophis accepta, retenta ab oratoribus, á noſtris regibus in hac urbe fundata: quam ſi veriſſimis rationibus ſuſcipiendam eſſe intelligemus, mores (ut ſpero) noſtros melioribus inſtitutis, modeſto & æquo (ut par eſt) animo vinci patiemur. Quapropter ut tota res facilius æſtimetur, primum mihi videtur de utilitate hujus inſtitutionis, deinde de voluptate, tum de dignitate eſſe dicendum. Utilitas autem ejuſmodi eſt, quæ maximé noſtros animos incendere atque inflammare debeat, in qua & diſcentium & docentium maxima & certiſſima bona aguntur. Nam (ut de cõ-

modis audientium primúm dicam) ſi philoſophici ſtudii tempora tribus annis ac ſex menſibus (tot enim legibus noſtris definita ſunt) ita dividantur, ut aliis horis philoſophia, aliis eloquentia doceatur, fructus ſtudiorum multis partibus augeri, & labores eorum maximé minui celerrimé ſentiemus. Etenim ut á grammaticis puer informatus, cúm ad rhetoras acceſſerit, præteritas grammaticæ vigilias non deſpicit, verúm ſermonis elegantiam majorem, tum propoſitos authores imitando, tum plurimum & aſſidué ſcribendo & dicendo ſibi comparat: ſic idem troporum & figurarum ornamẽtis á rhetoribus ornatus, cúm ad dialecticos tranſibit, rhetorica ille ornamenta non contemnet, ſed dialecticorum conjuncta prudentia, legendis poëtis, cognoſcenda hiſtoria, oratoribus audiendis, bonarum artium ſcriptoribus pervolutandis, & exercitationis gratia laudandis, interpretandis, corrigendis, vituperandis, refellẽdis, in contrarias partes diſputandis, omnibus omnium ſcriptionum, meditationum, declamationum modis amplificabit. Nunc verò puer iſte quid agit? multos annos in grammaticis & rhetoricis retinetur, dum aliquid in eo maturum & perfectum videatur, id laudo: tum abjecta omni puré & proprié loquendi cura, damnata ſtili & orationis priſtina diligentia, multis minis, plerunque etiam virgis, lectione poëtarum & oratorum interdicta, in altercationes & clamores ſcholæ conjicitur, ut tandem grammaticæ & rhetoricæ ſtudiis longa oblivione deletis, pro puro & nitido ſermone, barbariſmos & ſolœciſmos face-

facere, pro ſuavi & ornata oratione, ſpinoſum aliquod & jejunum ſophiſma latrare conſueſcat. At conjunctis (ut dixi) toto triennii tempore ſtudiis, ſi epiſtolam antea facere, elegiam condere, rem propoſitam ornaté pronũciare didicerit, non modó hæc eadem decurrendis philoſophici curriculi ſtadiis retinebit, ſed ampliora multo ac uberiora præſtabit. Hæc utilitas magna quidem per ſe nobis videri debet AUD. quod conſequentibus ſtudiis, antecedentium nulli fructus amittantur, ſed omnes augeantur: eſt tamen eo major exiſtimanda, quód inſignem quandam doctrinarum lucem conjunctam ſecum habeat: nam cúm iſto modo artium fructum exquiremus, ſi quid erit ab earum doctoribus inepté & imprudenter conturbatum, omnis ejuſmodi error facilé deprehendetur, ac tolletur. Uſus enim conjunctus demonſtrabit quid vtile, quid ſolidum, quid verum ſit in præceptis: conrrá, ſi quid erit inutile, vanũ, falſum, idem uſus manifeſté declarabit. Ita fiet ut quemadmodum in hortorum arboribus, ſic in artium inſtitutionibus alias conſervemus, quia fructum ferant, alias amputemus, quia fructum non ferant. Quid? quód eadem ratione tempora ſtudiorum, laboreſque mirificé minuuntur? Certos gradus in diſciplinis explicandis, ita diſtinctos temporibus habemus, ut primo tempore grammatica, ſecundo rhetorica, tertio philoſophia perdiſcatur. Sit igitur puer decimo aut duodecimo ætatis anno á grammaticis ſic eruditus, ut latiné loqui, ut verſiculos fingere, ut ſermonem familiarem in epiſtola exarare non inepté poſſit, is

Academiæ noſtræ moribus, in rhetoricis annos duos, ſæpe etiam plures exercetur, hoc ſecundum tempus eſt: tum demum decimo & quinto circiter anno, tertio quippe tempore, ad philoſophos ſuperioribus ſtudiis omnibus omiſſis, (ut cognita prius videlicet obliviſcatur ac dediſcat) deduci ſolet. Verum partitis, ut dixi, philoſophiæ perdiſcendæ temporibus, ut pars altera manſuetioribus literis impendatur, intermedio illo tempore, quo rhetoribus diſcipulus iſte traditur, eodem philoſophis opportuné & commodé committetur. Ita cúm uno & eodem tempore, & intelligendi & ornandi præceptis inſtituetur, nullum præteritum tempus amittet, ſed intermedio poſtremum antevertet, & juvenis admodum eó perveniet, quó vix ſenex, ac ne vix quidem unquā fortaſſe perveniſſet. Quod equidem AUD. vehemẽter animadvertendum eſſe nobis arbitror: laborarunt enim ſuperioribus annis Academiæ noſtræ moderatores ac principes, ut de conſtituto illo ac dimenſo trium annorum, ſexque mẽſium curriculo, annus unus detraheretur, propter moleſtam laborum longinquitatem, qua juventus debilitari, & á philoſophia frequenter avocari dicebatur: decretæ ſunt publicis & conſiliis & pecuniis legationes, quæ id á Chriſtianiſſimo rege impetrarent. Quā voluntatem, ſi publicæ non privatæ rei cauſſa inducta eſt, equidem laudare debeo. Sed per Deum immortalem, quid ab optimo, & longé poſt creatos reges humaniſſimo rege poſtulamus, quod non ejus erga nos pietate prius aſſecuti ſimus, quàm optare potuerimus? Noverat enim antiquum

quum illum (de quo initio dixi) juventutis informandæ morem, quem cum ſumma non ſolúm gloria ſua, ſed etiam fœlicitate noſtra revocavit, prudentiſſimo ſimul exemplo, quem admodum juventutem in gymnaſiis erudiremus, quáque ratione graves, de quibus conquerimur, laborum moleſtias evitaremus, admonuit: & ad ſublevandum diuturnitatis tædium, non unum de tribus annum, quod noſtris legationibus petebatur, ſed totum triennium, ſi veré de divinis ejus erga nos meritis æſtimare volumus, condonavit. Principis igitur noſtri tam ſingulare conſilium de literis cum ſapiẽtia copulandis intueamur, admiremur, imitemur: & compendia temporum tam vehementer optata, tanto præſertim duce commonſtrata ingrediamur. O popularem vereque regiã ſapientiam, ó regem non ſolúm Francorum regno, ſed omnium gentium imperio digniſſimũ.

Dii tibi- (*Regius enim gratus te regẽ lubet affari*)
-ſi qua pios reſpectant numina, ſi quid
Uſquam juſtitiæ eſt, & mens ſibi conſcia recti,
Præmia digna ferant: quæ te tam læta tulerunt
Scæula? qui tanti talem genuere parentes?
In freta dum fluvii current, dum montibus umbræ
Luſtrabunt, convexa polus dum ſydera paſcet,
Semper honos, nomẽque tuum, laudeſque manebũt.

At fortaſſe dicet aliquis, iſta quidem orationis & cognitionis conjunctione, præclaré & ſtudiis & artibus & temporibus conſulitur, at nobis nihil conſulitur. Si quis igitur ejuſmodi (qualem eſſe neminem exiſtimo) tam abiectus ac ſordidus erit, qui nullam utilitatem æſtimet, niſi quæ marſupio

& crumena concludatur, excitet ipſe ſe & quæ dicá attentus audiat. Quid igitur? in quo utilitatis & emoluméti ſpem reponemus? an cúm maximus in auditoriis noſtris audientium numerus fuerit? At, bone Deus, quid tam idoneũ, tam opportunum, ad ſcholas omnes cõplendum, fingi vel excogitari potuit? tanta, mihi credite, regia illa conſuetudine in ſcholas admiſſa, cognoſcendi & audiendi cupiditas exorietur, ut non modó gymnaſia, ſed ne Academia quidem tam multis tamque crebris ædificiis multitudinem capere poſſe videatur. Nullus erit vir ingenuus ac nobilis, nullus ſenator, nullus mercator, nullus agricola, nullus cujuſquam fortunæ, qui non cupiat liberos ſuos iſto modo inſtitui: nemo tam parcus, tam tenax, tam avarus pater erit, qui non percupidé cujuſvis mercedis pretio, tam pretioſum doctrinæ patrimonium liberis ſuis relinquat. Quamobrem videte num talem inſtitutionẽ amplecti ac omni ſtudio fovere debeamus, ex qua maximus juventuti fructus, maxima diſciplinis illuſtratio, maximum temporibus ſolatium, maxima præceptoribus emolumenta comparantur. At quoniam de utilitate dixi, nunc de voluptate pauca dicam: poteſt enim ſic exiſtimari, hanc inſtitutionem eſſe tam vtilem, ut optanda ſit: ſic eſſe difficilẽ, ut pertimeſcenda ſit. Utinam AUD. perinde verbis explicare poſſim, quod ſententiam neminem profectó tam durum tamque agreſtem eſſe arbitror, quem voluptatis futuræ cogitatio & commemoratio non ſumma voluptate afficiat. Quid enim eſt, in quo exultare animus, lætitia efferri, triumphare denique ſoleamus? Nẽpe cum

iis

iis rebus quas amavimus, quas optavimus, perfruimur. Discipuli nostri é longinquis plærunque terris ad nos deducũtur, quo porró desiderio incensi? quo amore inflammati? doctrinæ. Quanto igitur in omni doctrina majores progressiones fecerint, tanto pleniores voluptates percipient. Atque ut antea molestissimis spinis debilitati, inanibus clamoribus fracti, perpetua rerum obscuritate deterriti, amorem philosophiæ deponebant: ita nunc suavissimis rebus illecti, liberalibus exercitationibus confirmati, clarissima luce invitati, cum omnibus modis se & doctiores & disertiores quotidie fieri sentiant, incredibili voluntate omnes vigilias tolerabunt, non sibi negotium exhiberi, sed otiũ condonari: non laborem imperari, sed delectationem comparari judicabunt. Neque veró magistri in tanta discipulorum lætitia lugebunt, sed ut boni agricolæ cúm segetes quas ipsi severint, lætas ac luxuriantes aspiciunt, magno gaudio affecti superis gratias agunt: sic liberalis animi præceptores immortaliter uberrimo ingeniorum, sua diligentia velut excultorum & satorum proventu, gaudebunt. Et qui prius duobus aut tribus discipulis, velut in nido pullis excludendis, frigescebant, ii cúm se frequentis & celebris auditorii doctores, & quidem cúm fortuna (quam discentium liberalitas adferet) tum sapientia (quam syncerior usus efficiet) pulchros & beatos intelligent, quibus modis gestient? antea de dialecticæ duris admodũ & jucundis præceptiunculis sese obtundebant, nunc ejus amœnissimum in omnibus dictis & factis maximis & minimis usum intelligent. Lege-

bant antea pictos hominum mores in philoſophorum libris, quid eſſet fortitudo, quid temeritas, quid liberalitas, quid effuſio: nunc in poëtis, in oratoribus, in hiſtoricis, eoſdem mores, ſed veris & vivis exemplis impreſſos perſpicient. Antea quid eſſent venti, quid pluviæ, quid tempeſtates, quæ cauſſæ rerum & ortus, & interitus efficerent, inquirebant: nunc eorum generum efficientiam in Virgilio, in Homero, in reliquis bonis authoribus', ſuavitate magna recognoſcent. Quinetiam cum philoſophia de vita & moribus, Horatii licebit, & Ciceronis morales libros conjungant: cum phyſicis Lucretium, & multis in locis Ovidium & Virgilium: nec in ulla philoſophiæ parte oblectandi otii materies unquam diligentibus & attentis doctoribus deeſſe poterit. Immortales, ita me Deus amet, eſſe cupient, ut iſta conditione perpetuó doceant. Tertius & ultimus locus reſtat de dignitate, ſatis enim multa verba mihi feciſſe videor, quam ob rem eſſet hęc inſtitutio variis cõmodis neceſſaria, & multis oblectationibus perjucunda: nunc quis honor, quæ gloria poſſit hinc expectari, dicendum eſt. Magnum opus & arduũ AUD. & multorum invidiæ, calumniiſque objectum, ſed ingredientibus, aliud ſtatuendum fuit, quod ſequeremur: nunc quidem jam quocunque feremur, danda nimirum vela ſunt. At quoniam res ejuſmodi eſt, quæ non facilé verbis explicari poſſit, veterem aliquem hujus Academiæ doctorem cẽtum abhinc annos vita fructum cogitatione, ſi placet (quoniam mentes noſtræ liberæ ſunt, & ea quæ volũt, intuentur) excitemus. Quid ille? ſi tem-

si temporum suorum memoriam cum his temporibus comparabit, non quæ futura esse prædico, sed quæ jam in Gallia, Italia, Britannia, cunjunctis cum rerum scientia literis efflorueruñt, nónne stupefactus & attonitus hærebit? Neminem nisi barbaré & inepté loquentem audierat: audiet omnis ætatis innumerabiles latiné & ornaté scribentes & dicentes: de Græcis literis vulgatum illud frequenter audierat, Græcum est, non legitur: audiet non qui Græcé legant expeditissimé, quoties opus erit, sed qui totam eam linguam summa cum laude explicent. Quid reliquarum artium præteritas tenebras cum præsenti luce ac splendore conferam? Audierat in grammaticis, poëtis, oratoribus, Alexãdros de villa Dei, Facetos, Græcismos: in philosophia, Scotos & Hispanos: in medicina, Arabas: in theologia, nescio unde ortos: audiet Terentium, Cæsarem, Virgilium, Ciceronem, Aristotelem, Platonem, Galenum, Hippocratem, Mosem & Prophetas, Apostolos, ac reliquos Evangelii veros germanosque nuntios, & quidem omnibus linguis loquentes. Quæ non aliter admirabitur, quám si de mediis terræ visceribus nuper exortus, solem, lunam, ac reliqua sydera sublatis in cælum oculis, derepente suspiceret. Sentio AUD. ficta cogitatione vos esse commotos, quia veteris disciplinæ reviviscentis adumbratos duntaxat honores attigimus: quid si veri cernerentur? quantos amores, quantas admirationes excitarent sui? nam quicquid est adhuc effectum, id tãtum est, ut illi magnifici & illustres literarum principes ex monumentis suis agnosce-

rentur, ut eorum virtutes legerentur, & amarentur. At neminem adhuc illorũ ſimilem videmus: quam ob rem? an Deus ille parens ingeniorum & artifex, excellentibus ingeniis procreandis defatigatus eſt? ego verò id exiſtimare magnæ impietatis ſcelus eſſe duco. Quid ergo? inſtitutio & educatio legitima nobis deeſt, ſit idem ingeniorum cultus, qui quondam fuerat, non ſimiles antiquis flores nos viſuros ſperemus, ſed pares fructus conſecuturos confidamus. Exiſtent alii in grãmaticis Ariſtarchi, ac Varrones, alii in poëtis Homeri, ac Marones, alii in oratoribus Craſſi & Cicerones, alii in philoſophis Theophraſti & Platones, alii in medicis (qui jam propemodum ſunt) Aeſculapii & Apollines, in theologis Baſilii, Chryſoſtomi, Cypriani, Hieronymi, alii denique in omnibus humanitatis ac doctrinæ partibus excellentes viri ac præſtantes, quorum opera ac virtute juventutem informari, Rempub. gubernari, hominum ſalutem retineri, veram religionem demonſtrari, non ſolùm eſt omnibus votis optandum, ſed omnium gentium linguis prædicabile & gloriandum. O florentem Academiam Pariſienſem, ſi tam inſignia dignitatis ornamenta conſequatur. Conſequetur autem, ſi cúm philoſophiæ ſtudiis eloquentiam conjũnxerit. Una enim hæc conjũnctio ſummos omnes & oratores, & philoſophos, & medicos, & theologos dedit: contraria verò diſjunctio, omnes literarum peſtes peperit & aluit. Quamobrem AUD. cum talis inſtitutio bonorum omnium generibus, eximia commoditate, ſingulari voluptate, admira-

admirabili dignitate prædita sit : cumque sit ab heroïcis jam olim temporibus constituta, á sophistis, philosophis, oratoribus, celebrata, á nostris regibus in hanc Academiam maximis dotibus & olim evocata, & nunc demum revocata : ne tam immanes tamque impié erga nosmetipsos ingratissimus, ut tam cæleste, tamque divinum bonum nobis diutius invideamus: sed potius á Deo Opt. Max. communibus animis precemur, ut reges, ut regum familiares, ut omnium Rerum publicarum, ac nostræ imprimis, principes ad hanc generis humani fœlicitatem tuendum & amplificandum, quotidie magis ac magis velit incitare.

PETRI RAMI, PRO PHILOSOPHICA PARISIENSIS academiæ disciplina, Oratio.

LECTORI. S.

AD decimum quintum Calend. Martii, cùm provocationis (in qua delitescere cogitabam) diem accusator antevertisset, & ad decimum tertium denuntiasset, coactus sum, quasi Annibal esset ad portas, aut de Pyrrhi pace ageretur, ut ait Tullius in re licet majore, tamen non absi-

mili, ſubitó in Senatum venire. Collegi itaque pro tam brevi tempore, quæ ſua ſponte mihi de Academiæ legibus, de noſtræ diſciplinæ rationibus, é pleriſque voluminibus noſtris de hac contentione divulgatis, occurrerunt. Ergo quaſi res ageretur in foro, præſentis criminationis invidiá ſuccinctè narravi, cauſſæ partes diſtinxi, privatam de diſcipulis legitimè magis & juſtè, quam magnificé defendi, publicam de diſciplina copioſius explicavi: definita eſt facultas artium, de quibus agitur: argumentis contrariis reſponſum eſt: firmamenta propugnationis ex legis authoritate, comoditate rei & facilitate collocata. Neque pro doctrina tantúm, ſed pro doctoribus & ſchola diſputatum. Quid quæris? in dimicatione tam ſubita, tamque repentina, ſi nulla ars pro brevitate temporis adfuit, arma certè ad pugnandum & tela deeſſe non debuerunt. Tanta eſt enim cauſſæ non ſolúm veriſſimæ & ſanctiſſimæ, ſed nobiliſſimæ & ampliſſimæ ubertas & copia, ut ſi ſæpius decertandum ſit, recentia tamen & integra nobis argumenta facilè ſuppeditent. Vale. Lutetiæ Pariſiorum, in Prælectorum gymnaſio, decimo tertio Calend. Martii 1550. ante Paſcha.

PETRI RAMI, PRO PHILOSOPHICA PARISIENsis Academiæ disciplina, Oratio.

SI QUIS vestrum forté miretur, Judices, caussula nescio qua, vos occupari, rem anté percipiat, & penitus intelligat, admirari postea desinet, & aliud fortasse judicabit. Etenim sic existimare debetis, Judices, post hominũ nostrorum memoriã, imó veró post cõditam Parisiensem Academiam, nullam Academię caussam de philosophia & literis majorem, magis ab omnibus vobis providendam, neque propositam, neq; agitatam, neque ad arbitrium judiciumque vestrũ delatam fuisse. Agitur enim nil aliud in nostra defensione, Judices, quám ut Academiæ leges serventur, ut optimis artibus, & optima ratione atque via, non agri civitatis hujus & fundi, sed vestri, sed omnium civitatum hominumque liberi excolantur: parvo labore, exiguo tempore, liberalium disciplinarum scientiam & fructum consequantur. Quæ cúm ita sint, á Deo Opt. Max. primúm quod quinque jam perpetuos annos, dies noctesque deprecatus sum, postremúm in hac summa dimicatione deprecor, ut menti meæ publicam caussam procuranti & agenti, veritatis & utilitatis publicæ lumen præferat, ut rem tantam tamque gravem, diligẽter, accuraté, fideliter explicare, & ante oculos vestros collocare, & penitus, quanta est, tantam exprimere valeam: deinde vos, Judices, ob-

teſtor & obſecro, quoniam uno tempore, & meæ contentionis exitus, & diſciplinę publicæ ſalus, veſtris judiciis permittitur, adhibeatis in tantæ cauſſæ auditione & cognitione diligentiam & ſapientiam, in diſceptatione & judicatione æquitatem & juſtitiam, quám muneris officiique veſtri gravitas & religio requirit. Summam itaque rei, ſicut acta & publicæ authoritatis fide teſtata eſt, dum breviter exponã, quæſo diligenter attendite. Cúm quatuordecim abhinc annis philoſophiæ ſtudiis ac Dialecticæ imprimis me totum magna animi alacritate dedidiſſem, ut ejus artis uſum, veterum & philoſophorum & oratorum exercitationibus tãtopere celebratum, noſtris ſcholis reſtituerem, in illo animi ardore, malum quendam Genium Academię Pariſienſi, & publicis ejus commodis Deus quinto abhinc anno oppoſuit, á quo voluntas & cupiditas noſtra tam vehementer ad Academiam illuſtrandam inflammata, mille modis turbaretur & vexaretur, & ſi permiſſum eſſet, extingueretur. Vexationis illius calamitates non repeto, ſed Deo Opt. Max. ſummas gratias habeo, quód illi malo Academiæ Genio, bonum in rebus univerſis Genium, & contrarium ad me ſuſtentandum, ſublevandum, miſeriiſque illis omnibus liberandum, dederit. Ergo quarto abhinc anno ad inſtitutum philoſophiæ laborem redii, omniaque deinde cõſequuta tempora, in illo ſtudio poſui, & poëtis, oratoribus, philoſophis, omniſque generis authoribus & ſcriptoribus publicé declarandis & explicandis, uſum Dialecticæ quantumcunque acerrimis ac perpetuis vigiliis aſſequi potui, tantúm do-

cui & demonſtravi, Interim malus ille Genius, vel turbandis rebus aliis impeditus, vel nondum ſatis idoneum noſtri vexandi inſtrumentum nactus, quietos nos eſſe ſinit. Quarto tandem hoc anno, publicæ authoritatis quendam pugiunculum neſcio quibus ſuis artibus adeptus, furere in nos rurſus incipit. Adoleſcentulum audacem, magnæ dignitatis inſignibus & viribus elatum & ſuperbũ, libidinis ſuæ famulum & miniſtrum reperit, per quem nos confictis & commentitiis criminibus accuſat, quód in philoſophico ſtudio non philoſophos, ſed contra leges Academiæ pro philoſophis poëtas doceamus. Primúm huic accuſatori, alienæ libidinis miniſtro ſupplicavimus, quia nobis vehementer ſuſpectus eſſet, ne, dum cauſſa noſtra diſceptaretur, ſententiam de nobis diceret, neve idem noſtrę cauſſæ & accuſator & diſceptator eſſe vellet: reliquis deinde cæterorum ordinum hominibus hæc crimina ficta & falſa eſſe reſpondemus, legeſque Academiæ á nobis obſervari confirmamus, rogamuſque ut gymnaſium noſtrum per probos & doctos homines inviſatur, & de noſtra diſciplina quæratur, ut falſo crimine nos accuſatos eſſe conſtaret, & ſi quid á nobis humanitús offenſum eſſet, ut nobis non modó non repugnantibus ſed optantibus emendaretur. Hoc die nil amplius actum eſt. Poſtridie malus ille Genius perjudicem illum miniſtrum ſuum, & certos homines ex eodem ſinu appoſitos, diſcipulos noſtros nulla diſquiſitione prius habita, indicta cauſſa, nullá judicii formâ, in ſuo & privato cubiculo condemnat: publicis & ſcholis & ſigillis & tabulis probibet, om-

nibus denique Academiæ muneribus & præmiis excludit & ejicit. Ab hac ſententia tam nova diſcipuli noſtri provocant. Res provocatione ex privato judicio in Julianenſe philoſophorum comitiũ deducitur. Illic duo capita deliberationis fuerunt, alterum de philoſophici curriculi tempore, alterũ de libris: de quo utroque nulla inter nos erat diſſenſio. Itaque (credo quód minor in ſacro loco nocendi vis malis Geniis ineſſet) una omnium philoſophorum voce, diſcipuli noſtri abſolvuntur, dummodó præceptor eorum jurejurando confirmaret, libros Academiæ legibus definitos á ſe prælectos eſſe: id jurejurando per eum confirmatur: ſed tamen pauló póſt contra Julianenſe decretum, novis machinis in eodem illo domeſtico & familiari accuſatoris & damnatoris noſtri cõciliabulo non diſcipuli, ut antea, ſed nos eorum magiſtri oppugnamur. Accuſator enim per fraudem & falſam relationem duobus publicæ deliberationis capitibus, de ſuo tertium addit, de forma legendi: noſq; hac ſuppoſititia relatione, quaſi legitimam legendi formam violaſſemus, triſti quodam ſupplicis traductionis genere dãnamur, ut in publicis ſcholis diſciplinam noſtram ipſi deteſtemur & abnegemus, in poſterumque jurejurando nil tale facturos eſſe confirmemus: ad diſcipulorum perfugium cõfugimus, & unà provocamus. Cauſſa igitur ad ſuperiores Academiæ ordines, ſecũda provocatione deducitur. Hîc cúm nos evitandi tumultus cauſſa abſentes ex ſcripto cauſſam dixiſſemus, & accuſator & accuſatoris miniſtri per illum Genium impulſi: quanvis noſtris duabus appellationibus

tionibus excluſi, tamen tertió judicant & condemnant. Medici non liquêre reſpondent: jureconſulti ſcholas aperiri jubent, nec quicquam tot appellationibus interpoſitis adhuc pendentibus innovandum cenſent: primó Theologi quidem accuſatori aſſentiuntur: deinde tamen ad conſilium delectorum judicum, qui amplius cognoſcant, remittunt. Accuſator igitur tam turbulentis tamq; implicatis hominum ſententiis elatus, tertiæ damnationis occaſionem arripit: á qua cúm ad delectos judices veniſſemus, priores appellationes ſequuti & diſcipuli & magiſtri, provocamus, & quartó ſupplicamus, ne accuſator, qui nos toties & accuſaſſet, & tam iracundé damnaſſet, & tot appellationibus noſtris rejectus, nullum ſibi in cauſſa noſtra judicii locum reliquiſſet, in poſterum de nobis judicaret. Quod cúm mihi & ipſe & ejus quidam emiſſarii denegarent, ad illud oppreſſorũ commune perfugium confugimus, á tanta violentia poſtremũ magiſtri diſcipulique provocamus. Habetis, Judices, quemadmodũ in iſto naufragio jactati, & quibus fluctibus pené obruti ſumus: una appellationum provocationumque tabula adhuc ſuſtentamur: atque, ut ſpero, ſi veſtra nobis æquitas aſpirabit, ad portum ſalvi & incolumes deducemur: Malus Academiæ Genius multis miniſtris abutitur, libidine, invidia, ignorantia, falſa fama, impudentia, auaritia: hîc libidinem & effræna-tam cupiditatem adhibuit. Attamen de tam multarum damnationum injuria, de tot appellationũ jure nil mihi diſſerendum putavi. Hæc vos, tacente me, ſatis ſuperque conſideraturos exiſtimavi, de

re ipsa atque caussa potiús & libentius disputabo. Pro discipulis nostris primúm respondebo, deinde nostræ disciplinæ rationes & firmamenta collocabo, eamque disciplinam, quam sequimur, Academiæ disciplinam esse demõstrabo. Philosophos, inquit accusator, in philosophico studio non docemus, poëtas pro philosophis exponimus. Hæc enim accusationis universæ summa est, propter quam nõ auditi, non defensi, omnibus Academiæ præmiis per accusatorem ipsum damnati, & tanquam igni & aqua, Academia tota interdicti sumus. Ergo adeste animis, qui corporibus adestis, & discipulorum ad vos profugorũ caussam cognoscite. Dãnati ab accusatore suo discipuli, & scholis ejecti sunt. Quid ita? Quia philosophos non audivisse, sed pro philosophis poëtas dicerentur. Verumenimveró, accusator acerbe & iracunde (te enim jam nunc alloquar, quoniam non ampliús in illa tua cæcæ libidinis & ignavæ cupiditatis famula, sed in Regia æquitatis & constantię domina curia versamur) ista valdé gravis & severa pœna est, á te magistro discipulis imposita. Etenim si qua fuisset in nobis erroris cujusdam humani culpa, comiter, & blandé per te corrigi potuit, imó veró etiam debuit. Sic enim summus ille nostrúm omnium magister Christus ad corrigendum & castigandum accedere voluit. Si peccaverit in te frater tuus, inquit, vade & corripe eum inter te & ipsum solum, &c. Sic (ô bone vir) quoniam judicis locum occuperaveras, nosque regendos susceperas, sic regere debuisti. Et quidem quó magis istam correctionis mansuetudinem mereremur, quoties accusati

cuſati abs te ſumus, toties eccleſiæ & authoritati publicæ nos noſtrámque diſciplinam & voce & ſcripto ſubjecimus, & oravimus, ut de nobis per honeſtos & doctos viros quæreretur: & ſi quid per imprudentiã offendiſſemus (homines etenim ſumus) erratorum Chriſtiane moneremur: nos, quæ honeſté & utiliter imperaſſes, prompté & ſine mora facturos eſſe prædiximus: imó veró (ſicuti tabulis publicis teſtatum habemus) diſcipulos noſtros interrogandos obtulimus, ut experiri liceret, quo ſtudio, quáve diligentia eſſent in philoſophia verſati, ut ſi neſcirent, ea quæ vel tam ſeverus magiſter requireret, Academiæ præmiis excluderentur: ſin de rebus omnibus tibi vel abundé ſatisfacerent, ne tantam injuriam ſine cauſſa ſubire cogerentur. Quid veró? ſi Chriſtianam forté legem vehemens iſta animi perturbatio ſcire te non ſinebat, Academiæ judiciariam legem, quum judex eſſe velles, ignorare non debebas, quæ vel perverſos & errantes magiſtros iſta clementiæ via caſtigari jubet. In hanc enim ſententiam Totavillæus noſter loquitur:

Magiſtrum artium improba fama laborantem,
Rector adhibitis quatuor nationum Procuratoribus admoneto.
Si pertinax in vitio fuerit, diſcipulis ſub eo magiſtro, magiſterii honorẽ nõ adepturos denũtiato.

Hæc Academiæ Pariſienſis judiciaria lex eſt ex Evangelicæ manſuetudinis judiciaria lege deducta. Has divinas humanaſque leges in judicando propoſitas, ante oculos habere debuiſti. At in

noſtra cauſſa, non verum Chriſti præceptum ſequeris, ſed illius mali Genii falſæ cupiditati obſequeris: non ex Academiæ lege, priuſquam judices, cauſſam cognoſcis, ſed ab executione judiciũ inſtituis: nos non mones, ſed accuſas: ſatisfacere cupientes non audis, ſed condemnas: á judicio tuo provocantes, ad majores judices ire non ſinis, ſed ad teipſum revocas, & quantum publica authoritate abuti potes, traducis, pœniſq; omnibus vexas. Habeo, Judices, domi meæ ſubjectos mihi variarum artium, Grãmaticæ, Rhetoricæ, Philoſophiæ doctores & magiſtros: ſi quis eorum forté in non curantiam quandam inciderit, non protinus clamores iſtos accuſatorios & tragicos excito: nec ad ſonitum tintinabuli in aulam publicam, animadverſionis & exempli cauſſa, deduco: ſed amicé & familiariter demonſtro quid erraverit, & admoneo ut præteritam negligentiam nova diligẽtia reſarciat. Sic á te, humane & Chriſtiane accuſator, quia ſummus noſter doctor & magiſter ſcilicet eras, tractari, & humaniter emẽdari corrigique debuimus. Si libri partem quandam á nobis negligentiús expoſitam ſenſeras, admoneres, paratos ad obſequendum nos habebas. Libros enim Ariſtotelis, imó etiam meliores (ſi Deus dederit) legimus & legere volumus. Hac de re cõſilium á magiſtratibus Academiæ & legibus perpetuó petivimus, & petemus: tantúm abeſt, ut quicquam repugnemus. Sed tu neſcio cui magiſtro tuo, malo Academiæ Genio, quám publico commodo ſervire, & te temerariũ accuſatorem, quám ſapientẽ judicem oſtendere maluiſti. Quá-

obrem,

obrem, Judices, si qua in nobis culpa, vel gravis extitisset, non tamen tam vehementer & iracundé agitari, sed benigné & comiter emendari & castigari debuit, quia Deus hanc correctionis formam, & Academiæ lex nobis imperat: quia nos voluntates nostras Academiæ subjectas semper obtulimus: quia discipulos nostros examini proposuimus. At ullam in hoc nostro facto culpam fuisse pernegamus: sed disciplinam nostram, Academiæ veram germanamque disciplinam esse cõtendimus: ideoque causſam nostram, ut Academiæ causſam, agimus. Quænam enim est, aut quæ tandem culpa, quam vehemens iste iracundusque delator in nobis arguit? Libros Aristotelis, inquit, non omnes completé, & ad verbum legistis, & hîc leges violastis: ô religiosum & sanctum accusatorem, qui leges Academiæ tam sancté, tam religiosé colat & observet! Quid veró, si ne ipse quidem Academiæ leges unquam legisti, sed eas non solúm cupidé, imó etiam temeré contra nos appellasti? Atqui hoc utrunque confirmo, tuamque & cupiditatem, & temeritatem, legum ipsarum testimonio convinco. Anno millesimo trecentesimo quinquagesimo quinto, lex de forma & modo philosophiæ explicandæ in Academia Parisiensi facta est: quæ lex nominatim vetat, ne doctores subducendis singulis propositorum librorum verbis, nominando & dictando, auditorum manum potiús impediant, quám explicatione perpetua mentem erudiant. Tales doctores lex appellat nominatores ad pennam. In hunc siquidem modum lex ista loquitur:

Philoſophiam continua voce & perpetua raptim prælegito.

Ne tractim nominato & dictato.

Diſcipulus, magiſtri verba mente capito:

Manu & penna ne exarato.

Notabilis tamen ſententiæ dictandæ & excipiendæ facultas eſto.

Rector, baccalaureus, licẽtiatus, in hãc legẽ jurato.

Qui primùm violaverit, annum integrum privilegiis careto.

Si iterum atque iterum violaverit, pœnas duplas & quadruplas luito.

Videtis, judices, quám perſpicué, quám intelligenter & aperté lex iſta pro nobis contra accuſatorem noſtrum loquatur: quám non jubeat in philoſophorum verbis moras interponi, ſed raptim ſententias eorum potiús expendi. At hæc vetera ſunt (fortaſſe dicet accuſator) & jampridẽ obſoleta: recentiores itaque leges adeamus, & earum conſilium præceptumque his de rebus inquiramus. Anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſecundo, Gulielmus miſeratione divina S. Martini in montibus, ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ preſbyter, cardinalis Totavillæus, ſedis Apoſtolicæ legatus, Pariſienſis Academiæ ſtatum conſtituit, veteres quaſdam leges abrogavit, quaſdam confirmavit. Quid igitur de veteribus illis docendorũ philoſophorum legibus ſanxit? Pennam (quam lex illa vetus ademiſſe diſcipulis videbatur) neque tollit, neque imperat, ſed tantúm permittit: vocis autem continuationem, & ſententiarum diſquiſitionem retinet, curioſam

&

& ſolicitam illam de verbo ad verbum, ut loquitur, prælectionem vehemẽtiús etiam condemnat & rejicit. Sententiam legis audiamus.

„ *Philoſophicos libros de puncto in punctum, de*
„ *capitulo in capitulum, ore & voce doceto ac pro-*
„ *nuntiato: quia, ut Hieronymus ait, habet neſcio*
„ *quid latentis energiæ, vivæ vocis actus, & in au-*
„ *res diſcipuli de authoris voce transfuſa fortiús*
„ *ſonat.*
„ *Sententias ſtudioſé & diligenter exquirito.*
„ *De verbo ad verbum in quæſtionibus alienis ne*
„ *legito.*
„ *Pennam, ubi commodum ſit, adhibeto.*

Hæc lex, Judices, veteris legis ſententiam manifeſtis verbis comprobat, neque hac de re legem aliã hactenus ſcriptam habuimus. Et quidẽ earum legum ſumma prorſus & legitima eſt ratio: multæ ſunt in Ariſtotelis libris quæſtiones alienæ, altercationes ſubtiles magis & argutæ, quám utiles & neceſſariæ: earum itaque ſummas ſentẽtias lex expendi jubet: non in verbis vanas & odioſas quæſtiones excitari. Tales ſunt, ut modó logicos tantúm Ariſtotelis libros attingam, de modalibus, de miſtis contingentium & abſolutorum pronuntiatorum concluſionibus, de ſyllogiſmorum reductionibus in figuras, de poteſtate, plura, falſa, circulatoria, impoſſibilia. contraria concludendi: qualis eſt etiam illa præ cæteris inſignis quæſtio. An propoſitæ rei duobus extremis definitis, aliquod ſit extremum. Quæ omnia ut ſubtilia & arguta ſint, ad vitæ tamen humanæ fructũ nil omnino conferunt, nullam inveniendi argu-

menti, nullam disponendi rationem ad judicandum præbent, quæ tota Dialectica vera est: quæstiones denique alienæ sunt. Infinitæ sunt in iisdē libris & perpetuæ iterationes, & pluribus propé voluminibus conturbātur, quám omnia illa perspicué explicanti versibus opus fuerat: falsas & alienas præceptiones eorum librorū omitto. Ergo prudentes legumlatores, non tám vanæ subtilitatis, quám solidæ & publicæ utilitatis studiosi, ex philosophicis libris, quæ commoda & profutura essent, voluerunt á doctoribus & studiosé & diligenter obseruari, quæstiones alienas rejici: in cæteris, simplicis juventutis ætatem noluerunt inutiliter & nugatorié consumi: pennam assiduam iccirco & dictata removerunt, ad verbum vánas quæstiones & alienas illas tradi vetuerunt: prudētiam denique ex delectu bonorum & malorum in sanciendis legibus adhibuerunt. Et quidem si opinionem hanc legislatoris nostri, nescio quam non Græcorum legislatorum, non philosophorum, nō nostrorum Druidum sapientiam arbitramur, vehementer erramus. Lycurgus civilia jura in mentibus civium suorum descripsit, ἄγραφα omnia reliquit: Pythagoras (qui primus philosophus est appellatus) hanc in docenda philosophia rationem tenuit, aures discipulorum attentas, non solicitas manus esse voluit, pennam omnino removit. Gravis est Socratis apud Platonem ista de re disputatio, quantúm vox in docendo vivat, quám mortua scriptura sit: quantúm vox ad intelligentiam memoriamque valeat, quantúm scriptura ad oblivionem & imperitiam faciat. Quid autem his omnibus

nibus antiquiores Druides noſtri, nonne in docē-
da juventute pennam ſuſtulerunt? meliorem eſſe
& intelligentiæ & memoriæ magiſtram vocem
crediderunt? Lex itaque noſtra, nobiliſſimæ & an-
tiquiſſimæ ſententiæ lex eſt. Quamobrem, accuſa-
tor juriſprudentiſſime, quid contra tam graves,
tamque ſapientes leges hiſcere audebis? non eru-
beſces? non malum Academiæ Genium, non te-
ipſum accuſabis, qui mihi contra leges Academiæ
falſa iſta crimina ſubjeceris? qui tam ſtupidē malā
ſuaſionem audieris? Sed ætati tuæ ignoſco, juven-
culus es, imberbis es: cúm annos aliquot adhuc at-
tigeris, vir eſſe fortaſſe incipies: juventutis æſtus
quidam te rapuit ac turbavit: magiſtrum tuum po-
tiús accuſo, & tua ſuaque lege ipſum condemno.
Philoſophiam, ſtatuitis, qui non ad verbum didi-
cit, Academiæ præmia ne capito. Tu dolorum &
fraudum fabricator Epee, perfrica frontem, erige
cervicem, ſi potes, & dicere aude te philoſophiam
ad verbum didiciſſe: imo veró pro tua manifeſta
omnibus ignorantia, veré confiteare te philoſo-
phiæ verbum nullum unquam didiciſſe. Quare
legis tuæ ſententia, Academia excedito, philoſo-
phorum præmia ne capito. Sed ad accuſatorem
noſtrum redeo, veras Academiæ leges ignorantē,
falſas á Genio ſuo ſuſcipientem, & veræ legis amā-
tes & obſervantes accuſantem. Si non omnes phi-
loſophicos libros ad verbum, ſicuti criminaris, do-
cuiſſemus, non modó nil contra legem, ſed maxi-
mé ſecundum legem feciſſemus. At quicquid eſt
in libris legitimis, & per legem nobis imperatis
verum, utile, pueris inſtituendis accommodatum,

id totum clariſſimis nobiliſſimiſque exemplis illuſtratum non modó verbis, ſed pené ſyllabis & literis ſingulis perſequimur. Attamen ne cui vel improbo videamur authores eos negligere, unde ex illis dogmatis quædam ſumpſiſſemus, Porphyrii & Ariſtotelis libros prælegimus, & quidem eorũ permultos omnino, & ad verbũ perlegimus: paucos, ut lex permittit, ex ſuis ſententiis explicamus, & eo tempore prælectiones noſtras terminamus: quo prælectionis hujus finem & terminum lex ipſa conſtituit, & Determinantias inde nominavit, id eſt, ſecundi anni menſe tertio: imó veró ne conſtituit quidem. Nec enim lex biennio & trimeſtri omnes legitimos ad baccalaureatum libros omnino expoſitos eſſe jubet, ſed partim prælectos, partim etiam prælegi, & in ipſo prælectionis actu doctorem verſari. Itaque, Judices, ſiquis Ariſtotelis liber (ut queritur accuſator) á nobis non ſatis accuraté declaratus eſſet, criminis tamen nihil eſſet: in tẽpore enim, &, ut lex loquitur, in actu ſumus: ſi major diligẽtia nobis imperaretur, ea ſeduló præſtaretur. Quamobrem paululúm jam reſpiremus, diſcipulos noſtros accuſatoris crimine liberos habemus. Non audiviſtis, accuſator ait, legitimos ad baccalaureatum libros, ideo publicis ſcholis ejicie mini. At, domine accuſator, reſpondent diſcipuli, quemadmodum leges inſtituunt, ſic audivimus: interroga nos, & quám ſeveré voles, noſtra ſtudia perſcrutare: fac de noſtris ingeniis periculum in logicis, in ethicis, in phyſicis, ſolertiam tibi noſtrã probabimus. Non faciam, inquit, ſed vos & totum gymnaſium veſtrum damnabo, & penitus exterminabo.

minabo. A tanta accuſatoris iracundia, Judices, ad æquitatem & humanitatem veſtram diſcipuli noſtri confugiunt, & quoniam didicerunt, quod ſibi legibus Academiæ diſcendum fuerit, vos orant, ne privilegiis, ne regiis & pontificiis, induſtriæ diligentiæque ſuę, prę̃miis pro fraude & libidine perditi Genii ſpolientur & exuantur.

Hactenus diſcipulorum & magiſtrorum cauſſa communis acta eſt: quæ ſequitur, magis eſt noſtra vel potiús Academiæ tota & propria.

Enimveró, perſtrepit accuſator: etſi philoſophicos omnes libros legeritis, veterem tamen docendi formam, non tenetis, artes confunditis, quia cõjungitis cum philoſophiæ ſtudiis eloquentiæ ſtudia, & cum philoſophicis libris poëtas & oratores explicatis, in eoque leges Academiæ violatis. Pró cœleſtis ſancte pater, quam in Academia Rempublicam, quos magiſtratus habemus? Accuſatur Petrus Ramus, imó etiam indicta plané cauſsá damnatur, quód eloquentiæ ſtudia cum philoſophiæ ſtudiis conjungit, & pulcherrimi præſtantiſſimique facti reus appellatur. Atqui leges Academiæ, tanti facinoris authores habeo, & ſi nullas leges ſcriptas haberem, tamen æquitatem & Reipub. utilitatem ac dignitatem (quarum leges tantummodó ſunt cuſtodes & patronæ) duces habeo. Hæc culpa eſt, Judices, de qua non jam pro nobis aut diſcipulis noſtris tantúm, ſed pro Academia univerſa adverſus improbos ejus Genios cauſſam dicimus: nec aliud crimen nobis refellendum proponimus, quam quód eloquentię ſtudiis, cum philoſophia conjungendis non modó nullas artes

confundimus, non modó Academiam nil offendimus, ſed ei potius optimorum & Reipublicæ amantiſſimorum civium officium & ſtudium præſtamus. Hæc igitur publicæ cauſſæ (quam deinde perſequar) quæſtio ſumma eſt, An eloquentiæ ſtudia cum philoſophiæ ſtudiis conjungere liceat. Novi judicii nova formá, Judices, quæſo ne veſtros animos offendamus: multa legi, multa audivi: nunquam tamen legi, nunquam tamen audivi, de philoſophia & literis quenquam in forum veniſſe: adhuc homines præter illum unum (ſi tamẽ homo eſt) malum Academiæ Genium, philoſophis liberum eſſe voluerunt, de philoſophiæ inſtitutione dicere quod probarent, & ſcribere: imó etiam libertatem eam probaverũt, nec ſine reprehẽſionibus artes abſolvi poſſe, aut hominis cujuſquam inventa perfecta eſſe crediderunt. Attamẽ, Judices, judicium hoc tantó majus & gravius æſtimate, quantó bonis corporis & bonis fortunæ, in quibus diſceptandis quotidie verſamini, bona animi majora excellentioraque ſunt. In liberali & ingenua juvẽtutis educatione, omnes magni legumlatores, omnes magni philoſophi, Reip. fundamẽta collocarunt. In his fundamentis divina Platonis politia conſumitur, Ariſtotelis politica finem illum tantummodo ſpectant & intuentur, gymnaſticam corporis & philoſophiam, animi informãdi gratiá conjunctas inſtituerunt: eandem Romani diſciplinam ſecuti ſunt, & in utraque gẽte Græca & Romana iidem modó juvenes bella gerendo, modó viri civibus ſuis jura dicendo, modó ſenes religionum ceremonias moderando, omnes

Reipub.

Reipub. partes viciſſim tractabant & exercebant. Gallorum ſemper alia ratio fuit: nam jam olim eorum hominum, qui aliquo eſſent numero atque honore, in Gallia duo genera fuerunt, alterum Druidum, qui religiones & leges curarent: alterũ Equitum, qui verſarentur in bello. Franci majores noſtri veterem Gallicæ Reipub. partitionem ſecuti, duo genera itidem fecerunt, alios longæ, alios curtæ veſtis homines appellant, quaſi togatos & ſagatos diceres: bellique & pacis ſtudia diſtinxerunt, gymnaſticam equeſtri & militari ordini reliquerunt, animi tantũm curam in gymnaſiis ſuſceperunt, ut primis annis liberalibus artibus ad veram religionis pietatem, ad legitimam Reipub. gubernationem tenera juventus erudiretur. Hãc primam juventutis diſciplinam, artium facultatẽ nominarũt: quam quomodo tractemus, aut ſi nõdum id plané facere potuimus, tractandam cẽſeamus, id eſt, quemadmodũ in ea cum philoſophia eloquentiam conjungamus, plané & perſpicué eſſe dicendum propoſui, ut iis expoſitis, rationum & contentionum contrariarum momenta certiús æſtimẽtur, tantaque & tam gravis quæſtio pro veſtra ſapientia veré & ſancté diſceptetur. Totam igitur inſtitutionis noſtræ & domeſticæ, imó publicæ & legitimæ diſciplinæ ſpeciem & formam, benigné & diligenter attendite. Si quis bene natus puer, Judices, in noſtrã diſciplinam traditur, hoc eum modo ſolemus inſtituere, ut ſingulis diebus horas duas, alteram matutinam, alteram pomeridianam, docterem Latiné & Græcé, ſed Latiné magis (quia & religio & Reſpub. latinis literis á

nobis ediſcitur, cantatur, allegatur, modiſque ferè omnibus exercetur) Græcè inquam, & Latinè prælegentem audiat, cæteras diei horas in meditandis, ediſcendis, exercendis rebus expoſitis conſumat, multoque plus exercitationi, quàm auditioni, temporis impendat. Una auditionis eſt hora matutina, ediſcendi duæ ſunt horæ, pronuntiandi & memoriter efferendi una, duæ communicandi, diſputandi, imitandi, exercendi: ita ad uſum & fructum unius auditæ horæ confirmandum, & in animo memoriaque penitus imprimendum, quinque horæ aliæ penitus aſſumuntur. Eadem ferè pomeridiani temporis nobis eſt ratio: minimaſque boni magiſtri partes eſſe arbitramur in doctè prælegendo, & eruditè dictando, quanvis id ſit maximè neceſſarium, ſed multò maximas ac primas in diſcipulo audiendo, cohortando, corrigendo, dictis, factis, exemplis, rationibus denique omnibus exercendo: nobiſque perſuademus, pueros longè magis exemplo, imitatione, diligentia, conſuetudine grammaticos, oratores, philoſophos, quàm præceptis fieri: ideoque, artium exercitatores, quàm doctores malimus & eſſe, & haberi. Quapropter in hac domeſtica diſciplina, alia docendæ artis, alia exercendæ artis momenta nobis diviſa ſunt. Tum enim regulæ artis explicantur, cum artis præcepta enarrantur, repetuntur, iterantur, diſputantur, à diſcipulo exiguntur, & ejus intelligentiæ memoriæque penitus imprimuntur. Ergo hæc prima inſtituendi diſcipuli ratio, artis explicatio eſt: Verum ad tractandum cognitæ artis uſum longè aliud expetitur, exercitatioque omnino duplex adhibetur:

prima ut in perſpicuis exemplis diſcipulus vim cognitæ artis excutiat,& quám artificioſé, quamque regulis artis congruenter & apté ea conſtructa ſint, intelligat. Hæc exercitatio, Analyſis á nobis appellatur,quia partes operis & exempli ad diſtinguendũ propoſiti retexit, & ſingulas ad artis normam perpendit. Secunda exercitationis via nobis eſt, cúm diſcipulus exemplo cognoverit, quomodo regulis artis periti homines utantur, imitando primũ ſimile aliquid effingat, deinde per ſeipſum & ſuo Marte nitendo conandoque, ſuum aliquid & proprium faciat. Hæc exercitatio, Geneſis á nobis appellatur, quia novum gignat opus artis & efficiat. Sic loqui, orare, diſputare, omniumque artium humanarum opera facere condiſcimus, ut in alienis exemplis primúm, deinde in noſtris operibus & factis cognitas artis regulas experiamur. Quapropter hanc duplicem exercitationis rationem, Analyſim, inquam, & Geneſim in grammaticis, & rhetoricis, & philoſophicis ſtudiis adhibemus. Tribus primis annis puerum (ſi plané legendi & ſcribendi rudis & ignarus erit) in grammatico ſtudio, Latino Græcoque retinemus. Primo anno declinare nomina, & conjugare verba quamplurima, eaque ſcribere & pronuntiare exemplis magis & uſu, quám præceptis docemus. Syntaxeos perpauca præcepta tradimus, uſum pręceptis pauló majorem ex feſtivo poëmate aliquo addimus: quia, ut ille ait,

Os pueri tenerum balbumque poëta figurat:

Virgilii Bucolica, Homeri de ranis & muribus ludicra, iiſque ſermonis familiaritate feré parem

Terentianam aliquam fabulam, aut facilem prosam é quibusdam Ciceronis epistolis proponimus, totumque primum annum in singulorum verborum etymologia & copia quadam consumimus, ut puer hoc anno pingere & legere, varia & multa vocabula Latiné Græceque conjugare & declinare perdiscat. Secundo anno major quædam & accuratior etymologiæ grammaticæ doctrina proponitur, usus uberior ex Virgilii, Ciceronis, Homeri, Aristophanis paulò majore opere aliquo. Tertio anno syntaxis jam tota perdocetur, & cum annis ipsum studium exercitatioque accrescit: si quatuor aut sex versus puer ediscebat, sex aut octo ediscet: si sex vel octo versiculorum thema secundo anno scribere didicerit, jam duodecim vel octodecim anno tertio cõscribet. Hos tres annos in grammaticis totos & integros instituimus, & certissimum omnium doctrinarum fundamentum in his primis Latinæ Græcæque linguæ rudimentis positum esse judicamus. Rhetorica philosophiaque tota, magna ex parte naturalis est: multi sine Rhetorum præceptis ornaté dicunt, multi sine philosophorum dogmatis acuté disputant, res naturales intelligunt, bene beateque vivunt. At Latina Græcave lingua in libris tantúm posita est, nulli populo hodie vernacula & familiaris est. Itaque nisi qui didicit, Latiné aut Græcé, nemo intelligit, & qui linguarum earum peritiam perfectam habent, rerum bonam magnamque partem per sese intelligunt. Ergo in his linguarum studiis diuturnam operam ponimus, ut ad usum regularum gram-

maticarum

maticarum per Analyſim puer in familiaribus exemplis doceatur, etymologiam partium orationis & ſyntaxim, denique proſodiã, ſi proferatur, & orthographiam, ſi ſcribatur, expendere, & ad explicatæ artis legem ſingula referre: atque omnino hac Analyſeos examinatione grammaticam orationis puritatem vel impuritatẽ deprehendat. Hæc prima eſt grammaticæ artis exercitatio: ſecunda eſt ut in themate propoſito ſimile explicati & propoſiti exempli aliquid effingat, aliaque ad eandem imitationis ſimilitudinem quam proximé & veriſſimé poterit, loquatur & ſcribat. Atq; hac interpretationis, imitationis, ſcriptionis, locutionis, meditatione & exercitatione tandem Grammaticus exiſtat. In his, inquam, linguæ Latinæ & Græcæ fundandis initiis, tot annos his exercitationibus impendimus, atque etiam reliquis & conſequentibus puerilis hujus, de qua loquimur, induſtriæ tẽporibus, & annis utriuſque linguæ uſum quotidie confirmamus & abſolvimus. Statuatur veró interea illud, quod veriſſimũ certiſſimumque eſt, aliud eſſe regulas artis explicare, aliud explicatæ artis uſum exercere, & grammaticas omnes regulas ab eo ſciri poſſe, qui puré loqui neſciat, qui proprié & veré ſcribere neſciat, qui ullum grammaticæ artis uſum exprimere neſciat: idemque in omnibus artibus fieri poſſe, ut qui muſicas regulas didicerit, cãtare neſciat: qui Varronis, & Catonis de agricultura libros cognoſcat, arare tamen neſciat. Quapropter tribus primis annis in conjuncta Grammaticæ explicatione & exercitatione hoc modo poſitis, ſimillima ratione

ac via proximo anno rhetoricas regulas á dialecticis regulis & grammaticis discretas & distinctas docemus: Rhetoricam igitur & elocutionem in definitionibus, divisionibus, generibus troporũ & figurarum, & pronuntiationem in modis vocis & gestus interpretamur, eaque omnia iterãdo, repetendo, exigendo, penitus inculcamus. Atque hac interpretationis diligentia, rhetoricas regulas discipulis nostris notas & perspicuas efficimus. Hæc Rhetoricæ artis est explicatio. Eodem tempore, sed diversis horis, exercitationem illam duplicem Analyseos & Geneseos adjungimus: Analysim in nobilibus & insignibus Virgilii, Ciceronis, Homeri, Demosthenis, & similium authorum exemplis adhibemus: in quibus discipuli troporum lumina, figurarum ornamenta, ex rhetoricis regulis pervideant: vocis & gestus exempla (quæ in scriptis libris mortua sunt) voce gestuque nos ipsi fingimus, & quantúm licet, exprimimus. Genesim, alteram exercitationis speciem deinde persequimur, ut pueri ad exempli imaginem, sententiam positi thematis, Tropis & figuris eloquantur, modoque vinctum numeris poëma faciant, modó prosam & solutam orationem contexant, voce gestuque reddant ac pronuntiét, per seipsos denique quodvis aliud argumentum similiter exornent & tractent. Nec in isto rhetorico studio grammaticas regulas permiscemus, antecedentibus studiis cognitas huc attulimus: usum tamen grãmaticum, & fructum retinemus, & quantúm possumus, Latinæ Græcæque linguæ intelligentia roboramus, augemus: nec, ut orna-

té

té dicamus, barbaré & impuré loqui volumus, ſed congrué & puré loquendi conſuetudinē, eleganter & ornaté dicēdi conſuetudine perficimus. Nihil adhuc, Judices, in duabus his artibus accuſamur: certé ab accuſatore toleramur: nec quia Grāmaticę uſum cum Rhetoricæ uſu copulamus, ideo Grammaticā cum Rhetorica permiſcere & conturbare dicimur: & ſané nihil vel malevolentiſſimum quenquā offendere debeam⁹: niſi forté fuerit offenſio, diſtinctiús eas doctrinas docere, & diligentiús exercere, quám vulgó doceantur & exerceantur. Tertius ſtudiorū gradus eſt in Dialectica, ubi nulli quidē conſilio aut voluntati veterū vel philoſophorum, vel legum, ſed certé noſtrorū hominum quorundam ignaviæ & inertiæ valdé diſſimiles contrariiq; ſumus. Attēdite quæſo partem hanc expoſitionis meæ tertiam, Judices, & æquis animis accipite. Ponite ante oculos, quæ de artis explicatione, de artis exercitatione adhuc expoſui, aliud eſſe artis regulas explicare, aliud artis uſum tractare & exercere. Hîc enim criminis (quo accuſamur) tota ratio ſita eſt, quód nobis Dialectica non explicanda ſolúm, ſed exercenda, ſed penitus utenda, fruendaque videatur. Ergo quinto anno diſcipulum noſtrum ad Dialecticam deducimus: & quemadmodum priús in Grāmatica & Rhetorica, ſic nunc in Dialectica inſtituimus: Dialecticæ artis regulas explicamus, explicatæ artis uſum & exercitationem aſſumimus, totumque hunc annum ex præſcripto legis in Dialectica collocamus, & Dialecticę invētionis diſpoſitioniſque præcepta, quæ Rhetores in rhetoricis

artibus parum distincté confuderant, in dialecti-
ca arte proprié & perspicué tradimus. Duæ sunt
artis dialecticæ partes, Inventio & Judiciū: utriusque partis igitur regulas & præcepta, & quæ differentias argumentorum, & quæ judiciorum formas habeant, ex logicis libris, sicut antea dixi, selecta & ordine digesta, & exemplis insignibus illustrata tradimus: totos etiã libros, unde ex optimis illis nonnulla selecta sunt, singulis capitibus demonstramus, easque dialecticas leges & regulas discipulis nostris interpretando, repetendo, exigẽdo, altercando, modisque omnibus versando, declaramus: & quod singulis diebus hora una explicatum est, duabus horis, sæpe etiam tribus, argumentando, communicando, iterando, discẽtis animo mentique mandamus & inculcamus, & qua diligentia grammaticam artem antea, & rhetoricam, eadem, imó veró multó vigilantiore atque acriore, declaramus. Nihil hæc explicandæ artis industria á malo Academiæ Genio reprehenditur, imó veró sola hæc in dialectico doctore diligẽtia ab eo probatur, omnis exercitatio & Analyseos & Geneseos ab eo accusatur & improbatur: & quód, ut Grammaticæ & Rhetoricæ, sic Dialecticæ usum docemus & explicamus, hoc á Genio illo damnamur. Verũenimveró quia Dialecticam Grammatica & Rhetorica tantó præstãtiorem disciplinã judicamus, quantó lingua mentem, verbis sententiam & rationem præstantiorẽ judicamus, ideo præstantiorem etiam excellentioremque in Dialectica curam diligentiamque requirimus: dialecticæ artis explicatione contenti non

ti non ſumus, explicatæ & perſpectæ artis uſum quærimus, exercitationemque illam duplicem, & Analyſeos & Geneſeos præcipué hîc adhibemus, laudamus, amplectimur : hoc malo Academiæ Genio novum, grave, invidioſum, exitiabile, criminoſum eſt. Itaq; Genius hic non ſolúm ſapiens, verum etiam Academiæ providens, tantum facinus acerbé perſequendum, coërcendum, vindicãdum exiſtimat. In hortis Heſperidũ, poëtæ memorant auriferum nemus aureis malis fœcundũ, eminús á prætereuntibus conſpici, ac ne illa aurea inde mala decerpantur, pervigili & contorto dracone cuſtodiri, qui tamen illis nequaquam fruatur : ſic videlicet in philoſophicis ſtudiis auriferum nemus eſt, aurea mala ſunt, quæ cernere procul & aſpicere per iſtos contortos dracones & malos Genios Academiæ cuſtodes liceat, decerpere (quanvis ipſi cuſtodes non utantur, non attingant, non videant) attamen non liceat. Verúm cætera percipite, Judices. Scholaſticis dialecticæ diſciplinæ regulis, accuſatoris noſtri more, contenti non ſumus, earum regularum uſum etiam volumus. Quomodo ? proponimus primũ Analyſeos ergó, exempla nobilium & gravium authorum, qui ſunt non ſolúm puré & Grammaticé locuti, ornaté & rhetoricé elocuti, ſed etiam ſubtiliter, acuté, prudenter de poſita quæſtione ratiocinati, ut in eis diſcipulus noſter, regularum dialecticarum, id eſt, argumentorum, enuntiationum, concluſionum, methodorum ſpecies exploret & deprehendat : tum deprehenſas, Geneſeos gratiâ in ſimili quæſtione tractet & exerceat. Eo-

dem itaque die, ſed diverſis, ut antea, & diſtinctis horis, ſimiles & inventionis in argumento, & diſpoſitionis in enuntiatione, ſyllogiſmo & methodo laudes meditatur, ingeniũ judiciumque ſuum ad illas ideas conformat & inſtituit: tandemque per ſe ac ſine alterius exemplo, quaſvis quæſtiones alias pari, vel etiam (ſi queat) abundantiore rerum argumentorumque copia, clariore & directiore ordinis diſpoſitioniſque via diſputat & explicat. Multos jam annos, Judices, in poëtis, oratoribus, philoſophis Græcis & Latinis, hunc dialecticæ artis uſum & fructum, non ſolúm magno & aſſiduo, ſed grato & jucundo labore palam docemus, & publicé demonſtramus. Oravit in Piſonem Cicero, multaque graviter & acerbé in eo reprehendit, quomodo ſit ad honores publicos evectus, quomodo ſit in his verſatus. In hujus igitur orationis artificio dialectico declarãdo, cauſſas, facta, circunſtantias adjunctas, contraria, cæteraque argumentorum genera ſubducimus: enuntiationis cõcluſiones & ſyllogiſmos diſtinguimus, ordinẽ univerſum notamus: Analyſis eſt. Exemplum ſimilis argumenti diſcipulis noſtris ponimus: quod ille ſpeciatim tractavit, generatim diſputamus, & quæſtionem ab hypotheſi ad theſim revocamus. In Piſonem Cicero dixit: Nos in tyrannũ & pernicioſum Reipub. magiſtratum dicimus: & perſequendis exempli tanti veſtigiis, ſimile Ciceronis aliquid effingimus: Geneſis eſt. Oravit pro Milone Cicero: totius defenſionis argumenta ad inventionis locum referimus: pronũtiatorum ſpecies recognoſcimus,

ſyllo-

ſyllogiſmos & argumentationes ad figuram formamque redigimus, ordinem perpetuum contuemur: Analyſis eſt. Similis quæſtionis thema proponimus: quod pro Milone contra Clodium dixit: nos pro forti & conſtāti principe contra ſceleratum ſicarium & latronem ſimilibus argumentis, ſimilibus enuntiatis, ſimilibus ſyllogiſmis, ſimili ordine, ſimili denique inventione & diſpoſitione diſſerimus: eademque analyſeos & geneſeos exercitatione, Demoſthenis, Homeri, Virgilii, Platonis, Ariſtotelis dialecticum & ex argumento conſilium, & ex ſyllogiſmo judicium, & ex ordine univerſæ collocationis complexum interpretando, meditando, ſcribendo, declamando perpendimus, imitamur: nec aſſequi tantúm, ſed alicubi vincere ac ſuperare contendimus. Remoto etiam aliquando imitationis exemplo, dialecticæ artis virtutes omnes per nos ipſos in libera, & ad arbitrium poſita quæſtione tractamus & excolimus: omneſque laboris, vigilantiæ, ſtudii nervos intendimus, ut inde artis Dialecticæ fructum conſequamur. Nec in his tamen Dialecticis exercitationibus, Grammaticas aut Rhetoricas regulas docemus: ſed ut in Rhetoricis Grāmaticum loquendi uſum, ſic in Dialecticis diſputationibus non Grammaticum ſolúm, ſed Rhetoricum orationis fructum retinemus: triumque cōmunium ad res omnes tractandas & explicandas artium uſum conjungimus, quarum diſtincta præcepta diſtinctis temporibus antea docuimus, ut eādem quæſtionem locutione Grammatica & eleganti, dictione Rhetorica & ornamentis inſigni, ratione

Dialectica, id est, argumento stabili, enuntiatione certa, syllogismo constanti, methodo distincta & illustri tractemus & exponamus. Quintus annus in Dialecticis artibus, in Dialecticis exercitationibus hoc modo nobis instituitur. Trium artium, Grammaticæ, Rhetoricæ, Dialecticæ usus, conjuncto studio tractatur: imó reliquis etiam philosophici temporis annis tantó copiosius & uberius exercetur, quantó rerum, quæ loquendæ, dicendæ, disputandæ sunt, major est ubertas & copia. Hæc est, Judices, Dialecticæ artis exercitatio, quæ tantopere in nobis accusatur: hoc est nostrũ facinus, quod accusator legibus Academiæ contrarium, Dialecticæ studiis inimicum, vitæ atque humanitati pernicioſum esse criminatur: Hæc est culpa, cujus nomine omnes invidiæ & obtrectationis indignitates, contumelias, acerbitates publicas, omnis opprobrii, omnisque infamiæ notas per illum Academiæ custodem draconẽ perpessi sumus: cui, nisi spes æquitatis vestræ nobis appellantibus adesset, cervices, credo, vincti & oppressi, jam securi subjectas haberemus. Sed agé, reliqua persequamur. Dialecticam, ut dixi, sic docemus, sic exercemus, eandemque tamen exercitationem in toto reliquæ philosophiæ moralis & naturalis studio perpetuam tenemus, quæstiones & sententias rerum ex argumentis, ex argumẽtationibus ponderamus, quám vera, quám cõmoda præcipiantur, hác eâdem libra perpendimus. Ethica disciplina secũdo currili philosophici anno per legem instituitur: nec tamen omnes Ethici Aristotelis libri, sed quatuor duntaxat imperãtur.

Hujus

Hujus philoſophiæ doctrinā, ſi mihi fuerit optā-dum, quod aſſequi velim, malim pueris ex Evangelio per eruditum aliquem, probatiſq; moribus Theologum, quàm ex Ariſtotele per philoſophū tradi. Puer impietates multas ex Ariſtotele diſcet, quas verendum, ne nimis ſeró dediſcat: beatitudinis principium ex homine oriri: beatitudinis finem in homine terminari: virtutes omnes, hominis facultate penitus contineri: eas ex hominis & natura & arte & induſtria cōparari: Deum ad hæc opera, quanvis magna & divina, tamē vel adjutorem, vel artificem nuſquam adhiberi: divinā providētiam ex hoc humanæ vitæ theatro removeri: de juſtitia divina verbum nullum fieri: animos mortales eſſe, vel certé id Ariſtoteli probatū videri, ideoque ab eo beatitudinem hominis in hac caduca vita conſtitui. At ut Grammaticæ uſus eſt & finis, bene loqui, Rhetoricæ, bene dicere; Dialecticæ, bene ratiocinari: ſic moralis philoſophiæ, bene beateq; vivere uſus & finis eſt, á quo nos Ariſtotelis moralis philoſophia revocat: tantúm abeſt, ut ad eum perducat. Magnum fuit veteribus religionis Chriſtianæ doctoribus contra doctrinam gentium (quarum doctor Ariſtoteles in hac philoſophia maximus fuit) & acre certamē, ut hanc gentilem doctrinam de Chriſtianis moribus excuterēt: & leges Academię veteres ſanciút, ut ſi quis ejuſmodi locus impius in philoſophicis libris occurrerit, accuraté ſecūdúm religionis veritatem refellatur, vel omninó etiam nō legatur, nec diſputetur, ſed prætereatur: Nos quippe ſanctiores, contemptis majorum inſtitutis, hanc Ari-

ſtotelis philoſophiam non modó non rejicimus, ſed (pró pudor!) Chriſtianæ religionis veluti fundamentum fecimus. Hoc enim nomine Animadverſiones, id eſt, dialecticæ ſcholæ accuſatæ ſunt, quód Theologiã enervarent, quia Ariſtotelis authoritatem improbarent. Tum veró, fac in Ariſtotelis Ethicis nihil eſſe impium, omnia eſſe utilia: non ideo quæ utilia ſint, protinus etiã in curriculo philoſophico docenda ſunt: Artes hæ potiús ſunt explicandæ, quæ doctorem, quæ lumen requirunt, unde poſtea philoſophia Platonis & Ariſtotelis intelligi poſſit: ut in pictura (ſicut ait Cicero) qui hominis ſpeciẽ pingere perdidicerit, poteſt etiam cujuſvis vel formæ, vel ætatis, ſi non didicerit, pingere: neq; periculum eſt, qui leonẽ aut taurum pingat egregié, ne idem in multis aliis quadrupedibus facere non poſſit. Similiter arbitror in hac prima & juvenili inſtitutione: qui Græcã Latinamque linguã didicerit, qui Rhetoricam & Dialecticam exercuerit, qui mathematicas artes, Arithmeticam, Geometriam, qui Phyſicam & Mathematicã rationem reliquã didicerit, non poſſit idem moralem Platonis & Ariſtotelis philoſophiam per ſe cognoſcere. De mathematicis tamen artibus leges antiquæ tacent, recentes Totavillææ, aliquid in mathematicis explicari volunt neque libros tamen, neque tẽpora definiunt. Quare, Judices, cúm quintus hic annus ſecundũ legem in dialecticis poſitus fuerit, ſextum in mathematicis Elementis collocamus, Arithmeticis integris, geometricis itẽ integris, muſicã & opticam conjũge. Has igitur primas & ſimplices mathema-

thematicas disciplinas anno sexto amplectimur, precepta & regulas facilé & intelligenter exponimus, usum præceptorum & regularum omni exercitatione Analyseos & Geneseos, quantumcũq; possumus, exquirimus: exempla nobis proposita contemplamur, alia ipsi facimus & effingimus. Atque ad retinendũ, imó ad augendum eloquentiæ fructum, ut antea de communibus, ita jam de mathematicis thesibus declamamus. Hæc mathematicarum artium accessio nil accusatores nostros offendit, saltem nulla offensionis significatio adhuc extitit. Quare pergamus: ex Grammaticis, Rhetoricis, Dialecticis, Mathematicis adhuc perceptis, strenuam eloquentiæ & philosophiæ & egregiam operam navamus, omnique diligentiæ & industriæ studio, inchoatas loquendi, dicendi, disserẽdique virtutes persequimur. Septimus annus in Physicis supereſt. In octo primis Aristotelis voluminibus physicis, multa est cõtra veterum opiniones altercatio: Imó physicæ veritatis nulla prorsus est expositio: Astrologiã assumimus pro libris Aristotelis de Cælo, qui præter quæstiones alienas admodum nil habent: librorũ de ortu & interitu solida theoremata quæ paucissima sunt seligimus, omittimus quæstiones alienas: libros de Meteoris, de Anima diligentiús expendimus: libellos reliquos de vita, sensu, vigilia, somno, memoria, discipulis nostris, ut per se jam aliquid experiantur, privatim unicuique legẽdos imperamus: & quoniam locos tantúm communes cõtinent, quotidianis declamationibus argumẽta communia facimus: ut sicut antea de bello

& pace, & vulgaribus rebus, ita nunc de vita & morte, ſubductis omnibus Ariſtotelis rationibus, diſcipuli noſtri declament. Euclidis accuratiús explicari volumus: annoq; eodē, Phyſicam veram, mathematicis rationibus fundatā doceri & exerceri: intereaq; Rhetoricas & Dialecticas meditationes tantó majores habemus, quantó in his ſtudiis majores annis ſumus: ad eloquentiā colorandam & roborandā, cum phyſicis decretis & placitis, phyſicos poëtarū & oratorū locos ſociamus. Tota Maronis Georgica phyſica ſunt: tota Metamorphoſis Ovidii phyſica eſt: totus Lucretius phyſicus eſt: Senecæ quæſtiones ſunt naturales: Plinii divinū illud opus totum phyſicū eſt: deniq; nullus eſt in phyſicis decretis locus, cui non poſſit ad aliquem gratioris & humanioris illuſtrationis fructū poëta vel orator adjungi. Deligimus igitur é tanta optimorū authorum copia locos inſignes, quos philoſophicis præceptis quantúm philoſophici tēporis ratio feret, adjūgamus. Quapropter quantúm tempora ferre potuerint, ex tanta præſtantium authorum copia clariſſimos quoſque & philoſophiæ hujus affines & propinquos adjūgimus: atq; ita tandem ſeptimo exacto ſtudiorum anno magiſtrū artium non nomine, ſed revera ac veritate perficimus & abſolvimus, qui Latinam Græcamque linguā, qui Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticā, Arithmeticam, Geometriā, Phyſicam didicerit, quique alios jam docere paratus ſit. Hactenus, Judices, fundamenta defenſionis meæ cōſtitui: Diſciplinā gymnaſii mei, vel potiús facultatis artiū totam, totamq; inſtitutionē vobis

expoſui,

expoſui, quam ſequimur, quam probamus, quam etiam ſi nondū plané tenemus, ſequendā tamen & probandā ſuademus. Artes diſtinctis temporibus diſtinctē docem⁹, fructus tamen omniū paulatim ut matureſcunt, ad uſum eloquentiæ & prudentiæ convertimus: uſum primæ artis cum ſecundæ artis uſu, itemq; primæ & ſecundæ uſum cum uſu tertiæ, eodēque modo ſemper antecedentiū uſum cum inſequentiū uſu conjungimus, unumq; tandem eloquentiæ & philoſophiæ generalem & cōmunem uſum ex multis ſpecialibus & præcipuis efficimus. In agricultura ſunt ſegetes, ſunt arbores, ſunt vites, ſunt armenta, pecudes, quæ ſuum quæq; cultum ſeparatim requirūt: relictis in agro calamis frumēta domum cōportamus: arboribus in horto relictis, poma domum cōportamus: pecoribus & armentis in paſcuo relictis, lactis copiā & vellera domum cōportamus: eorum omnium ſimul uſum ad corpus paſcendū, alendum, veſtiēdum conjungimus: Ita fit in animorū cultura: variæ ſunt ejus partes, variis modis exercendæ. Grāmaticā artem tribus primis annis explicamus: iiſdem tribus annis, diviſis horis, etiā Grammaticæ uſum, grammaticas poëtarum & oratorū virtutes excutiendo, uſurpando, loquendo & quidvis ſcribendo exercemus: anno ſequenti, Rhetoricam artem explicamus: eodē anno diviſis horis, rhetoricas poëtarum & oratorum virtutes exquirendo quidvis & pronuntiando exercemus: philoſophiæ libros & præcepta tribus proximis annis ſexque menſibus explicamus: iiſdem annis, philoſophiæ rationalis uſum, mathematicæ ſtudium,

naturalis clariorem ſenſum poëtis & oratoribus enarrãdis, & philoſophicis eorum virtutibus ad proprium philoſophiæ locum referendis, imitãdis, & quibuſvis aliis meditãdis, ſcribendis, diſcẽdis excitamus & exercemus: eodemq; tempore, mentis prudentiam & linguæ eloquentiam conjunctis vigiliis, laboribus, ſtudiis exquirimus, & relictis in ſchola tot tantarumq; artiũ præceptis & regulis, fructũ in forum, in Senatũ, in concionem populi, in omnẽ hominum conventũ, id eſt, domum cõportamus. Grãmaticam, rhetoricã, philoſophiamq; totã in ſchola relinquimus, & regularũ jam nihil egemus, puritatem orationis & ornatũ, rationis acumẽ, numerãdi, metiendi peritiã, cęli & mundi univerſi notitiã, ad animũ formandũ, erudiendũ, cõponendum, ornandũ, perficiendũ conjungimus & copulamus. Hanc animi perfectionẽ Rhetores eloquentiam perfectam, Philoſophi meliús & veriús philoſophiã perfectã ex perfecta artium explicatione, ex perfecta artiũ exercitatione, nonnulli cõpletum quendã velut orbẽ doctrinæ, ἐγκυκλοπαιδείαν vocant. Hęc, Judices, diſciplina mea eſt: quæ ſi veſtro judicio magnis pœnis ſuppliciiſq; digna eſt, omnes in me cruciatus convertite, diſcipulos meos delicti vel erroris animadverſione liberate. Nã quod ille de Euryalo exclamat,

Meme adſum qui feci, in me convertite ferrum,
O *Rutuli, mea fraus omnis, nihil iſte nec auſus,*
Nec potuit: —

Sic iſtã in me culpã, ſi ulla eſt, in me totã recipio, & in eam meis me ſcriptis, dictis, factis, exẽplis, adhortationibus, cõſiliis infinita ingenia, vel potiús

tiús infinita ingeniorũ millia impulisse, & quotidie impellere cõcedo. At per Deum immortalem, date mihi veniam, Judices, si detestandæ & propulsandæ invidiæ, vel potiús excitandæ hominum quorundam ignaviæ & inertiæ caussâ non minús libere, quám veré dicã: quantúm potero contendam, ut omnes exaudiãt. Audi igitur populo Parisiensis, audite Galli, Itali, Hispani, Germani, Britanni, omnesq; populi, qui ab hac amplissima pulcherrimaque orbis terrarum Academia disciplinã & eruditionem petitis: Confirmo, recipio, prædico, in Academia Parisiensi philosophiæ institutionem & exercitationem post annos septingentos, quibus á Carolo magno condita est, non modó crimine & reprehensione liberiorem, sed laude & commendatione digniorem nullam fuisse. Hæc, inquam, recipio, Judices, & me æquitati vestræ probaturum confido. Quare ut talem philosophiæ exercitationem, talemque eloquentiæ & philosophiæ conjunctionẽ vobis approbem, primúm cõtrariis adversariorũ & malorum Academiæ Geniorum calumniis breviter respondebo: deinde pleniús de vera totius caussæ natura disputabo. Quid ergo cõtra istam philosophiæ institutionem & exercitationem dicit accusator? Quas calumnias malus Academiæ Genius illi suppeditat? Antea libidinem & fraudẽ contra discipulos præbuit, nunc contra disciplinã ipsam quid præbebit? Dicet me ista institutione omnes artes cõfundere, distinctiones artium nescire, veram dialecticæ exercitationis materiam contemnere, verum Dialecticę artis usum fugere. Ergo ut artium

confusionem in hac institutione doceat, quid faciet? Leges Academiæ nomine ipse faciet, & á se factas allegabit. Confundis igitur, ait ab eo instructus accusator, artes, quia eloquentiam cum philosophia permisces, & in eo Academiæ leges evertis. Quæ lex unquam, Deum immortalem, in terris extitit, quæ rem tam laudabilem tamque salutarem damnaret? & quæ talem multiplicis usus cõjunctionem, artium confusionem appellaret? Anno, inquit, superiore lex facta est, ne Grammatici supra philosophos, neve philosophi supra Grammaticos quicquam usurparent, sed suis se finibus singuli continerent. Lex ista antiquo sermone nescio quo Grammaticorum nomine, etiam Rhetoras intelligit, & vulgo in facultate artium duo tantúm ordines Grammatici & philosophi nominantur. In hac itaque lege accusatoris nostri aheneus quidã murus est. Leges Academiæ, dico disciplinę mihi dominas esse. At Academię leges contra nos accusator adhibet. Quo me vertam, Judices? qua via his me malis expediam? Dico me Academię discipulum, imó defensorem & patronum: accusator, eversorem esse me productis legibus arguit. At ego nego hanc Academiæ legem esse, & si maximé lex esset, nego mé legi non obtemperare. Etenim, Judices, eorum est in Repub. leges condere, quorum est de lege benemeritis præmia proponere. Academia suscipit á Regibus nostris, á Põtificibus Romanis honestorum studiorum præmia, non á malis nescio quibus Geniis accipit. Tales sunt Academiæ verę leges per Simonem, Joannem, Ægidium, Gulielmum Cardinales sedis apostolicæ

ſtolicæ Legatos ex voluntate Regum noſtrorum de moribus, diſciplina, tota denique Academia facta. Ergo legem Academiæ eſſe nego, quæ ſine authoritate Regum noſtrorum & Pontificum Romanorum paucorum coitione facta ſit: nec enim publicis & centuriatis comitiis promulgata lex eſt. Ego unus Academiæ celebris & antiqui, & licet exiguis, attamen Regum Pontificumque privilegiis ornati gymnaſii magiſter, & quidem authoritate veſtra, Judices, inſtitutus, ad hujus promulgationem legis, quæ tota contra me ferebatur nunquam appellatus ſum. Attamen, vide accuſator, quantum tibi largiar & concedam, legem hãc accipio: & quanvis lex nulla ſit, juſtiſſimam ſanctiſſimamque legem, & Academia Pariſienſi digniſſimam, & nobis votis omnibus, ad noſtræ inſtitutionis & diſciplinæ confirmationẽ, vehementer optandam judico: quam conjungendis eloquentiæ & philoſophiæ ſtudiis non modó non violamus, ſed in tot Academiæ noſtræ gymnaſiis ſoli tenemus & obſervamus, in eaque antequam lata eſſet, excolenda, maximos labores maximaſq; contentiones ſuſtinemus. Deus Opt. Max. mentes hominum exuſcita, & tanti tamque funeſti veterni ſtuporem diſcute. Quid eſt, accuſator, ſi Grammaticæ uſum cum rhetoricis ſtudiis conjungo, videorne tibi Grammaticam cum Rhetorica cõfundere? Minimé opinor. Priús enim Grammaticam docuerim, nunc uſum tantúm retineam: regulas illius artis, cum hujus artis regulis non cõfuſé doceam, non permiſceam. Cur igitur hoc tempore Grammaticam aut Rhetoricam cum philoſophia

tibi confundere videar, cúm earum disciplinarum decreta multó anté tradiderim, facultatem tantúm & fructum modó reservem? nullas earum præceptiones cúm Dialecticæ præceptionibus perturbem? Sed artium distinctiones nescio: in Dialectica fortasse decipior, & amore ejus artis longius á vero deducor: Dialecticam sic amo, ut omnibus hominibus non solúm facilem & commodam, sed speciosam & venustam videri cupiam: imó omnes homines natura sua dialecticos esse persuadeam: nec intelligo alios aliarum esse artium homines, poëtas esse grammaticos, oratores rhetoricos, philosophos esse dialecticos. Itaque cúm in dialecticis studiis poëtas & oratores adhibeo, Grammaticam & Rhetoricam cum Dialectica permisceo & confundo. O me miserum! In quos homines, in quæ ingenia incidi? O vani & inanes labores mei! Tot annos publicé de artium liberalium distinctione disputavi, tot libros ea de re conscripsi & publicavi: horum tamen noster delator (qui sese summo Academiæ loco dignum censet, ideoque vigilantia, scilicet, solicitudine, providentia nos plebeïos longé superat) horum, inquam, librorum ne literam quidem cognovit, legit, audivit. A perdito illo Genio fortasse didicerat, rationes quasdam subtiliores & callidiores ad obtinendum (quem falsa opinione sibi finxerat) Academiæ principatum attinere: literarum, eloquētiæ, philosophiæ veram, perspicuam, distinctam notitiam ad publicos honores attinere, ex illo erroris magistro percipere non poterat. Etenim tot animi contentionibus elaboravi, ut docerem, tres artes,

tes, Grammaticam, Rhetoricam, Dialecticam, generales, universales, omnium denique hominum rerumque communes esse: homines, rationales animantes esse, ideoque naturâ sua dialecticos esse: homines patrio quodam sermone esse præditos, quo non solúm sensa mentis exprimerent, sed exclamando, aversando, communicãdo, simulando, varios affectus varié promerent: ideoque natura sua grammaticos & rhetoricos esse. Sed ad illa naturæ initia præceptis sapientum magistrorum accedentibus, vigiliis, sudoribus, studiis, exercitationibus adjunctis quamplurimis, Grãmaticos, Rhetoricos, Dialecticos excellentiores effici: nec has artes hominibus bene distingui: quasi sit hæc poëtæ, illa forensis hominis, alia philosophi, sed homines artibus variis, tanquam coloribus pingi: quodque poëta, forensis orator, philosophus puris verbis & propriis utantur, Grammaticos esse: quod modificatis & figuratis, Rhetoras esse: quód rem firmis argumentis, quód certis enuntiatis, syllogismis & clara methodo differant, Dialecticos esse: perge etiam latius si lubet: quód ethicum, mathematicum, naturale aliquid exponant, ethicos, mathematicos, physicos esse: & quemadmodum singulas virtutes non necesse sit alias in aliis esse, sed esse possit idem & prudens & justus & temperatus & fortis: sic artes, id est, mentis dotes & virtutes, nulla necessitate disjungi: imó veró summa societate inter se copulari, & naturali quodam vinculo connecti. Has, inquam, disciplinarum naturales origines, & ex suis præceptis distinctiones, ex mutuo usu conjunctiones elaboravi. Nihil hoc ad

utilitatem, nil ad dignitatē ſpectare Genius exiſtimabat, ideoq; ſpretum & contemptum eſt. Itaq; cúm de his rebus cogitur tandem per vos aliquid audire, ex terris novis cõfictas fabulas ſe putat audire: & cúm dico artium, ſicuti moralium virtutũ, ſemina noſtris animis á natura inſita & ingenerata eſſe, homineſque naturá eſſe Grammaticos, Oratores, Philoſophos, perinde dici putat, ac ſi dicerẽ eſſe alatos, monopodas, hippocentauros: nec putat Demoſthenem & Ciceronem, quia fuerint oratores, argumento, enuntiato, ſyllogiſmo, methodo uſos eſſe, id eſt, Dialecticos fuiſſe: ideoque ſi poëtam vel oratorem (ut ardeliones ſunt improbi Genii) publicé declarandum forté ſuſceperit, poëtam quemvis & oratorem ſine argumento, ſine pronuntiato, ſine ſyllogiſmo, ſine methodo eſſe clamabit, & ſe potiús aſinum eſſe confirmabit, quã poëtam vel oratorem eſſe dialecticum. Quamobrem tollatur iſta mali Genii calũnia, vel potiús imperiti obtrectatoris hebes & infans ignorantia. Poëtas & oratores ad dialecticas exercitationes adjungis: Grãmaticam igitur & Rhetoricam cum Dialectica confundis. Nec enim doceo in illis authoribus quomodo declinanda nomina ſint, quomodo conjuganda verba ſint, quomodo inter ſe conſtruenda & componenda, quomodo proferenda aut ſcribenda, quod eſſet Grammaticæ: nec doceo quid ſit tropus, quid figura, vel in verbis, vel in ſentẽtiis: qui geſtus & vocis ſint modi, quod eſſet Rhetoricæ: non, inquam, Grammaticas illas vel Rhetoricas regulas hoc tempore in poëtis & oratoribus doceo: antea docui, & cognitas huc & uſitatas

usitatas attuli: sed dialecticarum laudum genera & exempla doceo, quod authorum sit in argumentis acumen, quæ sit in enuntiatione veritas, in conclusione prudentia, quantum sit in ordine rerum & quàm perspicuum lumen: idque cúm facio, extra Dialecticæ professionis terminos excedere me pernego, imó veró in medio campo versari me prædico, earumque segetum copiosissimã & uberrimam messem metere, quarum in regulis artis rara & arida grana consperſa sunt. Sed Genius urget & ad ministrum suum consolandum, ignorantiã nova impudentia comitatã adhibet, & per eum de vera Dialecticæ exercitationis materia disputat. Fac, inquit, poëtas & oratores Dialecticos esse, nõne in Logica, Physica, Ethica, magis Logicus est Aristoteles, quã Virgilius in Æneïde, aut Cicero in quavis oratione? Igitur ad exercendũ Dialecticę usum, Aristoteles poëta vel oratore quovis aptior & utilior. Rectè & veré Terentianus ille Mitio, Judices:

Homine imperito nunquam quicquam injustius:
Qui, nisi quod ipse facit, nihil rectum putat.

Gallonius quidam, honestę disciplinæ inimicus, ut apud Ciceronẽ de Finibus est: Sed qui ad voluptatem omnia referẽs vivit, ut Gallonius, loquitur ut frugi ille Piso, inquit. Cũ hoc Ciceronis Gallonio, Judices, contentionem mihi esse fingite. Quid est, Galloni? quid ais? λογικώτερον ais Aristotelem esse in Logica sua, quã Virgilius sit in Æneïde aut Cicero in oratione? Quid ita? quia Logicæ artis regulas in Logica Aristoteles explicat, Virgili⁹ in Æneïde nó

explicat, Cicero in oratione non explicat. Ego cõcedo antecedens, doctiſſime Galloni: quod tamen hinc efficis, conſequens eſſe nego: Logicas regulas tradit Ariſtoteles in Logicis: ergo in Logicis eſt λογικώτερος quovis alio regulas artis non tradente. ſyllogiſmum tuum tortuoſum & fallacem tuique ſimilem eſſe dico: antecedente vero falſum concluditur. Quid ita? quia Logica facultas non tantũ arte cõſtat, ſed multó magis natura & exercitatione. Priſcianus Grammaticam artem collegerit ex Virgilio & Cicerone, & Grãmaticas regulas ſolus tradiderit: an iccirco Priſcianum Virgilio & Cicerone γραμματικώτερον facies? Minimé. Ars enim, imago picta tãtúm eſt, cujus veritas ipſa in natura & uſu vivit & viget. An non eloquentiorẽ cenſes in orationibus, quám in eloquentię præceptis, eſſe Ciceronem? non excellentiorem poëtam Virgiliũ eſſe in Æneïde, quám ſit Horatius in explicanda poëmatis hujus arte? Non igitur quia Dialecticas regulas Ariſtoteles in Logica tradiderit, ideo διαλεκτικώτερος eó tibi ſit, qui ipſis regulis utatur: uſus enim ad bonam naturam adjunctus, adjuvatur arte: ſed ars de hujus facultatis partibus minimam laudem habet. Phormio de re militari diſputat coram Annibale: hoc Antiocho ignavo homini mirum fuit, Annibali in armis & prælíis nato, & tot annos ſumma gloria verſato ridiculum. Ergo, ſubtiliſſime diſputator, cúm ſic argumentaris, Plus eſt logicæ artis in logico Ariſtotelis Organo, quam in Virgilii poëmate, in Ciceronis oratione: ergo Ariſtoteles eſt ibidem λογικώτερος. ſophiſma eſt á parte ad totum, id eſt, ut vulgó loquimur, á dicto ſecundúm

dum quid ad dictum ſimpliciter: tanquam ſi dicéres, Homo pictus, ergo homo: Logica enim ars, picta tantúm Logica eſt: nec ubi partis hujus pictę plus eſt, ibidem & totius vivi plus erit. Addo etiã in Dialectica arte explicanda Dialecticæ ipſius artis aliquem eſſe uſum, id eſt, Dialecticam Dialecticé tractatam & expoſitam: ut enim Grammatica, niſi Grammaticé, id eſt, puris & propriis verbis ſine barbariſmo, apta ſyntaxi & congrua, ſine ſolœciſmo ſcripta ſit, ars quidem Grammatica non eſſet. & in docenda arte idipſum pueris eſt commonſtrandum: ſed exiguus Grammaticæ in illis præceptis uſus eſt, uberior longé & plenior eſt in copioſis exemplis eorum hominum, ex quorum authoritate ars ipſa collecta ſit: Grammatica nobis ex obſervatione Ciceronis & Virgilii facta eſt, & ad eos intelligendos eſt referenda, ut eorum ſimiles efficiamur. Ita tibi reſpondeo, niſi Dialectica certis cauſſis argumentiſque reperta ſit, niſi vero vel enuntiationis, vel concluſionis judicio probata ſit, niſi perſpicua methodo digeſta ſit, Dialecticam veram non eſſe, in eaque explicanda & declaranda pueros iis de rebus admonendos eſſe. Ex naturali hominum inventione & diſpoſitione, Dialectica deducitur: argumentorum enuntiatorum, ſyllogiſmorum, methodorum genera omnia naturalia ſunt, his docti utuntur & indocti, ſed aliis meliús & certiús alii: id notatum & animadverſum eſt, & ars inde facta. Ergo ut in Grammatica, ſic in Dialectica, cúm locos artis quaſi rivulos cognoveris, ad fontem revertare, Analyſim adhibe, ad illa varia naturæ & multiplicia in ſummis

hominibus exempla recurre : Geneſim adhibe, ſcribendo, declamando, eorum dialecticas virtutes imitare, in alio genere omnes virtutes artis exprime. In Ariſtotelis arte, unius præcepti unicum exemplum eſt, ac ſæpiſſimé nullum : ſed unico & ſingulari exemplo non poteſt artifex effici, pluribus opus eſt & diſſimilibus, Geneſi etiam opus eſt. Et quidem ut Ariſtotelis exempla tantummodó non falſa ſint, qualia tamen ſunt? Omne b eſt a : omne c eſt b : ergo omne c eſt a. Exemplũ Ariſtotelis eſt puero á Grammaticis & Oratoribus venienti, & iſtam mutorũ mathematicorum linguam ignoranti, novum & durum : & in totis Analyticis iſta non Attica, non Ionica, non Dorica, non Æolica, non communi, ſed Geometrica lingua uſus eſt Ariſtoteles, odioſa pueris, ignota populo, á communi ſenſu remota, á Rhetoricæ uſu (quem retinere tamen volumus) ab humanitatis uſu (quem cõfirmare Dialectica cupimus) alieniſſima. Ex his enim geometricis exemplis, διαλεκτικώτατε Galloni, quem potes humanæ diſputationis uſum deducere? Quod geometræ neceſſitate, cúm lineamentis vocabula deeſſent, coacti ſunt facere, id nos in Dialecticis, cúm tanta bonorum & naturalium exemplorum ſit copia, quid neceſſe eſt facere? Virgilianis igitur & Ciceronianis id eſt, humanis & popularibus exemplis idem faciẽtibus potiús, quám illis abecedariis figmẽtis utar. Quorſum, inquit accuſator? Nonne logicæ artis uſus, qui primó in fictis literarum exẽplis demonſtratus eſt, melius in Ethica & Phyſica Ariſt. doctrina demonſtrabitur : Eſt enim Logica in philo-

philoſopho ſubtilior & perfectior, quám in poëta vel oratore. Reſpondeo igitur, & cõtra te afferam cauſſam facilitatis, ſuavitatis, utilitatis. At cúm puero ad uſum Logicæ artis, Ethica Ariſtotelis aut Phyſica propones, duplex labor hic erit, alter in artificii Logici: alter (& quidẽ per ſe graviſſimus) in rerum Ethicarum & Phyſicarũ perceptione. Itaque

Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.

Ac ſi in Logico ſtudio nulla niſi Logici ſtudii cura ſit, quantó facilior meditatio fuerit? Cúm Grammaticã exercemus in poëtis & oratoribus, nihil præcipué niſi Grammaticum artificium tractamus: Rhetoricum, Logicum, Ethicum, quanvis in eodem exemplo ſit aliquid, tamen id præcipué non proponimus Grammaticæ diſcipulo: & quanvis grammaticus uſus præſtantior ſit in oratione Cic. pro Milone, quám in epiſtolis ejus ad uxorem Terentiam, tamen longas illas periodos rudi & novitio diſcipulo non potiús objiciam, quám hæc curta membra vel inciſa. Et ut Grammaticam annos aliquot in poëtis & oratoribus ſolúm exercemus, ſic in iiſdem unum ſaltẽ annum Logicam retineamus, poſtea ad graviora illa philoſophici operis exempla traducemus. Facilitas & voluptas in iis oratoriis & poëticis fabulis longé major erit: quia puer in quibus authoribus Grãmaticam percepit, Rhetoricam exercuit, loquendi denique & dicendi facultatem acquiſivit, in iiſdem longé faciliús, jucundiús, utiliús dialecticũ uſum percipiet, exercebit, acquiret: eorum magiſtrorum lingua illi jam domeſtica & familiaris

eſt:in eo minimé laboratur,in dialectico duntaxat artificio mens adoleſcentis magna cum voluptate præteriti laboris retinetur & occupatur.Grammaticos & Rhetoricos fructus in illis hortis antea collegerat, in eiſdem Dialecticos demũ colligit,& ejuſdem loci ſingularẽ quandam fertilitatem ſuſpicit & admiratur:& Grammaticis Rhetoriciſq; voluptatibus adjunctis,dialecticos labores multó libentiús jucũdiuſque ſuſcipit. Qua ratione Lucretius ait ſe philoſophiam verſibus eſſe perſequutũ:

Sed veluti pueris abſynthia tetra medentes
Cúm dare conantur, priús oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoque liquore,
Ut puerorum ætas improvida ludificetur,
Labrorum tenus interea perpotet amarum
Abſynthi laticem,deceptaque non capiatur:
Sed potiús tali facto recreata, valeſcat.
Sic ego nunc ,quoniam hæc ratio plerunque videtur
Triſtior eſſe,quibus non eſt tractata, ideoque retroq;
Vulgus abhorret ab hac, volui tibi ſuaviloquenti
Carmine Pierio rationem exponere noſtram,
Et quaſi Muſæo dulci contingere melle.

Ergo poëticę rhetoricæq; veneres,Dialecticæ ſtudium,alioqui per ſe rude & aſperum, gratius & amabilius efficiunt.Imó veró etiam longe commodius & utilius efficiunt:etenim ut rhetoricis exercitationibus Grammaticam confirmari augerique diximus: ſic eloquẽtiam Dialecticis ejuſmodi ſtudiis uberiorem copioſioremque reddi neceſſe eſt, etiam ſi de induſtria id minimé conſectêre. Quẽadmodum enim, ut cum Antonio loquar, cúm in Sole ambulamus,etiam ſi aliam ob cauſſam ambu-

lemus

lemus fit naturâ tamen ut coloremur: ſic cúm Dialecticas meditationes in eloquentibus & diſertis authoribus adhibebimus, & eorum more diſputare & argumentari conſueſcemus, ſentiemus etiam orationem noſtram rhetoricis eorum virtutibus ornari & quaſi colorari. At, hæc gratuiti fructus utilitas, in philoſophicis Ariſtotelis nobis deerit, præſertim ut mores noſtri ſunt: cúm Latiné converſus legetur. Quare Dialecticam Dialecticé quidem declaramus & explicamus, quám ſuis legibus congruenter & apté facta ſit: in poëtis autem & oratoribus, facilitatis, voluptatis, utilitatis cauſſa primúm ejus uſum tractamus & exercemus. Itaq;, Galloni, vides in poëtis, in oratoribus, exercendæ Dialecticæ materiam faciliorem eſſe, quám ſit in Logico Ariſtotelis Organo, in Ethicis, in Phyſicis, teque hîc valdé obtuſum eſſe. Quare deſine de iis artibus, quas ignoras, cũ magiſtris eruditis & exercitatis certare: te enim ſubitó quanvis impudentẽ, tamen conturbarent: quanvis in callidioribus artibus exercitatum, tamen ſupplantarent & perverterent. Sed malus Academię Genius nobis hîc alia quadam facultate ſua abutitur, é Gallonio fit Æolus: tempeſtatem aliquam faciet: non intellexit ea quę antea tam perſpicué de arte deque artis uſu, & in expoſitione facultatis artium, & in proxima refutatione docui: gymnaſiarchos omnes cõcitat & commovet. Perimus, inquit, viri patres, ſi Ramus iſte diutius vivat, reſiſtamus. Nõne vetus & antiqua docẽdæ philoſophiæ forma bona eſt? eam tollit. Nonne puéri diſputationíbus multúm acúuntur & bene proficiunt? Iſte diſputationes tollit: de-

nique unus ſua nova diſciplina omnes diſcipúlos Academię ad ſe trahit:ſolítudo erit in veſtris ſcholis,niſi cavéatis. Itaque, viri patres,pro Academiæ utilítate & dignítate,vos viros oſtendîte.Iſtis ventis (argumentis dicere volueram) iſta tam terribili quantitate emiſſis, Judices, edictum protinus exit ab Æolio principe,ut vetus forma ſervetur,& Ramus ſine mora condemnetur. At ventorum & tẽpeſtatum Æole,ego veterem iſtam formam ſervo: quod una hora in philoſopho quotidie prælectũ eſt,duabus horis,ſæpe etiam tribus,quinta ad ſextam,& veſpertinis exactionibus diſputo:feſtis diebus altercationes his de præceptis & regulis tres horas integras pomeridianas continuo:nec ullum in tota Academia gymnaſium eſt,ubi magis iſte labor, non dico laudetur & probetur, ſed tractetur & adhibeatur:& quicquid acuminis & ſubtilitatis hinc erui poteſt, nos eruimus, teque & tuos iſta diligentia infinitis partibus ſuperamus:ſed ut artifices ſimus,artis regulas quanvis ſtudioſé auditas, quanvis accuraté acriterque diſputatas, ſatis eſſe non putamus, Analyſeos & Geneſeos uſum conjungimus. Ut Muſici ſimus, non tantúm Muſicæ regulas noſſe volumus, Muſicos cantantes audire volumus, cantare etiam volumus: ut pictores ſimus,non Apellis tantúm libros legere volumus, ſed Apellis opera cognoſcere volumus,ſed imitari pingendo, & perfectiora etiam facere contendimus.Sedet igitur ventos ſuos Æolus & reprimat, in antrũ & ſpeluncam & ſe ventoſq; ſuos recludat:

—*illa ſe jactet in aula*:

nobis otii noſtri tranquillitatem non eripiat. Verum-

rumenimveró, Judices, patientia veſtra fortaſſis abutor: in nugis & ineptiis refellẽdis nimiúm diu moratus ſum, ad majorem & veſtris animis gratiorem contentionẽ veniamus: mali Genii malos impetus perfregimus, de cauſſa ipſa ejuſque ratione jam potiús agamus: diſciplinam noſtram non crimine tãtúm liberam, quod adhuc fecimus, ſed laude dignã eſſe doceamus. Ego veró, Judices, de noſtra inſtitutione tria confirmo, Academiæ legibus in primis conſentaneam, deinde ſingulari utilitate vehementer optãdam, poſtremó facilitate promptam & expeditam, ideoque laudandam eſſe, amplectendam, celebrandam. Quamobrem primúm de legum noſtrarum voluntate & ſententia, ſecũdo loco de utilitate, poſtremó de facilitate dicã. Ego veró, Judices, leges Academiæ noſtræ & veteres & recentes exquiſivi, legi, perſpexi: nullam unquam reperi, nullam cognovi tam contrariam commodis Academiæ, tamque adverſam, quæ Dialecticæ uſum, quæ philoſophiæ reliquæ lumen cõdemnet, quæ hominibus humanitatem deneget. Nego ullam eſſe Academiæ legem, quæ noſtram inſtitutionem improbet: imó & veteres & recentes Academiæ leges, diſciplinæ noſtræ magiſtras habeo. Agedũ, leges Academiæ recitemus, audiamus, penituſq; cognoſcamus: utrum philoſophiæ exercitationem, & ex conjunctis eloquentiæ ſtudiis lumen & illuſtrationem prohibeant, non potiús quantúm natura temporũ, quibus factæ ſunt, conditioque tulit, commendent. Etenim leges trecenteſimo feré abhinc anno factæ, grammaticos authores cum philoſophicis libris explicandos in

philoſophicis ſtudiis imperant. Nam philoſophici curriculi primo anno poſt ſextũ á Remigialibus menſem, Priſcianus major & minor legendus imperatur: ſecũdo anno, Priſcianus de accẽtu & quidã Barbariſmus: Priſcianus autẽ, qui major in lege nominatur, Priſcianus eſt Grammaticus de partibus orationis: minor veró eſt idem Priſcianus de ſyntaxi: de accẽtu titulus adhuc in opere ipſo permanet. Priſcianũ hoc modo nominatum, cõmentis cujuſdam Joannis Aingrei diſtinctum, Venetiis anno milleſimo quadringenteſimo octogeſimo octavo, pridie Non. Decẽbr. impreſſum, diu quęſitum, tandem reperi: Barbariſmum reperire non potui. Sed age, legem ipſam Grãmaticos cum philoſophis conjungentẽ breviter, ſicut antea fecim⁹, & quidem ipſius feré verbis comprehendamus.

Libros Logicæ *veteris*, Porphyrii, Prædicamentorũ, περὶ ἑρμηνείας, *diviſionum &* Topicorũ Boëtii, *excepto quarto, á* Remigialibus *ad diẽ* Annuntiationi *feſtũ prælegito.*

Prælectionem Priſciani *majoris & minoris*, Topicorum *&* Elenchorum, Priorum *&* Poſteriorum, *æquali tempore terminato.*

Ethicorum quatuor primos libros, duodecim hebdomadis, ſi cum alius legas: ſi ſolos ſine alio authore, dimidio tempore abſolvito.

Sex principia, Barbariſmum, Priſcianum *de accentu, ſex hebdomadis doceto.*

Phyſicam Ariſtotelis, Metaphyſicam, *librum de animalibus, ad* Divi Joannis Baptiſtæ *diem concludito.*

Libros cœli & mundi & meteororum cum quarto, in Aſſumptione finito.

Librum de anima, ſi ſine naturalibus, in feſto: ſi cum natura-*

*naturalibus, in feſto**: *De generatione, in Cathedra ſancti Petri: de cauſsis, hebdomadis ſeptem: de ſenſu & ſenſibili, ſex: de ſomno & vigilia, quinque de plantis, quinque, de memoria & reminiſcentia, duabus: de differẽtia ſpiritus et animæ, duab*9*: de morte et vita, una cõcludito.*

Quemlibet propoſitorum librorum, qui ſolum & per ſe legerit, dimidio tempore perlegito.

Qui alio tempore quám á Remigialibus incœperit, æquali tamen & pari tempore deſcriptarum prælectionum curſum conficito.

Hæ ſunt leges noſtræ, Judices, de triẽnio philoſophici tẽporis, deq; libris eo tempore pręlegẽdis: in quibus videmus Grãmaticos cum philoſophis conjungi. Verũenimveró priſcas leges & exoletas repeto, novas fortaſſis omitto. Ergo leges recẽtiores cõſiderem9. Anno domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo, Gulielmus Totavillæ9 Cardinalis (de quo jam dixi) recitatã illam á nobis & productam legẽ retinuit & laudavit: quinetiam novos Grammaticos & poſtea natos, Gręciſmum, authorem de Græca non deteriús, quám de Latina Grãmatica meritũ, & Alexandri Doctrinale adjũxit: & quanvis, uti veteres leges ante logicum ſtudium pueros in grãmaticis præceptis mediocriter, & ut ipſe loquitur, competenter eruditos eſſe velit, tamen ante bienniũ philoſophici curriculi cõpletum, & ante baccalaureatus examen, pręcipit in grammaticis abſolutiús & perfectiús informatos eſſe, & in illo primo examine candidatos laureæ philoſophicæ, de arte grammatica jubet interrogari, ut ſi qui barbare loquentes inveniantur, repellantur. Legem de grammaticis recita:

Ad Logicas artes, nisi prius in grammaticis competenter edoctum, neminem admittito.

Ad Determinantias, nisi Doctrinale & Græcismum audiverit, neminem recipito.

Non solùm Logicæ, sed congruentiæ grammaticæ, severo examine fidem capito.

Barbaré loquentem, baccalaureatu repellito.

Hæ leges, Judices, non modó permittũt humanitatis & philosophiæ conjunctionẽ, sed imperant & præscribunt, nobisq; authores humanitatis eos proponunt, quos ea tempora noverant: meliorũ & præstantiorum authorũ (si quos aliquando meliores & præstantiores Deus excitasset) explicationẽ liberã nobis reliquerunt: triẽnio, omnium descriptorum librorũ prælectionem, si modó cum aliis legerentur, si per se ac sine aliis, sesquiãno, triennii quippe dimidio, concluserunt. Alios igitur hos authores, quos lex nominatim non exprimit, quæ Priscianum, quæ Barbarismũ tamen exprimit, cur non ad laudem legis, præstãtes eloquentiâ scriptores & excellentes poëtas & oratores potiús intelligam, quã bardos sophistas, qui nondum extiterãt ad calumniam legis malitiosé cõfingam? Ergo lex meliora, quæ sperari poterãt, in spe temporis ac libertate nostra constituit, non prohibuit: bona quę tum habuit, ea nobis distribuit: Rhetoricæ ne nomen quidẽ ullum tum extabat: Cicero tũ delitescebat & oratoria ejus opera seculo nostro é pulvere nescio quo vix tandem eruta sunt. Caligo quędam liberalium artium propter assiduas bellorum clades & ruinas, & Christianorum cum Saracenis, & ipsorum inter se Christianorum exitiabiles discordias,

ſcordias, per orbem terrarum pervaſerat. Quo tempore, ut ille vetus ait poëta,

Tollitur é medio ſapientia, vi geritur res,
ſpernitur orator bonus, horridus miles amatur.

Atq;, ut victores victis pro libidine ſolutius imperent, perſæpe victorũ populorum ſcriptas hiſtorias, religiones, leges, totas deniq; ipſarum literarũ & diſciplinarũ cuſtodes bibliothecas nunquid incendunt? Nẽpe ſic in Italia Gotthi tot ingeniorũ, totque ſeculorũ labores incẽſis bibliothecis extinxerunt. Sic in illa omnis humanę ſapiẽtiæ procreatrice Græcia, Turci ſublatis etiã gymnaſiis, ſcholis, & omnino literarũ omnium ſtudiis, infinitarũ rerum memoriã ſcientiamq; aboleverunt: ſic noſtri declarãt annales, tẽpore Caroli Magni, magnã quidem fuiſſe rei militaris gloriã, ſed iidẽ certé teſtantur tantã literarũ & diſciplinarũ ignorantiã fuiſſe, ut ex ultimo Septentrione neſcio quibus vẽtis huc ejecti, velut inſtitores mercis cujuſdam novæ, & Gallis inauditæ, venalẽ ſcientiam in Gallia proclamarent Joãnes Mailroſius cognomine & natione Scotus, Claudius Clemẽs, natione itẽ Scotus. Qua voce Carolus Magnus attonitus, & tandẽ per illos ſcientię mercatores monitus, & per eorum condiſcipulum Flaccũ Albinum (qui & Alcuinus Diaconus dictus eſt) doctorem ſuum impulſus & incitatus, fundamenta hujus ampliſſimæ, & omniũ Academiarũ reginæ Academię anno ſalutis prope ſeptingenteſimo nonageſimo ſecundo tum primúm poſuiſſe memoratur.

Quippe magis Martem, quám Pallada Carole, noras,
Curaque finitimos vincere major erat.

Ac ſecula, quæ deinde ſecuta ſunt, non multúm literis fœliciora beatiorave fuerunt donec capta Conſtantinopoli, Turcicam ſeruitutem fugiẽtes, Laſcaris, Beſſario, Gaza, Trapezũtius, ac plerique præſtantibus & nobilibus ingeniis homines, alii in Italiam Galliamque venerint: qui cúm eſſent & patria & magnis opibus facultatibuſque ſpoliati, coacti ſunt veluti Corinthi ludum aperire: Itaque quia fortunæ potentia non poſſent, ingeniorum ſuorum virtutibus, id eſt, ingenuis artibus & literis, novo quodam novi regni atq; imperii genere, regnare & imperare cœperunt, & Latinos homines, non Græcas ſolúm, ſed Latinas etiam literas docere. Ergo, Judices, divina quædam lux novorum temporum, novarumque literarum actu, túm per eos Dei angelos nobis affulſit. Quamobrem ne longiús aberrem, veteribus illis legumlatoribus magnæ gratiæ habendæ ſunt, quód in illa tanta tamque tetra nube temporum, tam ſalutare conſilium, tamque formandæ juvẽtuti conſentaneum ſecuti ſunt. Viderant philoſophiam ſine aliquo humanitatis ornatu agreſtem & odioſam fore, Rhetoricam neſciebant, imó ne cogitabant quidem: Itaque quanvis Grammaticæ regulas anté pueris traditas eſſe vellent, quám ad philoſophiam deducerentur, attamen ut grammaticæ orationis puritate & elegantia quadam pauló majore, philoſophia cultior pueris & elegantior traderetur, ejus puritatis & elegãtiæ magiſtros & præceptores, quos tum potuerunt, philoſophiæ ſtudiis adjunxerunt. Leges Academiæ, quæ de his rebus quicquam vel præcipiant, vel

prohi-

prohibeant, nullæ præterea ſunt. Nam quod anno ſuperiore (ſi tamen contra leges authenticas Regum & Pontificum quicquam ferri potuit) latum eſt, ut continua textus Ariſtotelici lectio fiat: nos facimus. Unam enim, ut antea jam dixi, horam non interruptam, non rebus aliis impeditam, ſed continuam & perpetuam, in ea prælectione quotidie ponimus, & perſequimur ad extremũ. Quare ſi Priſcianũ Grammaticum & majorem & minorem, ſi Priſcianum de accentu, ſi Barbariſmũ, ſi Græciſmum, ſi Alexandrum de villa Dei, cum philoſophicis libris in philoſophico curriculo diſcipulis meis explicarem, legibus Academiæ tamẽ obtemperarem. At, Deus Aeterne Maxime, maximas tibi gratias debemus & habemus, quód pro vix plumbeis illis veterũ Grammaticorum rivulis, aurea Ciceronis, Virgilii, Demoſthenis, Homeri flumina nobis effuderis, & ſingularem quandam gratiæ tuæ lucem noſtris temporibus accenderis. Majores & patres noſtri, legibus ſuis id nobis optaverunt, quod tu donaſti: nobis in obſcura nube indicarunt, quod in clariſſima luce collocaſti: philoſophiæ uſum & fructũ cõjuncta Grãmaticorum elegantia nitidiorẽ facere voluerunt, tu poëtarũ & oratorũ graviſſimis & ornatiſſimis exemplis uberrimũ & abſolutiſſimũ dediſti. Docuimus hactenus, Judices, quemadmodum cauſſam noſtram leges Academiæ tuerentur & agerent, & inſtitutionem noſtram ſuæ voluntatis velut alumnam ſuſciperent & agnoſcerent. Sed ne in ferendis legibus, majorum noſtrorum voluntas magis laudari poſſit, quám ſapientia pro-

bari dicã, Judices, & veré dicam, iſta humanitatis & Philoſophiæ conjunctione, quám majorum noſtrorum leges imperant, ſummorum hominũ & Ethnicorum, & Chriſtianorum ſententiam judiciumque contineri. Vultis igitur hos ideo noſtræ legis aſſertores & vindices proferam? Etenim, ut de Ethnicis primúm dicam, veterẽ quidem illam Græcæ ſapientiæ doctrinam conſtat in conjuncto & rectè philoſophandi ac vivendi, & bene atque ornaté dicendi uſu fuiſſe cõſtitutam: ut ille apud Homerum Phœnix, qui ſe á Peleo patre Achilli juveni comitem eſſe datum dicit ad bellum, ut illum efficeret oratorem verborum, actoremque rerum.

Πῶς κ' ἐπειτ' ἀπὸ σεῖο φίλον τέκος οἶδα λιποίμην
Οἷος. σοὶ δὲ μ' ἔπεμπε γέρων ἱππηλάτα Πηλεύς,
Ἡμαπ τῷ, ὅπε σ' ἐκ Φθίης Ἀγαμέμνονι πέμπε
Νήπιον, οὔπω εἰδότ' ὁμοιίου πολέμθιο,
Οὐδ' ἀγορέων, ἵνατ' ἄνδρες ἀριπρεπέες τελέθουσι
Τούνεκά με πρόέηκε διδασκέμεναι τάδε πάντα,
Μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων.

Hac conjuncta cogitandi orandique ratione, ut Craſſus veriſſimé diſputat, veteres in Græcia ſapientes, Lycurgi, Solones, Pittaci nominati ſunt. Atque illos ſecuti Themiſtocles, Pericles, Theramenes, ſimili gloria floruerunt, & civitatibus ſuis conſilio & eloquentia præfuerunt. Rhetores illorum ætati ſuccreverunt. Iſocrates, Gorgias, Thraſymachus, Protagoras, qui magna hominum fama, magnaque laude conjunctum & ſapientiæ & eloquentiæ ſtudiũ tractaverunt. Quorum æqualis Socrates, tametſi diſputationibus ſuis ſapienter

ſentien-

ſentiendi & ornaté dicendi ſciẽtiam ratione quadam ſeparavit, attamen omnium eruditorum teſtimonio, totiuſque judicio Græciæ, cúm prudentia & acumine, tum veró eloquentia, venuſtate, copia, quam ſe cunque in partem dediſſet, omniũ facilé princeps fuit: neque ſermonibus ſuis minús elegantes & diſertos, quám prudentes & acutos diſcipulos effecit. Platonem unum inſtar multorum millium teſtem proferam, cujus non philoſophiæ modó, ſed eloquentiæ tantúm tributum eſt, ut philoſophi Jovem ipſum exiſtimarent, ſi Græcé loqui voluerit, non alio ſermone, quám Platonis, uſurum. Prætereo condiſcipulũ Platonis Xenophontem, cujus ore muſas locutas eſſe ferunt. Quid á Platone formatus & eruditus Ariſtoteles ille ipſe (qui nobis in iſta cauſſa ab imperitis tam vehemẽter opponitur) nonne maximé omnium hominum, qui unquam literarum laude celebrati ſunt, iſtam eloquentiæ & philoſophiæ conjunctionem celebravit? Nam & Alexãdrum Regem non tantúm recõditas philoſophiæ partes, ſed eloquentiam docuit, Homerumque adoleſcentulo Regi tam charum, tamque amabilem reddidit, ut eum ſemper unâ cum pugione ſub pulvino dormiens haberet, atque excitatus, in illo Darii pretioſiſſimo ſcriniolo, tanquam rem rerum omnium chariſſimam reconderet: Athenas veró reverſus Ariſtoteles (ut Cicero & Quintilianus abundé teſtantur) cúm florere Iſocratem nobilitate diſcipulorum videret, oratorias artes pomeridianis ſcholis docere cœpit, cúm matutinis philoſophiam doceret: verſumque quen-

dam de Philocteta pauló ſecús dixit : ille enim ſibi turpe ait tacere cum barbaris, hic autem cúm Iſocratē pateretur dicere . Notum enim illud eſt,

Αἰχρὸν σιωπᾶν μὲν, καὶ Ισοκράτει ἐᾶν λέγειν.

Itaque amavit & illuſtravit doctrinam illam omnem, rerumque cognitionem cum orationis exercitatione conjunxit: In theſi adoleſcentes exercuit, ut non ad imperitorum philoſophorum morem tenuiter & jejuné diſputarent, ſeque aridis aculeis compungerent, ſed ad copiam Rhetorum in utramque partem ornatiús & uberiús dicerēt. Hæc conjuncta eloquentię philoſophiæque exercitatio, aureum illud Ariſtotelis flumen á Ciceronе cantatum nobis effudit: hæc eadem Tyrtamū Ariſtotelis diſcipulum, ex rara quadam & inſolita orationis divinitate, Theophraſtum nominavit: Hæc eadem Peripateticos & Academicos uſque ad Ciceronis tempora Phalereum , Critolaum, Cratippum, Carneadem , Clitomachum, Philonem omni philoſophiæ & eloquentiæ genere præſtantes, aluit & informavit: Hæc una omnes & philoſophos & oratores, pręſtantes & magnos effecit. Cicero certé & Quintilianus eam non ſolúm ipſi in ſuis ſtudiis ſecuti ſunt, ſed multis modis ſequendam eſſe contendunt: illudque cordis & linguæ diſſidium , ſi philoſophiam , alii ſpreta eloquentia , alii ſpreta philoſophia eloquentiam ſectentur , ut abſurdum & inutile reprehendunt . Cicero, á quo græcorum illorum authoritas nobis magnam quidem partem ſuppeditata eſt, poſt longam in Oratorio tertio hac de re diſputationem, tandem ita concludit . Nunc ſive

qui

qui volet eum philoſophũ, qui copiam nobis re- «
rum orationiſque tradat, per me appellet Orato- «
rem, licet: ſive hunc oratorem, quem ego dico «
ſapientiam junctam habere eloquentiæ, philoſo- «
phum appellare malit, non impediam: dummo- «
dó hoc conſtet, neque infantiam ejus, qui rem «
norit, ſed eam explicare dicendo non queat: ne- «
que inſcitiam illius, cui res non ſuppetat, verba «
non deſint, eſſe laudandam. Sed quid unum Ci- «
ceronis locum profero, cúm tota feré oratoria ejus diſciplina ad hanc ſententiam tractandam & probandam referatur, ſine philoſophia inanem & odioſam eloquentiã eſſe, ſine eloquentia philoſophiam rudem & imperfectam? Sed Ciceronis exercitationem & eruditionem potiús operæpretium ſit intueri, ut intelligatur quibus ſtudiis tantus homo, tamque poſt homines natos in horum ſtudiorum laudibus admirandus effectus ſit. Cicero igitur Athenis Romam reverſus, quotidié forum, curiã, roſtra frequentabat, oratorumque, quos in illis locis audierat, exemplo, ſtylum & orationem ſuam domi, adhibitis Rhetoribus & magiſtris, componebat: ejuſdẽ diei diſtinctis horis philoſophũ tamen audiebat: Quinetiam jam ſenex, ac pluſquam ſexagenarius, Ariſtotelicæ inſtitutionis æmulum ſe diſcipulumque eſſe gloriatur. Ejuſdem diei partem philoſophiæ, partem eloquentiæ Ariſtoteles impendebat, ſeque & diſcipulos in utroque genere ſtudioſé & diligenter exercebat. Ad quam nos (ait de ſe Cicero) conſuetudinem á familiaribus noſtris adducti, in Tuſculano quod datum eſt temporis nobis, in eo

consumpsimus. Itaque cúm ante meridiem dictioni operã dedissemus, sicut pridie feceramus, post meridiem in Academiam descendimus. Hoc loco, Judices, permittite mihi Aristoteleos nescio quos philosophastros, qui hac in caussa nos tam vehementer allatrant, excitare, & de tanto, tamque nobili Aristotelis exemplo commonere. Aristoteles eloquentiam philosophiæ conjunxit, vel potiús in eloquentia philosophiam exercuit: hinc Aristotelis eloquentia singularis extitit. Aristoteles discipulos suos in istis artibus simul exercuit: hinc Theophrasti divinus ille orationis & cœlestis splendor emicuit. Petrus Ramus Aristotelis doctrinã sequitur, á philosophis tamen Aristoteles accusatur: admirabiles Aristotelicæ consuetudinis laudes imitatur, á philosophis tamen Aristoteleis condemnatur. O tempora! ô mores! Aristoteleos philosophos appellari, haberi, celebrari, qui Aristotelis philosophiam non modó nesciunt, sed etiam despiciunt, aspernantur, & ejus amatorem, sectatorem, doctorem criminãtur, é scholis ejiciunt, ejectumque quibuscunque possunt pœnis persequuntur. Sed Aristoteleos omittamus, ad Aristotelem disciplinæ tam nobilis authorem, redeamus: ad Ciceronem, Aristotelicę institutionis æmulum & imitatorem redeamus. Quid Quintilianus de philosophiæ & eloquentiæ conjunctione loquitur? tam vehementer certé sententiam illam probavit, ut philosophiam non modó eloquentiæ sociam adjungat, sed nimio quodam hujus conjunctionis amore & studio, eloquentiæ partem, philosophiam statuat:

vehe-

vehementerque & oratorum inertiam objurgat, qui philosophiam contemnunt, & philosophorum insolentiam increpat, qui dicendi imperiti, sibi philosophiæ nomen arrogant. Sed quid gentiles illos Græcos Latinosque philosophos & oratores, eloquentiæ & philosophiæ conjunctione magnam laudem cõsecutos tam multos commemoro? Domesticis, credo, & Christianis exemplis id probare non possumus? ista institutionis gloria tota nostræ religioni, nostris moribus cõtraria est? Verum est scilicet. Dicamus igitur in Ecclesia Græca Basilios, Nazianzenos, Origenes, Chrysostomos: in Latina Tertullianos, Arnobios, Lactantios, Cyprianos, Hilarios, Hieronymos, bonos quidem viros, suæ philosophiæ suæque religionis peritos & studiosos, sed infantes & indisertos fuisse. Basilium dicamus, quia balbutiret, Magni nomen adeptum esse: Chrysostomũ, quia inepté & inornaté diceret, oris aurei laudem meruisse: Hieronymum, quia Ciceronem despiceret, pro Ciceroniano vapulasse: cæterosque doctores illos eloquentiam pro nihilo habuisse, & inutilem ad annuntiandum, interpretandũ, prædicandum Evangeliũ putavisse. At, optime Deus, quam rem unquam hominibus verbi tui præconibus, eloquentia majorem vel efficatiorem tribuisti? Homines simplices & imperitos ad prædicandum publicandumque Evangelium delegisti, sed qui oris tui spiritu afflati, non unam urbem, ut de Pericle suo Græci dictitant, sed totum terrarũ orbem tonarent & fulgurarent, & ad cognitionẽ confessionemque veræ pietatis & religionis ad-

ducerent. Petrus piſcator fuit. At epiſtola ab eo ſcripta non piſcatoris ruſticam mutamque tarditatem, ſed Apoſtoli Legatique divinam gravitatem oſtendit. Paulus eloquentiam græcorum deſpicit: credo ut in quibuſdam levem & loquacẽ, ſed interim cœleſtem eloquentiam exprimit. Nec enim eſt una vis eloquentiæ. Magna graviter & ſeveré, humilia leniter & remiſſé, mediocria ſuaviter & temperaté dicẽda ſunt. Nec eadem Chriſtiani Evangeliſtæ & Oratoris Romani perſona eſt, nec eodem orationis habitu veſtienda. Denique de tam multis Servatoris noſtri miraculis unum præ cæteris ſemper admirabor: quód homines pauló anté rudes & idiotæ, ſancto ſpiritu divinum eloquentiæ munus aſpirãte, linguis omnibus admirabiles Dei laudes tam mirabiliter exprimerent, ut auditor orationis illius, velut aliquo ſydere ſtupefactus & attonitus, hæreret, imó veró ſeſe concionantibus Apoſtolis regendũ ducendumque dederet. Sed eloquentia Petro Pauloque divinitus infuſa eſt: Chryſoſtomo, Hieronymo, cæteris magnis illis religionis Chriſtianæ patronis, multo & artis & exercitationis ſtudio etiam comparata. Quamobrem, Judices, ſi eloquentiam cum philoſophia conjungo, id nulla nova & inaudita ratione facio, ſed ex legum noſtrarum voluntate & ſententia facio: ſed hominũ probatiſſimos, graviſſimos, ſapiẽtiſſimos authores habeo, qui ad hujus cauſſæ patrocinium advocati, facilé ſententias ſuas á vanis hominum & imperitis clamoribus vindicabunt. Veruntamen legum hominumque faceſſat authoritas: nil Homerus,

merus, nil Plato, nil Aristoteles, nil Cicero, nil Quintilianus, nil sanctissimi gravissimique nostræ religionis principes in caussa valeant, nisi hujus institutionis tantam vobis utilitatem demõstravero, quantam authoritate demonstravi. Etenim utilitas ejusmodi est, quæ maximé nostros animos incẽdere atque inflammare debeat: in qua & discentium, & docentium maxima & certissima bona aguntur. Nam ut de commodis audientium primûm dicam, si philosophici studii tempora tribus annis ac sex mensibus ita dividantur, ut aliis horis philosophia, aliis eloquentia doceatur, fructus studiorum multis partibus augeri, & labores eorum maximé minui celerrimé sentiemus. Etenim ut á Grammaticis puer informatus, cúm ad Rhetoras accesserit, præteritas Grammaticæ vigilias non despicit, verúm sermonis elegantiam majorem, tum propositos authores imitando, tum plurimúm & assidué scribendo & dicendo sibi comparat: Sic idem troporum & figurarum ornamentis á Rhetoribus ornatus, cúm ad Dialecticos transibit, Rhetorica illa ornamenta non contemnet, sed dialecticorum conjuncta prudentia, legendis poëtis, oratoribus audiendis, bonarum artium scriptoribus pervolutãdis, & exercitationis gratia, laudandis, interpretandis, corrigendis, vituperandis, refellendis, in contrarias partes disputandis, omnibus omnium scriptionum meditationũ, declamationum modis amplificabit. Nunc veró puer iste quid agit? multos annos in grammaticis & rhetoricis retinetur, dum aliquid in eo maturũ & perfectũ videa-

tur: Id laudo: tum abjecta omni puré & propriè loquendi cura, damnata ſtyli & orationis priſtina diligentia, multis minis, plerunque etiam virgis, lectione poëtarū & oratorū interdicta, vera philoſophiæ exercitatione, meditatione, imitatione, ſcriptione, dictione, nō dico damnata tantúm, ſed penitús ignorata, in altercationes & clamores de regulis philoſophicis conjicitur, ut tandē Grāmaticæ & Rhetoricæ ſtudiis longa oblivione deletis, pro puro & nitido ſermone, barbariſmos & ſolœciſmos faciat: idque quod ſibi queritur Ovidius apud Getas & Sarmatas agenti contigiſſe, ſentiat, meritoque de ſeipſo dicat:

Ipſe mihi videor jam dediciſſe Latiné:
Jam didici Geticé *Sarmaticeque loqui.*
Si quis in hac ipſum terra poſuiſſet Homerum,
Eſſet, crede mihi, factus & ipſe Getes.

Sic, inquam, puer inter hos Geticos & Sarmaticos ſophiſtas Græcé & Latiné dediſcat, Geticé & barbaré addiſcat: pro ſuavi & ornata oratione, ſpinoſum aliquod & jejunum ſophiſma latrare conſueſcat, nullam philoſophiæ exercitationem propriam, non Analyſim, non Geneſim adhibeat: ſed ea denique facere & ſentire perdiſcat, quæ ſi quando in forum, in domos & aulas principum, in conventus & conſpectus hominum venerit, magno non dico labore tantúm, ſed pudore dediſcenda ſunt. At veró philoſophiæ uſu adhibito, conjunctis, ut dixi, toto triennii tempore ſtudiis, ſi epiſtolam antea facere, elegeam condere, rem propoſitā ornaté pronuntiare didicerit, non modó hæc eadem decurrendis philoſophici curriculi

ſtadiis retinebit, ſed ampliora multó ac uberiora præſtabit, omniaque ex proprio & naturali philoſophiæ uſu & dicere & agere didicerit, quæ populo, quæ Senatui, quæ judicum ſenſui, quæ vitæ & humanitati conſentiant. Cicero dicit Hippocratem nobiliſſimũ Medicum, ſcriptum reliquiſſe, quoſdã fratres (cúm ſimul ægrotare cœpiſſent, & eorum morbus eodem tempore ingraveſceret, eodem levaretur) geminos ſuſpicatum. Si quis igitur naturalem philoſophiæ & eloquentiæ germanitatem neſciret, cúm tamen has artes conjunctione ſtudiorum & communione ſpecioſas & robuſtas eſſe, diſjunctione non modó colorem, ſed etiam ſanguinem amittere videret, germanas tamen & genuinas ſuſpicari debeat, & in naturæ ſuæ ſocietate, in una victus cultuſque conſuetudine retinere, ſi ſalvas & incolumes eſſe velit. Craſſus homo eloquentiſſimus & amantiſſimus eloquentiæ, edicto Cenſorio urbe Roma Rhetoras expulit: rectè, quia tantúm Rhetores erant, philoſophiam neſciebant. Domitianus Imperator Italia tota philoſophos expulit: rectè. quia philoſophi duntaxat erant, eloquentiam non habebant. At Craſſus, opinor, neque Rhetoras, ſi philoſophi fuiſſent: neq; Domitianus philoſophos, ſi Rhetores fuiſſent, expuliſſet. Cõjunctionis igitur hujus naturalis utilitas prima jam magna quídem per ſe nobis videri debet, Judices, quód conſequentibus ſtudiis, antecedentium fructus nulli amittantur, ſed omnes augeantur: totaq; ejus utilitatis, quantacũque eſt, gratiâ Academiæ, legibus eſt attribuenda, quia humanitatis & philoſophiæ

conjunctionem, hujus utilitatis authorem, nobis dederit: eſt tamen eó major utilitas exiſtimanda, quód inſignem quandam doctrinarum lucē conjunctā ſecum habeat: Nam cúm iſto modo artiū fructum exquiremus, ſi quid erit ab earū doctoribus inepté & imprudenter conturbatum, omnis ejuſmodi error facilé deprehedetur & tolletur. Uſus enim conjunctus, demonſtrabit quid utile, quid ſolidum, quid verum ſit in præceptis: contrá, ſi quid erit inutile, vanum, falſum, idem uſus manifeſté declarabit. Ita fiet ut quemadmodū in hortorū arboribus, ſic in artiū inſtitutionibus alias conſervemus, quia fructū ferāt, alias amputemus, quia fructū non ferāt. At veró, Judices, diſjunctione uſus & doctrinæ, quæ commenta, quæ ſomnia pro veris artibus nobis tradita ſunt? Nullus fuit ab annis neſcio quot, homo tam barbarus, tam omnis humanitatis expers, tam cōmunis ſenſus ignarus, qui non (quicquid delirādo ſomniaſſet) pro philoſophia traderet. Pudet vix aniles fabulas commemorare, Suppoſitiones, Ampliationes, Reſtrictiones, Aſcenſiones, Deſcenſiones, Exponibilia, Inſolubilia, Obligationes, & ſimiles philoſophiæ tenebras, non aliūde, quám ex privatione luminis excitatas. Philoſophiæ conjunctus uſus, philoſophiæ dies eſt: á philoſophia diſjunctus uſus, philoſophiæ nox eſt. Ergo homines ingenioſi quidem, ſed ignari, cúm veræ philoſophiæ diſcernēdæ regulā uſum eſſe neſcirent: unde philoſophia duceretur, ignorarent: quó philoſophia referretur, nō cogitarēt: philoſophos ſe magnos eſſe ſibi perſuaſerunt, de uſu rerum, philoſophiæ

origi-

origine, philoſophiæ fine nil laborarunt: itaque quicquid illis in mentem venit, tanquam á magnis philoſophis inventum, philoſophiæ decretum eſſe crediderunt. Tot igitur artiũ tenebris cõtrarium artiũ lumen legibus Academiæ debemus, Judices, quód illum tantæ lucis parentẽ uſum nobis tradiderint: hoc igitur etiã bonum legibus acceptum referatur. Quid quod eadem ratione tẽpora ſtudiorũ, laboreſq; mirificé minuũtur? Certos gradus in diſciplinis explicandis ita diſtinctos tẽporibus habemus, ut primo tẽpore Grammatica, ſecundo Rhetorica, tertio philoſophia perdiſcatur. Sit igitur puer novitius plané & rudis, qualem antea finximus, pro vulgari ſcholarũ Pariſiẽſium cõſuetudine nobis informãdus: is, ut quám optimé fieri ſoleat, erudiatur: quatuor aut quinque primis annis ſic in Grammaticis erudietur, ut Latiné loqui, ut verſiculos fingere, ut ſermonem familiarem in epiſtola exarare non inepté poſſit: deinde cúm ad quartam claſſem (ut puerorum in gymnaſiis majoribus ordines diviſi & cenſi ſunt) pervenerit, in rhetoricis ſtudiis duos annos minimum, ſæpe autem cõplures exercetur: hoc ſecundum tempus eſt: tum demũ ſeptimo, vel octavo ſtudiorum ſuorum anno, tertio quippe tempore, ad philoſophos, ſuperioribus ſtudiis omnibus omiſſis (ut cognita priús videlicet obliviſcatur & dediſcat) deduci ſolet, & tres annos ſexq; menſes in illo arido, omnibuſque Rhetoricæ floribus ſterili ſolo, laborioſé arando & ærumnoſé iterando mãcipatur: ita duodecimo propé laborum ſuorũ anno, magiſter artiũ nominatur. Verũ enimverò

partitis,ut expoſui, docendæ percipiendæque philoſophiæ tribus annis, ſexque menſibus, ut pars ejus temporis altera manſuetioribus muſis impẽdatur, puer quinto ſtudiorum anno philoſophis opportuné & commodé commitetur, & annos quos in Rhetoricis ſtudiis collocabat, multó meliús ac utilius in conjunctis eloquentiæ & philoſophiæ ſtudiis collocabit. Nec enim ſolúm ornaté dicendi copiam,ſed bene ſentiẽdi agendique prudentiam, optimarumque rerum & ſententiarum ſcientiam eodem tempore,eodemque triennio ſibi comparabit. Ita ſeptimo propemodum ſtudiorum ſuorum anno verus artiũ magiſter efficietur. Quod ſtudiorum liberalium tempus Græcis illis ſapientiæ magiſtris video valdé placuiſſe. Plato ante viceſimum annum omnes artes & corporis & animi perceptas & uſitataseſſe voluit:reliquam vitam in publicis belli paciſque temporibus,in ſerio juvenilis inſtitutionis uſu & ſecretiore quodã & ſanctiore philoſophiæ ſtudio conſtituit. Ariſtoteles eodem feré cótendit, ſed clariús etiam idipſum teſtatur, & diſciplinarum ſtudia temporibus apertiús dividit. hominis ætates philoſophus quidam ſeptenario diſtinxerat,quem tametſi non omnino probat Ariſtoteles, attamen feré ſequitur: Nam cúm primum ætatis ſeptenarium jucundis & ludicris virtutis exemplis oblectandum,ſecundũ gymnaſticis & corporis exercitationibus informandũ præcepiſſet:tertium,animi diſciplinis attribuit,nec eodem tempore magnos & corporis & animi labores ſubeundos eſſe cẽſuit: quinetiam diſciplinis animi, modum illo tertio ſeptenario plané terminavit,

navit, & in iis juventutem diutiús immorari, noxium eſſe & detrimentoſum judicavit: quia potiora vitæ & majora officia patriæ & parentibus debita retardarentur. Quid Horatius? nunquid annales illas artium liberalium leges, neſcio quid aliud agens, tamen indicat?

Ingenium ſibi quód vacuas deſumpſit Athenas,
Et ſtudiis annos ſeptem dedit, inſenuitque
Libris & curis.—

Sed cur philoſophos illos, aut hunc poëtam potiús, quám germanas Academiæ noſtræ leges adhibeo, ac non etiam tanti boni principia ad ſuam cauſſam refero? Etenim leges Academiæ, Ariſtotelicum illum Palladis ſeptenarium, & publicé omnibus & privatim gymnaſiis ſingulis imperarunt. Grammatica duos aut ſummúm tres annos docebatur, in eaque juventus mediocriter erudiebatur: tum ad philoſophos, á quibus non ſolúm philoſophiam, ſed etiam politioris Grammaticę & humanitatis, quantulacunque tum fuerat, perfectionem quandam & elegantiam conjunctis humanitatis cum philoſophia ſtudiis tres proximos annos accipiebat, Rhetoricæ ſtudia nulla dum extiterant. Itaque ſexto aut ſummúm ſeptimo ſtudii anno, puer tantúm ad percipiendas artes bene natus, vel qui literarum omnium rudis Lutetiam veniſſet, philoſophicam lauream obtinebat. Cognoſce Academiæ noſtræ leges, nunquid in philoſophico curriculo cum philoſophicis authoribus grammaticos, ſicut antea docui, explicandos imperant? nunquid nominatim juſjurandum de ſex annis in artium auditione & cognitione poſitis requirunt,

cúm tamen triennio, philoſophiæ ſtudium leges eædem perſpicué terminent? Excute gymnaſiorũ de annonis & burſis inſtitutiones, nunquid cum legibus conſentiunt, & ſex annos alumnis & burſariis ſuis ad lauream philoſophicam definiunt, & his annorum intervallis, ſtudiorum ad eam neceſſariorum curſum concludunt? Quamobrem hoc etiam temporum compendium legibus Academiæ debemus, eiſque totam hujus boni laudem gloriamque meritó tribuemus. Legitimæ diſciplinæ & authenticæ inſtitutionis, quam ſequimur, magnas antea commoditates oſtẽdimus, Judices, quód nulli temporũ præteritorum fructus amitterentur, ſed omnes mitificis modis amplificarentur, quód artes ipſæ vehementer illuſtrarentur: at non ſolúm majores temporum fructus, ſed labores etiam longé minores híc oſtẽdimus. Tria ſunt in vulgari juventutis eruditione tempora, primum grammaticum, cui quinque, aut plures anni impenduntur: ſecundum rethoricum, cui feré tres aſſignantur: poſtremum philoſophicum, cui tres anni ſexque menſes attribuũtur: ſic etiam ut philoſophiæ cognitione, Grammaticæ & Rhetoricæ oblivio inducatur. At conjunctis eloquentiæ & philoſophiæ ſtudiis, quo tempore ſola Rhetorica doceretur, eodem philoſophiam & philoſophiæ fructum, & quidem multó plenioré, quám antea, & uberiorem conſequimur, & magnum tertii tẽporis lucrum facimus: & iſta compendiaria via diſcipulos admodum juvenes eó perducimus, quó vix ſenes, ac ne vix quidem unquam fortaſſe perveniſſent. Magna res eſt, quam dico, Judices, &

magnopere

magnopere conſideranda. Liberi veſtri primis & puerilibus ſtudiis ad Rempub. informantur: decimoquinto ætatis anno, ſi ſeptimo diſcere incipiat, adoleſcentem ad legum ſtudia liberalibus artibus liberaliter excultum & præparatum, de ſchola noſtra vobis emittimus, ut quinquēnio verſatus in juris civilis ſcientia, maturé ad forum veniat, oratorumque & Senatorum & judicium & magiſtratuum exemplis, tertio ætatis ſeptenario, ut antiquis illis hominum paſtoribus placuit, Rempub. regere & gubernare conſueſcat. Si ſe ad religionē divino aliquo inſtinctu adoleſcens applicet, non ſolúm magna eſt ad Theologiam perdiſcendam & exercendam ætas, ſed magnis & neceſſariis adjumentis inſtructa, ſive voce populum beatæ vitæ rationes docere, ſive revocare á vitiis & errore, ſive languentem & ſopitum, ad amorem charitatéque excitare, ſive ab impietate defendere vindicareque voluerit. Quamobrē, Judices, ut inſtitutam utilitatis demonſtrationem colligam & concludā, videte num talem philoſophiæ inſtitutionem ſequi debeamus, quam ſummi fructus commendāt, quam artium veritas & perſpicuitas expoſcit, quá optatiſſima temporum compendia repetunt. Diſputavi adhuc de legum authoritate, de rei ipſius utilitate, de facilitate ſupereſt eſſe dicendum. Poteſt enim ſic exiſtimari, hanc inſtitutionem tam eſſe probatam, tamque commodam, ut optanda: ſic eſſe difficilem, ut pertimeſcenda ſit. & quidem non deerit (ſi ſuperis placet) hoc etiam loco, quod malus Academiæ Genius accuſet. Nam cúm tot utilitates commoditateſque & artium & temporū

& discipulorum & magistrorum tam studiosé collegero, delirare me dicet, & istam viam, quam ingredior, perdifficilem esse familiaribus suis accusatoribus meis persuadebit: tot & tam multos libros, quám multi legibus definiuntur, media diei parte, triennii sexque mensium tempore, prælegi & disputari non posse, ut reliqua pars diei media studiis humanitatis & philosophiæ exercitationi relinquatur. Hoc magnum contra nos argumentum est, Judices, & valdé, si verum sit, pertimescendum. In triennio & sex mensibus si una duntaxat horâ diei, philosophia prælegatur, non potest institutus philosophiæ cursus peragi. Hæc Achillis hasta scilicet quædã est, qua nisi cavęamus, necesse sit nos confici. Quare hastam illã tam violenter intortam declinemus. Triennium sexque menses legitimis libris vix satis sunt, inquit accusator, quanvis totus dies in his consumatur: imó, inquam, non modó satis sunt, verúm etiam supersunt: Tot annorum mensiumque dies cum libris comparemus, rationisque summam faciamus. Omnium librorum legibus præscriptorum prælectiones triennio per legem ipsam terminantur: sex menses prælectionibus liberi & gratuiti lege condonantur: sex igitur jam menses præscripto legis otiosos habeo. De libris lege præscriptis permulti, vel jampridem é scholis ejecti, ut sex principia, Barbarismus, Græcismus, Alexander de villa dei: vel certis de caussis omissi, ut Boëtius de Topicis & divisionibus, Aristoteles de animalibus, de plantis, de differentia spiritus & animæ: vel ad antecedentia Grammaticæ studia remissi, ut Priscianus

nus major,minor,de accẽtu. Hos igitur non pauciores menſes conſenſu temporis otioſos habeo, & annus hic nobis otioſus eſt. Feſtos dies & profeſtos, prælectionibus ſolutos, leges Academiæ permultos nobis quotannis inſtituunt: eos nobis recenſe,qui in Calendariis publicarum ſcholarum & ſingulorum gymnaſiorum notati ſunt: ſupra ducentos, annis ſingulis invenies. Quinetiam ex illis menſibus, qui ſingulis libris explicandis per legem definiuntur, ſi libri ipſi philoſophici per ſe & ſine ullo humanitatis authore prælegantur, lex dimidium temporis detrahit:& ſeſquiannum philoſophici ſtudii legitimis libris explicandis tantummodó relinquit. Multiplica hũc dierum otioſorum numerum ex triennio, ſupraque deductis otioſis integri anni diebus adjunge, & reliqui temporis ſummam confice : an non concludes, philoſophici temporis lege præſcripti multó majorem partem nobis otioſam, prælectionibuſque vacuam & liberam permiſſione legis relinqui ? At vix triginta dies nobis toto anno prælectionibus liberos permittimus:omnib⁹ totius anni feré diebus omnia Academię Pariſiẽſis gymnaſia, quę qui dem literarũ laude floreant, philoſophãtur,prælegunt,aliquid deniq; profeſſionis muneriſq; ſui exercent & agunt,nulla ceſſant,nulla otiãtur.Quare leges Academiæ & præſentiũ temporũ tam gnavi tamq; induſtrii mores declarãt una ſingulorũ dierũ hora eaq; per annum totũ perpetua,non ſolum omnes legitimas,ſed etiã quas addimus,mathematicas artes abundé declarari exponiq, poſſe:ad ejus declarationis meditationẽ & conformationẽ duæ

horæ conjungantur: reliqua tamen diei pars pluſquam media nobis & libera & ſoluta relinquetur. Quare triēnii ſexque menſium tempore, philoſophia legitima, qualem docuimus, penitus explicari poteſt, & eodem tempore ejus exercitatio & illuſtratio ex poëtis & oratoribus addi poteſt. Quid ergo? quæret aliquis veſtrum, Judices, tātum temporis intervallum, quantum ad uſum philoſophiæ conferes, quibus rebus hoc tempore impenditur? Utinam, Judices, tātúm perderetur, non etiā ſtultis & vanis rebus & poſtea dediſcendis impenderetur. Cúm philoſophiæ & eloquentiæ diſjunctio facta eſſet, & omnes humanitatis authores in antecedentia philoſophicum curriculum tempora rejecti eſſent, aut omnino relicti, & in ſingulis gymnaſiis feriæ tot dierum ſublatæ: ut triennii tempus impleretur, parva Logicalia Terminorum, Suppoſitionum, Ampliationum, Reſtrictionum, Aſcenſionum, Deſcenſionum, Inſolubilium, Obligationum, de quibus jam dixi, aſſumpta ſunt, quæ primum feré annum conſumerent: adjuncti ſunt ad Logicam Ariſtotelis aculeatis ſophiſmatis infarciendam, peringenioſi ſophiſtæ Buridanus, Dulardus, Tartaretus, Petrus Hiſpanus, & eorum philoſophorum magnus cœtus, qui etiam altitudine ſapientiæ ſuæ, authorum legibus, præſcriptorum luminibus obſtruerent: item quæſtionarii homines, quaſi triarii, lubricum quemque & dubium philoſophiæ locum ſuis copiis communiverunt: denique perfacilé triēnii tempora ſuis velitationibus occuparunt: adeoque hoc tempore, ſi quis nugis illis ſpretis legitimos philoſophiæ libros etiam diligenter

ligenter interpretari velit, exacto biennio nihil ex lege reliquum, quod interpretetur, habeat. Et hæc Genio illi, per quem tandiu Academia vexatur, proximis superioribus annis occasio fuit, ut philosophiæ studium biennio concludendum maxima contentione procuraret: qui furia nescio qua in seipsum retortus, eum persequitur, á quo non tantúm illud tam desideratum temporis compendiũ summa voluntate legum tribuitur, sed cum maxima artium & studiorum utilitate & illustratione tribuitur. Sed invidia rumpitur. Penelope procis suis arcum Vlyssis proposuit, seque ejus uxorem fore promisit, qui eum tetendisset. Proci tendere non poterant, á nemine tamen tendi patiebantur. Talis est in isto Academiæ pessimo Genio, scilicet æmulatio & invidia: amat eam laudem, qua potiri tamen non potest: arcus occasio summis Reipub. malis opitulandi in medio ponitur, præmium spõsæ pulcherrimæ & nobilissimæ proponitur. Procus hic, qui didicerit Ulyssis pecora & armenta devorare, non ad Trojam pro patriæ libertate & gloria pugnare, arcum tamen Ulyssis ab Ulysse ipso tẽdi non vult, indignatur, minitatur. Verumenimveró arcum suum novit Ulysses, Penelope jubet ab eo tendi. Itaque arcum tendit, procos omnes vincit: sic improbe & invide Genie, philosophia per eos, qui idipsum possunt, qui norunt, qui sese in his studiis exercuerunt, restituetur, & invidia tua suo livore contabescet. Non est porró malorũ Geniorum de philosophia & literis, de Republica bene mereri: fallere, mentiri, pejerare, Rempub. vendere & depeculari, perditorum Geniorũ pro-

prium est. Ignoscite mihi, Judices, si tam vehemẽter malos Academiæ Genios odi, quã bonos Genios Academiæ defensores & patronos diligo. Non potest, ait iste calumniator, institutio tua tractari, quia tempora legitima non sufficiunt. At ex lege ipsa doceo amplissimé sufficere. Sed fac, inquiet, ad institutionem tuam explicandam per legem, temporis satis esse: qui tamen hujus institutionis doctores & magistri reperientur? Vereor, Judices, ne constantiæ vestræ diffidere videar, qui tam imperitis nugis respondeam. At hęc accusatoris mei argumenta sunt: non putat, quod malus Genius, quod mali Genii familiares & ministri nesciant, hominum quenquam scire. Verum quatuor jam perpetuos annos, licet malo illo obstrepẽte Genio, hæc disciplina tenetur, tractatur, exercetur, & ab infinitis ingeniis, quæ Deus hoc seculo ad immensam nominis sui gloriam suscitavit, præstantius & excellentiús teneri, tractari, exerceri potest. Non si Ramus unus pro Rep. tot iniquitatibus afflictatur, ideo non multos esse putetis, qui velint & possint idem præstare: Signum tantummodó, Judices, tollite: quantus præstantium architectorum ad hanc reædificandam Academiã concursus fiet? quãta doctissimorum philosophorum & eloquentissimorum oratorum copia protinus existet? Res facilis est: est etiam, quó facilior sit, perjucunda. Utinam, Judices, perinde verbis explicare possim, quod sentiam: neminem profectó tam durum, tamque agrestem esse arbitror, quem voluptatis futuræ cogitatio & cõmemoratio non summa voluptate afficiat. Quid enim est in quo

exultare

exultare animis, lætitia efferri, triũphare deniq; ſoleamus? Nempe cũ iis rebus, quas amavimus, quas optavim⁹, perfruimur. Diſcipuli noſtri é lõginquis plerũq; terris ad nos deducũtur: quo porró deſiderio incẽſi? quo amore inflãmati doctrinæ? Quãtó igitur in omni doctrina majores progreſſiones fecerint, tãtó pleniores voluptates percipiẽt. Atq; ut antea moleſtiſſimis ſpinis debilitati, inanib⁹ clamoribus fracti, perpetua rerum obſcuritate deterriti, amorẽ philoſophiæ deponebant: ita nunc ſuaviſſimis rebus illecti, liberalibus exercitationibus confirmati, clariſſima luce invitati, cũ omnibus modis ſe & doctiores & diſertiores quotidie fieri ſentiẽt, incredibili voluptate omnes vigilias tolerabunt: non ſibi negotiũ exhiberi, ſed otium condonari: non laborẽ imperari, ſed delectationem cõparari judicabũt. Neq; veró magiſtri in tanta diſcipulorũ lætitia lugebũt, ſed ut boni agricolæ, cúm ſegetes, quas ipſi ſeverint, lætas ac luxuriantes aſpiciũt, magno gaudio ſuperis gratias agũt: ſic liberalis animi præceptores immortaliter uberrimo ingeniorum, ſua diligentia velut excultorum & ſatorum, proventu gaudebunt. Antea de Dialecticæ duris admodũ & injucundis præceptiunculis ſeſe obtundebant: nunc ejus amœniſſimum in omnibus dictis & factis, maximis, minimis, uſum intelligent. Nil antea mathematicũ guſtabãt: nũc gratiſſimas, generoſis animis epulas, ex veriſſimis mathematum menſis accipient. Antea quid eſſent venti, quid pluviæ, quid tempeſtates, quæ cauſſæ rerum ortus & interitus efficerent, inquirebant: nunc eorum generum efficientiã in Virgilio, in Homero,

in reliquis bonis authoribus ſuavitate magna recognoſcent: nec in ulla philoſophiæ parte oblectandi otii materies unquam diligentibus & attẽtis doctoribus deeſſe poterit. Immortales, ita me Deus amet, eſſe cupient, ut iſta conditione perpetuó doceãt. Longa navigatione, Judices, perfuncti ſumus: difficiles ſcopulos prætervecti ſumus: terram mihi jam, portũque intueri videor: quó priuſquam contendo, permittite mihi paululúm, quod ſupereſt, explicare: non audeo dicere: reticere etiã cogitaram, nec id in partitione diſputationis meæ poſueram: dicendum tamen eſt: & quia veſtra humanitate tam liberaliter adjuti ſumus, pro Republica fortiter eſt agendum. Quám corrupta ſit Academiæ diſciplina, quám miſerabilis, quám obſcura, quám moleſta & odioſa, dixi. de doctorum & magiſtrorum induſtria & integritate nondum dixi. de iis igitur etiam pauca cognoſcite. Philoſophia ſeptingentos annos ſecundum Regum Pontificũque leges in publicis ſcholis tradita eſt. Quid tum? pauci ſufficiebant in publicis ſcholis, nec omnino multi eſſe poterant philoſophiæ doctores & magiſtri, hique ex magna doctorum hominũ multitudine ad certum tempus electi: adeoque uſque ad ætatem noſtrã unicus univerſæ Academiæ doctor ethicus hoc modo delectus eſt, & adhuc vir honeſtus, & de Repub. bene meritus vivit, qui poſtremus hoc munus ſuſtinuit: & credi par eſt, unicum una in ſchola Logicum, unicum item Phyſicum fuiſſe ſatis. Et certé ut in majore otio, magis elaboratæ prælectionis, majorem etiam fructum á duobus eiuſdem diei artiſque magiſtris, matutino

& pomeridiano, discipulus capiat, attamen singularum artium bini doctores abundé sufficient: atq; ita sex professores, licet á singulis discipulis perexiguum symbolum caperent, semicoronatum dari solitum audivimus: ex multorum tamen collectis, crescebat illis amplum & valdé magnum stipendium. Certa etiam quædam pecunia, ut leges nominatim sanciunt, in Baccalaureatu per procuratores, in Licentia per examinatores exigebatur, qua communibus Academiæ negotiis fieret satis. Has pecunias, bursas lex appellat, & sic adhuc appellantur. De iis, lege cautum est, ne in examine & Licētia bursæ plures duabus pretii scholarum (ordinarium unius hebdomadę sumptum, bursam intelligit) examinis, prandii, laboris caussá caperentur: duos solidos examinatori pro straminibus lex tantummodo permittit, præterea quicquam à magistris accipi, valdé vehementerque prohibet: philosophiæ discipulos pié miseiicorditerque (ut ipsa loquitur) tractari jubet, ut parva pecunia, vel (si pauperes essent) nulla ad omnes philosophiæ honores, honestis ingenii laboribus, non pecuniæ gradibus ascenderent. Vetus illa parsimonia in publicis scholis ætate patrum nostrorum viguit. Totavillæus Cardinalis eam confirmavit, & nominatim præcepit, ut his legibus, philosophiæ discipuli philosophiā quotidie in scholis publicis audirent. Philosophia sic in scholis publicis, legibus publicis instituta, per magnum quondam philosophorū numerum extulit, ut de reprimendo philosophorum numero leges aliquot veteres habeamus. At philosophia nescio quot abhinc annos contra le-

ges á publicis ſcholis in privatas abducta eſt. Quid deinde cõſecutũ? Ariſtoteles in Politicis multa de civitatũ & Rerumpublicarũ exitiis exponit, quorũ illud vel maximum cẽſet eſſe, dum res aliqua parva tollitur: unde conſequitur ſenſim magna rerum aliarum ruina: Deſpicitur enim primum, & ſophiſticę captionis inſtar, occultis inſidiis irrepit, priuſque enecat, quám ſentiri poſſit. Parum intereſſe videbatur, in ſcholis ne publicis, an in privatis philoſophia legeretur. Quid igitur philoſophiæ á publicis ſcholis in privatas, avocationem ſecutũ eſt? Rapinæ, Judices, & miſeræ juventutis vexationes non tolerandę, ut quod ſola induſtrię & ſtudii laude, nulla pecuniæ mercede conſtare debuerat, turpiſſimo quæſtu proſtituatur. Qua tandem ratione tam fœdę rapinæ exortę ſunt? Dicam, Judices: Philoſophia in privatas gymnaſiorum ſcholas contra leges abducta, in ſingulis gymnaſiis tot philoſophiæ doctores inſtituendi fuerunt, quot in Academia tota priús ſatis fuerant (non dico quám docti & eruditi, quám multi magiſtri ſint aut fuerint, & quantó difficilius ſit multos excellentes doctrina magiſtros, quám paucos invenire) ſed pro tribus aut ſex, ſexaginta aut centum inſtituendi fuerunt, alendi fuerunt, ornandi ſtipendiis fuerunt. Hic ſumptus permagnus gymnaſiarchis fuit, quod nullos antea philoſophię doctores alerent, quaternos alere coacti ſunt: tantus ſumptus fuit alicunde recuperandus. Quid ergo gymnaſiarchi facerent, niſi ut philoſophiæ candidatis novum aliquod tributum imponerent? Doctores meminerant ea ſtipendia, quæ publicis antea doctorib. in ſchola pu-

blica pendebantur. At quanvis eſſet auditorum lõgé minor numerus, tamẽ quia non minus pro paucis, quám veteres illi doctores pro multis laborare ſibi viderentur, ſibi quoque parem mercedem deberi ſtatuerunt: multiplicandum igitur híc etiam vectigal fuit, ut tantúm perciperetur á paucis, quãtúm antea percipiebatur, á plurimis. Lex vetus anno milleſimo ducenteſimo octogeſimo nono facta eſt, ut magiſtri, auditorũ ſuorum nomina perſcriberent, & ſigillo ſuo tandem de moribus eorum doctrinaque fidem facerent: ſancta lex fuit: ſed nihil tam ſanctum, quod avaritia non corrumpatur. Additum eſt in legibus, ne pro ſigillis ejuſmodi quicquam á diſcipulis caperetur, Híc tamen eſca multorum aucupiorum reperta eſt, & hujus occaſione teſtimonii, quantum libitum eſt, tantũ eſt exactum. Nec privatim tantúm hæc infamis avaritia, ſed publicé ſic aucta eſt, ut pro duabus burſis, jam ſex, itemque octo majoris etiam pretii exigantur. Burſæ duæ quondam, cúm gymnaſia nondum ædificata eſſent, omnibus publicis & ſacrificiorum ſumptibus, & Rectorum, Procuratorum, examinatorum ſtipendiis & miniſtrorum laboribus ſatis ſuperque fuerant: ſacra tamen ſunt in ſingulis gymnaſiis, quæ non ante trecentos annos fundata ſunt, quotidiana, quibus ad neceſſarium & Chriſtianum exemplum juventutis intereſſe debeamus: nec publicis & ſodalitiis ſacris, intereſſe potes, niſi domeſtica deſeras: burſis ad eam rem utique nihil opus eſt. Rectoribus, Procuratoribus examinatoribus, apparitoribus & bidellis aliunde ſtipendia quæruntur: burſis ad eam rem nil utiq;

opus eſt. Attamẽ hodie cúm nulla ſit omnino burſarum cauſſa, non duplæ, ſed decuplæ pené factæ ſunt. Quamobrem igitur hodie miſerorum adoleſcentum burſæ ſic exhauriuntur? Reſpondeant, qui norunt his manubiis ſe beatos efficere. Diſtributiones philoſophis ad ſodalitia nationum ſacra venientibus fiunt. At interea deſero domeſticum ſacrũ, ad quod diſcipulos meos deducere debeo: & multó gratius & liberalius fuerat, neminẽ ſpoliare, quám ſpoliato ſpolia eo modo tandem fruſtratim & particulatim reſtituere. Si paganum Platonẽ, ſi ethnicum Ariſtotelẽ interroges, utrúm artium magiſteria iſto modo vendere liceat, te ut dirũ caput, execrabuntur: ille aurũ cæleſte in præclaris animis divinitus inſitũ terreſtri auro non æſtimãdum clamabit: hic dicet non modó pecunias á talibus nullas exigẽdas, ſed pecuniis potiús egregios animos ad virtutẽ, ad Reip. utilitatẽ eſſe provocandos: nos Chriſtiani nominis homines hæc toleramus? toleramus? imó etiam contra leges noſtras facimus, ex injuria ſumma, ſummũ jus ſcilicet efficimus: ſi quis contra iſta dixerit, perſequimur, affligimus. Sed quid in iſta perdita avaritia diutius commoror? quid imperatas conviviorum effuſiones, chirothecarum pileorumq; exactiones, miſeriaſq; alias aliis ſubinde catenatas commemorem? Tantúm dicam, Judices, jactura præteritorum ſtudiorum, confuſione artium, longitudine producti temporis, multos á philoſophiæ ſtudio deterritos eſſe: ſed multo plures tam improbis exactionibus repulſos eſſe. Nam cum homines minimé hebetes & ignavi, maximas temporũ moleſtias, maximas

ſumptuum

ſnmptuũ impenſas cernerent, Grammatica autem Rhetoricaq; perceptis, nil admodũ cernerẽt, quod in philoſophia tam multis ſpinis involuta ad uſum humanitatis & vitę referri poſſet: imó philoſophiã ſic tractatã, ſordidã & illiberalẽ & humanitati contrariã judicarent, de alia liberorũ inſtitutione cogitare cœperunt. Itaq; poſt grammaticum rhetoricumque ſtudium, vix guſtatis philoſophiæ principiis, vel ad civilium legum prudentiam, unde magiſtratus aſſequerentur, vel ad aulas principũ, unde ſacerdotia venarentur, vel ad aliquẽ mercatum, unde vitam ſuſtentarent, liberos ſuos tranſmiſerunt: nec eos in vanis & inutilibus, & ut putarunt, detrimentoſis ſtudiis vana ſpe retineri voluerunt. Perpauci philoſophiæ diſcipuli, vel quia hinc evolare non poſſent, aulœdiq; fierent, qui citharœdi fieri non poterant: vel quia ad Medicinam aut Theologiam, niſi iſta via pervenire non poſſent, vel qui ſe ſpoliandis aliis ſua ſpolia recuperaturos ſperarent, in ſchola remãſerunt. Ita poſteaquã philoſophia de publicis ſcholis abſtracta eſt, non ſolum illa doctrinæ perturbatio, de qua in utilitate ſtudiorum, artium, temporum diſputavi, ſed ſordida iſta & infamis doctorũ & magiſtrorum avaritia, facultatem artium tam miſerabiliter afflixit, ut ordo quondã frequentiſſimus & florentiſſimus, nunc redactus ad pauciſſimos, pené intermortuus jaceat. Quare quatuor primos annos in gymnaſiis ſi commodũ eſt, juventus grãmaticis & rhetoricis exerceatur. Nullæ rapinæ iſtarum artiũ cauſſa ſunt inventæ: multa ſunt á Regibus & Pontificibus, earum dũtaxat artium peritis, magna propoſita præ-

nia: philoſophiam, quæ cæterarum antecedentiũ artium fructus cõplectatur, illi Academiæ parẽtes magnis muneribus & præmiis affecerunt, & publicæ profeſſionis publicam ſcholam eſſe voluerunt. Quare ſi lex jubeat, ut jubet, philoſophiam in publicas ſcholas remittite. Si grave eſt gymnaſiarchis quaternos philoſophiæ doctores, dialecticum, logicum, phyſicum, intrantem (ut vulgus appellat) alere & ſuſtentare (ſicut eſſe grave neceſſe eſt) philoſophiam in publicas ſcholas remittite, tanto onere gymnaſiarchos liberate: ſi eſt abſurdum & iniquum, burſarum, ſigillorum, cõviviorum, chirothecarum, pileorum & plurimarum rerum ad philoſophiæ ſtudium nil attinentium rapinis, philoſophiæ auditores vexare (ſicut abſurdum eſt & iniquum) philoſophiam in ſcholas publicas remittite, tantis ſumptibus miſeros diſcipulos ſublevate: ne paupertati ad philoſophiam iter his impedimentis intercludi, ne etiam locupletes & fortunatos his indignitatibus alienari ſinite: parſimoniam legum revocate. Philoſophia, donum Dei eſt: avaritiæ ſordibus inquinari ne permittite. Ut ſis baccalaureus in jure Canonico (quæ facultas, dignitate & privilegiis ſuperior eſt) quatuor aut ſummum quinque coronatis, potes neceſſariis ſumptibus ſatisfacere. ut magiſter artium, ſecundum has ſordes nominêris, vix ac ne vix quidẽ viginti coronatis te expedies. Mores corrumpẽtur, dicet aliquis, ſi philoſophia in publicas ſcholas redierit. At quæſtio hæc jam olim, ut Quintil. author eſt, dijudicata eſt: & quę de domeſtica inſtitutione ab eo contra publicas

ſcholas

ſcholas dicuntur, plané de privatis gymnaſiis cō-tra publicas ſcholas dicuntur. Multa alia multos contra hæc & cogitaturos & dicturos non igno-ro, & ſapientiam veterum, præ ſua opinione, nil eſſe facturos. Verúm, á fructibus eorum cogno-ſcetis eos. Illos igitur tot præteritorū ſeculorum annos, cum paucis annis, quibus hi ſapientes & politici viri á publica ſchola philoſophiam abdu-xerunt, comparate. Stetit in Academia Pariſienſi philoſophorum frequens & florens ordo annos ſupra ſeptingentos, cúm in publicis ſcholis phi-loſophia humanitati conjuncta doceretur. Illa Regum & Pontificum lex fuit: ille regiæ ponti-ficiæque legis fructus fuit. Philoſophorum ordo ad paucos redactus, pené interiit, poſtquam ab annis quadraginta, aut neſcio quot, in privatis ſcholis philoſophia ab humanitate diſjuncta do-ceri cœpit. Hæc privata libido fuit, hic privatæ li-bidinis fructus fuit. Quare, Judices, grammati-cam, itemque elocutionis & pronuntiationis rhe-toricam doctrinā in privatis gymnaſiis, quatuor annos, ſi lubet, imperate: At philoſophicos an-nos proximos ſcholis publicis, tot bonorum au-thoribus, ſecundum legem reddite: tot rapinarū & calamitatum occaſiones tollite. Magnus iſte & gravis eſt in Academia morbus, Judices. Facultas artium, eſt Medicinæ, Juriſprudentiæ, Theolo-giæ ſeminarium: quod ſi corruptum aut deprava-tum fuerit, quales inde frutices putetis futuros? Tantum morbum multi in Academia ſenſerunt, & quotidie ſentiunt, non tam publica cauſſa, quā ſua. Numerus auditorum diminutus, quæſtum

etiam diminuit. Hinc illæ lacrymæ, quæ etiam malum istum Genium (de quo jam sæpe loquor) proximis superioribus annis excitarunt, ut clamaret, si philosophici curriculi tempus uno anno minueretur, facultatem artium fore meliorem, id est, crumenam pleniorem. At liberalis & sancte Genie, morbum crumenæ tuæ curare volueras, Academiæ morbum curare nolueras: nec sané quemadmodum curandus esset, intelligebas. Nec veró tuum fuerat, ullam rem tam salutarem, tamque laudabilẽ cogitare. Quæ sunt igitur tanti morbi causſæ? quęret hic Genius in bonis enim & honestis rebus stupidus est, necdum causſas istas oratione tam longa descriptas intelligit. Agé igitur, si medicis ægrotæ partis alicujus causſæ dubiæ fuerint, nónne recté facient, si partis ejusdem sanæ cõtrarias causſas inspiciant? Contraria enim çontrariorum sunt consequentia. Ergo quibus in rebus facultatis artium sanitas consistit? Sana sit doctrina, Judices: sanæ doctrinæ sani sint doctores, sana erit artium facultas. Facultatis hujus hæc duo tantúm membra sunt: quæ si sana sint, totũ çorpus sanum erit. Sana porró facultatis artium doctrina, est in veris, perspicuis, utilibus, distinctis, Grammaticæ, Rhetoricæ, Philosophiæque universæ præceptis: sani sint doctores, qui tales artes teneant & intelligant, qui studiosé & diligenter exerceant, qui stipendiis legitimis contenti, nil contra leges nec exigant, nec omnino capiant, quique, quandiu Reipub. utiliores doctores nulli reperientur, tandiu in eo munere permaneant. Majores nostri, magistratus, Academiæ sanctissimis

sanctissimis legibus definierunt: Rectores, Procuratores trimestres, examinatores annuos fecerunt: professores artium par est etiam non temporis perpetuitate, sed publicæ utilitatis ratione definitos esse. Quare qui multos auditores docet, & multis prodest, magnam quoque mercedem debet accipere: parvus est auditorum numerus, parvus est etiam laboris tui fructus: parvam itaq; mercedem debes accipere. Una gens omnium gẽtium prudentissima Itala, hac lege, artium professores alit, non procos Penelopes inutiliter nostro more pascit. Quare cúm sanitas facultatis artium sit in sana doctrina, sit in sanis doctoribus, morbus erit in doctrina non sana, in doctoribus non sanis. Nec triennii tempus, istum morbum peperit: sed hic morbus, ut præteritorum studiorum fructus amisit, artes obscuravit: sic triennii philosophici molestias alterius triennii molestiis oneravit. Ergo sapientissime Genie, hæc facultatis artium est adversa valetudo, hæc prospera est valetudo. Sed quæret aliquis, quinam sit iste Genius, quem toties nomino, quem tot malorum in Academia authorem facio. Deus, Judices, non solúm mundi artifex & procreator semel fuit, sed perpetuó rector est & gubernator. Itaque non solúm singulorum hominum, sed civitatum, sed provinciarum & regnorum Genios & angelos, alios bonos & servatores, alios malos & vexatores ordinavit. Quicunque sit igitur tot malorum author, qui totum Academiæ statum pervertit, qui disciplinam corrupit, qui doctores depravavit, illum ego Genium definio: & ab hoc perdito

Genio profugiens, Judices, ad vos bonos Academię Genios confugio: tam iniqué, tam iracundé, tam propé furioſé ab illo vexatus & afflictus, cogitationem, ſpem, conſolationem ad hunc ampliſſimum Galliæ Senatum, templum ſanctitatis, juſtitiæ ſacrarium, aram provinciarum, innocentiæ portum converti: Etenim Præſides ac Senatores, regii oratores ac patroni, cúm vos intueor, mihi veriſſimé videre videor ſumma univerſæ Galliæ, vel potiús univerſæ terræ ornamenta ac lumina. Quamobrem, Judices, quid aliud jam reſtat, quám ut pro diſcipulis meis, pro Academia Pariſienſi, clementiam miſericordiamque veſtrã obteſter & obſecrem? Diſcipuli mei nullo ſuo delicto, ſed magiſtri duntaxat odio, per ignominiam ſummã falſó & improbiſſimé confícto crimine publicis ſcholis ſunt excluſi. Itaque, Judices, ſi philoſophiam legibus definitam teneant, ſi eloquentiam legibus imperatã cum philoſophia exerceant, ingenuam & generoſam ſtudioſæ juventutis indolem, nequiſſimi Genii calumniis afflictam excitate: publicarum ſcholarum aditum patefacite: campum enim diſcipuli requirunt, in quo philoſophici laboris & ingenii ſpeciem exhibeant, & induſtriæ ſuæ fidem palám faciant: non requirunt, ut ignari Philoſophiæ, debitum philoſophis præmium capiant. Neque tantummodó diſcipulos ſupplices veſtros, ſed multó magis Academiam mœrentem, & utraque manu auxilium veſtrum implorantem reſpicite. Quæ ſi ſcholis & gymnaſiis ſuis egreſſa, Muſis ſuis comitata, poſſet huc in forum ad vos accedere, nónne ſic vos vel

pro ſummis ſuis meritis moneret, vel pro authoritate quaſi matris in liberos, hortaretur, vel pro magnitudine diſcriminis oraret? Filii, miſerabilẽ parentem juſtitia veſtra ſublevate. Me Franciæ nobiliſſimæ Reges, me Eccleſiæ Romanæ ſanctiſſimi Pontifices ſapientibus & ſacris legibus inſtituerunt: leges meas regias & põtificias mihi reſtituite. Philoſophiam in publicis ſcholis doceri voluerunt, & publici laboris publicam mercedem magnis privilegiis inſtituerunt: philoſophiã publicis ſcholis reſtituite. Ex conjuncto eloquentiæ & philoſophiæ ſtudio magna mihi ex amplificatione fructuum, perſpicuitate diſciplinarum, brevitate temporum bona inſtituerunt: ea mihi regia pontificiaque bona reſtituite. Profeſſores ſcientia præſtantes, exercendæ juventutis diligentia ſpectatos, legitimo ſtipendio contentos, ex multis paucos inſtituerunt: eos mihi profeſſores reſtituite. Miſeram legibus, diſciplina, doctoribus orbatam, per ſummum cœli terræque Deum, ne diutius eſſe ſinite. Malos Genios, qui ſuas libidines, meas leges appellant, qui philoſophiam é publicis ſcholis in privatas avocant, qui bonas artes inſcitia corrumpunt, qui diſjunctione ſtudiorum fructus eorum perdunt, qui artes mille tenebris obſcurant, qui temporum labores & moleſtias conduplicant, qui filiolos meos per avaritiã á philoſophia repellunt, qui mea viſcera prædantur & diripiunt: prædones publicos legibus humanis diviniſq; jampridẽ damnatos funditús exterminate, ut beata & florens, vos filios (per quos reſtituerer) aluiſſe & formaviſſe gaudeam. Hæc,

Judices, Academia si per se & pro se causſam ageret, ita vos moneret, hortaretur, oraret. Quód si sceleratus Academiæ Genius hîc aliquid etiam potest, damnate me, Judices, discipulis meis ignoscite, Academiã liberate, invidiæ molem (si propterea subeunda denique sit) totam in me derivate. Mori siquidem millies mihi potius optatiusque fuerit, quám discipulos meos meæ doctrinæ caussâ damnatos, quám Academiam in tam justa causſa damnatam intueri. O dura mihi & acerba philosophiæ præmia! Non in amplo & urbano patrimonio, sed in tenui & agresti tuguriolo natus sum: omnes tamen, amore philosophiæ, difficultates paupertatis & inopiæ pertuli, in miserrimas sophismatum tenebras incidi, philosophiæ tamen amore superavi, & tandem Dei Opt. Max. gratia, veram philosophiæ lucem conspexi. Nobiles & inclytæ civitates me magnis & honorificis muneribus appetiverunt, sexcentorum coronatorum mihi stipendium obtulerunt: philosophiæ tamen amore tantam conditionem non accepi: illis pro suo de me judicio meritas gratias habui. Prælei gymnasii labore (quem mihi sine ullo publico stipendio mandavistis) contentus fui, ac præhonesta liberalis & mihi clarissimæ exercitationis occasione, opes omnes cõtempsi: á discipulis meis philosophiæ caussâ, vel ultró oblata munera, quanvis non indebita, tamen non accepi: & gratiam munerum, quám munera, & philosophiæ fructum, quám fortunæ malui: nec amore philosophi & præter animam in misero & inopi corpore solicitam & afflictam, quicquam

habere

habere curavi. En pro munifica ſtudiorum & officiorum mercede, antea divulgatis per orbem terrarum Gallica & Latina lingua probris ſum notatus, publicis ludis ignominioſiſſimé traductus, conſtricta lingua, vinctis manibus prohibitus quicquam de philoſophia vel publicé, vel privatim dicere, ſcribere: cogitare etiã, ſi menti tantúm potuiſſet imperari, prohibitus eſſem: adverſus tantas tot acerbitatum plagas, unicum patientiæ remedium adhibui, in animoque ſemper illud habui:

Grata ſuperveniet, quæ non ſperabitur hora.

Nunc veró redundantibus ex eodem fonte doloribus, ut ſpe falſus diſcipulos meos diſciplinę meæ invidiâ oppreſſos damnari videam? ut Academiæ veſtro judicio, ſuas leges, ſuam ſcholã, ſuam diſciplinam, ſuos doctores reſtituere nequeam? O me infelicem, & vaniſſima ſpe eloquentiæ & philoſophiæ ſtudiis tantopere deditum! Ego cúm rhetoricis & dialecticis artibus cognoſcendis, inſtituendis, exercendis, tot annorum operam, induſtriam, vitam conſumpſiſſem, earum vel in ſua defenſione atque cauſſa præſidium mihi defuturum putarem? Ubi, ubi ſunt igitur illæ magnificæ vires, quas in iis artibus ſitas eſſe credidi? ubi Dialectica rerũ fides, & veritatis ſuadela Philoſophia? ubi venuſtas orationis & eloquentiæ virtus illa flexanima? ubi denique vox illa tua, Petre Rame, quæ tot annos has artes tanta frequentia docuit? nihil ne iſta omnia, cúm cæteris opẽ ferant, diſcipulis ſuis opitulari poterunt? Vos, vos appello, Reges, Pontifices, qui Academiam condidiſtis,

Posteris vestris non modó viventibus, sed regnã-tibus & imperantibus Academia vestra damnabitur? At qua de caussa? quia ex legum vestrarum voluntate, ex omnium hominum, qui unquam in literis & doctrina nomen habuerunt, authoritate, eloquentiam cum philosophia ad earũ summam & utilitatem & facilitatem conjungit. Per quos Judices? quos non solúm liberalis & ingenuæ disciplinæ scientia, sed summa virtutis & integritatis gloria prædicamus, & in cælo ponimus: ut nulla ad consolandum dolorem mihi querela relinquatur, si tantam Academiæ calamitatem & miseriam judiciis eorum confirmatam videam. Quorum tãta invidia? Lividorum nempe Geniorum, quibus pondus Aetna gravius est, quód is (á quo Reipub. caussâ despiciũtur, & quales sunt tales habentur) Academiæ tanta bona procuravit, quód nobiles & laudandas artes illustravit, quód earum fructus indagavit & protulit. Utinam, Deum immortalem, bubulcus, opilio, bajulus, aut si quid his abjectius est, reliquam vitam traherem, & translata laborum nostrorum in hos beatos zoilos mercede & gratia, tantarum rerum inventores ipsi dicerentur, authores haberentur, ut Academiam ingenuis doctrinis, ingenuis doctoribus glorioſam & triumphantem viderem: magnas ex hac mea miseria voluptates caperem. Mei verò nominis invidiâ Academiam vexatam, suis bonis eversam ac propé funeratam spectare, miserum me! quám acerbum mihi, quám miserabile, quám morte quavis effugiẽdum spectaculum esse videatur! Ne mihi, Judices, ne vestræ ætati,

ne po-

ne posteritati tantos mœrores, tamque graves dolores inurite: tãtum enim bonum requiretis, nati vestri requirent: imó, ut ait ille,

Et nati natorum, & qui nascentur ab illis.

At potiús, Judices, bonitati & sapientiæ constantiam & fortitudinem conjungite, & de artium facultate, de juventutis eruditione, de omnium gẽtium, temporum, locorum communi utilitate, tãtæ urbis tanta Academia, tanti denique vestri nominis tanta gloria dignam sententiam dicite.

CAROLO LOTHARINGO CARDINALI, MECOEnati suo, Petrus Ramus S.

MITTO *ad te professionis nostræ præfationem in tanta hominum frequentia habitam, ut non modó de concione permulti pené exanimati subducti sint, sed ipsum oratorem ex tam multiplici tamque denso spiritu halituque orta ravis propemodum oppresserit. Itaque leges nonnulla, quæ duo millia hominum laudem tuæ virtutis audientiũ, non audivere. Vale.*

PETRI RAMI ELOQVENTIÆ ET PHILOSOPHIÆ *professoris Regii, Oratio.*

DVÆ res sunt, Auditores, quas initio professionis nostræ unusquisq; vestrûm á nobis expectare videatur : imprimis ut gratias agamus iis, per quos in hunc locum venimus, deinde muneris officiíque nostri rationem vobis exponamus. Ad sextum igitur Calendas Augusti, cúm Blesiis Carolus Lotharingus Cardinalis, disciplinæ nostræ causſam (quam etsi antea amplissimé cognitam, tamé Lutetia transiens, & domi privatim ex utriusque partibus, & publicé in foro ex partiũ oratoribus sententiáque Judicum amplius recognoverat) ad Henricum Regem retulisset : Regi placuit, ut in numero atque ordine Regiorum professorũ essemus, atque ex instituto nostræ disciplinæ, eloquẽtiam simul Philosophiamque doceremus : idque nobis per epistolam singularibus & honorificis verbis conscriptam denunciavit. Quam ob rem Henrico Valesio Regi Christianissimo maximas gratias habeo, habeboque dum vivã. Enimvero, Auditores, si quis inopum liberorum pater, argẽtum, aurum, magnasque & precioſas majorum suorum opes alicubi neglectas invenisset, & tamẽ propter saxa & asperitates neque domum cõportare, neque cum liberis communicare posset: tãdem veró Hercules aliquis, miseram patris fortunam

tunâ miseratus, locum saxis & asperitatibus perpurgaret, summamque tollendi, largiendi, fruendi copiam faceret: quibus gaudiis tam fortunatus pater exultaret? quas illi Herculi gratias ageret? At verò pater ille miser annos aliquot fui: discipulos multos curæ diligentiæque meæ commissos habui: Eloquentiæ Philosophiæque magnas & precioſas opes, veterum & oratorum & poëtarum & philosophorum monumentis, quasi testamentis, relictas aspexi, sed hæredum incuria neglectas: quas cum ratione & via componere, ad usum vitæ congruenter exercere, discipulis dividere cuperem, incredibiles rerum asperitates conatibus nostris objectę & oppositæ sunt: imó verò ne caperem, manus mihi vinctæ sunt: ne cuiquam indicarem, os mihi occlusum est, prohibituſque sum de illis opibus quicquam vel voce, vel scriptura prodere. Interea misero Rex Henricus, Hercules videlicet Gallicus, adfuit, meque quarto abhinc anno ad postulationem Caroli Lotharingi Cardinalis, & manibus & lingua solvit, solutoque, Eloquentiæ & Philosophiæ docendæ, exercendæ, illustrandæ potestatem fecit: proximisque superioribus diebus, cùm veteres molestias nobis renovari & vehemētiores etiam creari cognosceret, virtutem quoque & bonitatem suâ largius & magnificētius exprompsit, laboresque nostros non solùm liberos, sed Regiis etiam stipendiis ornatos esse voluit. Quapropter, Henrice Rex Christianissime, si tibi vitam, quæ hoc corpore continetur, debere me dicam, quòd liberas, quòd alis, quòd ornas, parum dicam: animi, qui

corpore longé charior eſt, animi (inquam) vitam potius debeam, cujus labores ac vigiliæ beneficiis tuis aluntur & vivunt, &(ut ſpero) præcones tuæ laudis poſteris ſeculis alentur ac vivent. Plato, lanificii cujuſdam textori, Regem ſimilem facit, regiæque texturæ ſtamen, in fortitudine civium, ſubtegmen in temperãtia ſtatuit: regique ad eos mores inter ſe diverſos complicandum & contexendum, gemina vincula tribuit: humana, in corporum fortium cúm temperatis connubio & cõjunctione: divina, in laudandarum & honeſtarũ artium inſtitutione, quibus animi fortes manſueſcunt, temperantes excitantur. Ac cúm multa ſint á Carolo Magno & poſteris inde regibus ad Regni ſalutem & dignitatem divinitus inſtituta, nil tamen ab illis divinius factum eſt, quám quód per univerſam Galliam tot nobiles Academias, omnium ſcientiarum magiſtras, inſtituerunt. Tãtum bonum Rex Franciſcus, ut ingenio ſingulari, & omnium excellentium artium amantiſſimo fuit, acutiſſimé perſpexit, cúm per Gulielmum Budæum, hominem uſquequaque doctiſſimum, doctos linguarum & diſciplinarum profeſſores in hac ampliſſima orbis terrarum Academia collocavit. Ergo, Henrice Rex Chriſtianiſſime, diviña hæc Regni tui vincula á majoribus tuis, Frãciæ noſtræ Regibus inſtituta, á patre Frãciſco ſtudioſius exculta, retine & amplifica.

Duæ ſummi Regis propriæ ſunt artes,
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.
Verúm é duobus altero majus illud eſt,
Parcere ſubjectis, paciſque imponere morem.

Britan-

Britannos, gentem bello ſuperbam & nobilem, regni tui finibus ſummoviſti, ſummotos (quod majus eſt) pacis fœdere tibi ſociaſti: Vicinæ gentes Henrici virtutem formidāt, vel potius (quod multó laudabilius eſt) verentur atque amant. Quare non ſolúm virtute & armis hoſtes reprimere, ſed multó magis pacis artibus ac ſtudiis beatiſſimam tot populis regno tuo ſubjectis vitam contexere perſevera. τοῦτο γὰρ, ut ait idem heros ille noſter Plato, πάντων μεγαλοπρεπέστατον ὑφασμάτων καὶ ἄριστον. Hæc enim textura eſt omnium magnificentiſſima & optima. Secundus gratiarum locus, Auditores, Carolo Lotharingo Cardinali debitus eſt, qui ſe mihi, ſimul atque novit, amore literarum Mecœnatem, ſtudio levandæ virtutis auxilioque, patronum & defenſorem præbuit: nec perexigua ingenii mei facultate potius illectus, quám mirabili quadam ſuæ & naturæ & diſciplinæ præſtantia inductus. Dicam veró, aſſentationis ſuſpicionem nil veritus, cum viventium præſentiumque permultorum memoria teſtis, orationis meæ fidem maximam factura ſit. Fuit, Auditores, Carolus Lotharingus á teneris annis, doctrinæ virtutiſque ſtudiis tantopere deditus, ut omnes qui videbamus, flagrantem juvenis animum miraremur. Attentio in doctore audiendo, meditatio in eo quod prælectum eſſet, ediſcendo, ſollicitudo in expoſiti authoris exemplo imitando, contentio in omni genere ſcriptionis & dictionis exercendo ſumma fuit: Horatianumque illud animo penitus infixum & impreſſum habuit,

Qui cupit optatam curſu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, ſudavit & alſit.

Nunc veró nuper etiam, licet in occupatiſſima vita, tamen elegiam ab eo verbis & ſententiis elegãtiſſimé ſcriptã legimus: tam ſolidus bene fundatæ doctrinæ fructus eſt. Non puduit in ſchola cinctũ eſſe, non ad ſonitum tintinnabuli, gymnaſticis moribus & legibus obtemperare: glorioſum putavit, ut dignitate & gloria ſummos, ſic obſequio modeſtiaque infimos ſuperare: adeó ut toto gymnaſio, pædagogi & magiſtri, adhortationis exemplum ab eo ſumerent, diſcipuloque tardiori dicerent, Carolum Lotharingum imitare. Pueritiæ deinde doctrinis informatus, quanvis ad res majores capeſſendas vocaretur, tamẽ & Philoſophiã & Juriſprudentiam & Theologiam ſummis doctoribus adhibitis cognovit & percepit. Nec certé amplitudo generis (in quo ſunt Hieroſolymitani, Siculi, Neapolitani, Arragonenſes reges, ut tot duces comiteſque prętermittam) aliud ei quicquã fuit, quám animi amplitudo ad dignam majorum ſuorum titulis & ſtemmatis virtutem conſequendum. Quapropter tantis & naturæ & induſtriæ bonis ornatus, nõ ſolúm á doctis & bonis coli & amari cœpit: ſed ipſe imprimis omnes, in quibus aliquid ſimile ſui videret, colere atque amare voluit. Itaque cum ſalutarem, aliquando etiam (quæ ſumma ejus humanitas ſemper fuit) unà colloquerer & ſermones conferrem, complexus me eſt, ex eoque tempore nunquam deſeruit. In noſtris acerbiſſimis temporibus (quæ antea breviter attigi) variiſque & undique circunfuſis moleſtiis,

Carolus

Carolus Lotharingus unica mihi levatio fuit. Henricum Regem docuit, omnibus temporibus in philoſophia liberum cuique fuiſſe, pro quo & contra quem vellet, dicere, philoſophiamque aliter abſolvi non poſſe: Platonem, in Zenone, Parmenide, Democrito, ſuperioribuſque aliis quædã probaſſe, quædam improbaſſe: Ariſtotelem in Platone, Theophraſtum in Ariſtotele, deincepſque in aliis alios, donec philoſophiæ vera ſtudia viguerunt, eandem libertatẽ ſecutos eſſe. Quod ſi rejiciendis malis, ſeligendis bonis, in ea diligentia diutius eſſet perſeveratum, futuram perfectiorem philoſophiam fuiſſe. Itaque referẽte Carolo Lotharingo & cauſſam agente, per Henricum Regem liberati & reſtituti ſumus, & quatuor annos poſtea pacatis ſtudiis uſi ſumus. Tandem hyeme proxima, cũm reus in judicium vocarer, quód eloquẽtiam cum philoſophia conjungerem, qua bonitate animi & æquitate rem totã & cognovit & expedivit? Vnius primũ accuſationem graviſſimam audivit, me Academicum nominantis, & inaudita calumnia deſcribentis humanarum divinarumque rerũ hoſtem & inimicum, qui de humanis diviniſque legibus dubitarem, deque iis dubitare diſcipulos meos docerem: qui lubricos divi Auguſtini locos meis auditoribus ad effrænatam & impiam libertatem proponerẽ: qui (quo facilius incautis animis abuterer) omnes logicas diſputationes tollerem. Quæ cũm mihi Cardinalis in cœna recitaſſet, ad eaque reſpondere juſſiſſet: Hei mihi, Mecœnas, inquã, quid audio? unde malevolẽtiſſimus calumniator quiſquã tam impiam

fraudem comminiſci, in quibus noſtris ullis factis, dictis, vel leviſſimam tantæ calumniæ ſuſpicionem invenire potuit? Nullam enim Academiã, niſi veris & utilibus grammaticæ, rhetoricæ, philoſophiæque univerſæ præceptis, niſi Reipublicæ noſtræ, niſi religioni Chriſtianæ congruentem & conſentientẽ habemus, neque ſcimus, neque probamus: quin contra tam abſurdum, tamque commentitium Academiæ nomen, artium (in quibus adhuc verſati ſumus) veras & utiles partes præceptis affirmamus, exemplis illuſtramus, uſu & exercitatione quotidiana celebramus: tantum abeſt, ut de iis dubitemus, vel alios, dubitare doceamus. Libros noſtros, poëtarum, oratorum, philoſophorũ familiaribus exemplis refertos tibi dicavimus, lubricos Auguſtini locos non citavimus: nec ullum in tota Academia gymnaſiũ eſſe arbitror, in quo logicæ diſputationes diligentius exerceãtur. Quare, Mecœnas, per ſanctiſſimum juſtiſſimumque viventis dei numen, virtutem tuam excita, & à tam horribili tamque tetra calumnia, innocentiam noſtram libera. Iſta, iſta crimina ſunt, quibus opprimimur, niſi nobis opem tuleris. Hic, Auditores, optimi generoſiſſimique Cardinalis animum, tanta atrocitate vehementer offenſum vidi. Itaque in proximum diem cauſſæ diſceptationem á Senatus præſide poſtulavit, & tamen domi prius adverſarios meos, abſente me, patienter audivit: quos cũ ſine cauſſa tantopere commotos animadverteret, accerſiri me & ſingulis eorum argumentis ſatisfacere jubet. Ego veró & libenter & conſtanter ſatisfeci. hominum iratorũ vanos & inanes tumultus

tus ostendi. Meminerunt, qui tum adfuere, qua verborum gravitate & veritate, Cardinalis accusatores acceperit. Pari constantia postridie judex in foro tres feré perpetuas horas consedit, & Christophorum Touteum, appellationis nostræ partes eleganter & ornaté defendentem: Jacobum Fabritium, pro discipulis nostris liberé fortiterque contendentem, Dionysium Riandum, pro dubiæ caussæ inopia & infirmitate, copiosé tamen & vehementer oppugnantem: Petrum Seguierium, regium Parisiensis Senatus oratorem, sapienter & magnificé de Reipublicæ commodo perorantem auscultavit: tandemque cum Senatu universo censuit, primúm, ut discipuli nostri in pristinum & integrum statum restituerentur: deinde, quod ad disciplinam attinet, ut dierum ordinariorum præcipuis horis philosophia prælegeretur: eamque prælectionem, poëtarum & oratorum exemplis illustrare, reliquis eorundem dierum non præcipuis horis, itemque totis diebus extraordinariis, ac festis poëtas & oratores, omnesque eloquentes authores, pro philosophiæ, quæ tum tractaretur genere, prælegere liceret: quæ nostra de conjungendis eloquentiæ & philosophiæ studiis, tam diuturna contentio fuit; Improbissiméque mentitus est, qui iis contraria impudentissimé prædicavit. Ergo, Mecœnas, hoc judicio sanctissimé constituto, studiis nostris otium & pacem philosophiæ studiosis philosophiæ synceritatem & veritatem cõstituisti. Tantum veró tamque infinitum beneficium ubi Parisiensis Academia (quod brevi futurum confido) cognoverit, te non nostrum, sed suum Mecœ-

natem nominabit: non ſolum te Cardinalibus illis antiquis, Simoni, Ægidio, Joanni, Gulielmo legiſlatoribus noſtris comparabit, ſed in Carolo Lotharingo Carolum Magnum conditorẽ ſuum divinitus ſibi redditum judicabit, qui rudia & inchoata veteris Academię initia formares & abſolveres. Quæ cúm ita ſint, Auditores, & mea & publica cauſſa, Carolo Lotharingo maximas gratias ago, quód in meo nomine hanc univerſitatem, velut univerſi orbis quandam civitatem, tantis bonis effecerit. Attamẽ quód hujus profeſſionis locum nobis impetrarit, multo majores agere debeo. Etenim Academiæ graviſſimis (de quibus in defenſione dictum eſt (malis vindicandæ poteſtatem, ſummi Senatus authoritate confirmatam aſſequi, ampliſſimus bene de hominum genere merendi campus fuit. At huic etiam poteſtati regium præmium decerni, fructum dignitatis & honoris inſtitui, quantum mihi, quamque magnum ſit in jucundiſſimo & optatiſſimo graviſſimæ contentionis exitu, verear ne ſit invidioſum dicere, ſi meum magis, quám veſtrũ beneficium putarem. Verũ ſic exiſtimare debetis, á Carolo Lotharingo, non tam mihi profeſſionis regiæ locũ quæſitum, quã vobis & Academiæ Pariſienſi profeſſorem regiũ & gratuitum eſſe comparatũ. Meus erit in hac profeſſione labor, laboris fructus veſter erit. Quamobrem, Auditores, communi Mecœnati communes mecũ gratias agite: Carolum Lotharingum intimis animis accipite, amate, colite: quãtumque is annis creſcet, ei tanta authoritatis incrementa deſiderate. Quantum enim ille authoritate creverit, tantũ

laudanda

laudanda literarum ſtudia vigebunt ac florebunt. Academiam Rhemenſem optimis initiis fundavit, patriam ſempiterno beneficio decoravit & ornavit: meminit tamen ſe Academiæ Pariſienſis alumnum eſſe, & ex ejus tanquam matris vberibus, prima ſuæ virtutis alimenta ſuxiſſe: Ideoque charitate & pietate mirifica ſuſtentat, & quibuſcunque modis licet, adjuvat. Quare, Mecœnas, ut homines quamplurimos, ut potius orbem terrarum maximis bonis compleas, macte animi virtute eſto, potentiæque magnitudine, non jam Cardinalis, ſed Cardinalitij gregis paſtor, cardines ovilis Chriſtiani concludito. Actiones gratiarum, Auditores, non quas perſonarũ gravitas poſtulabat, ſed quas ingenii noſtri mediocritas tulit, peregimus. Pars orationis altera mihi ſupereſt de muneris officiique noſtri ratione: quo loco omnium veſtrûm æquitatem poſtulo, oro, obſecro. Enimvero, ut Demoſthenes ait, ὥσπερ ἂν ἐν πλοίῳ τῶν μὲν ἱστίῳ, τῶν δὲ κώπαις ἀποφαινομένων κομίζεσθαι, λέγεσθαι μὲν ὑπ' ἀμφοτέρων ἅπαντα ὅτι σωτηρία, γεγωνῆσθαι δὲ πῶ χρεὶαν πρὸς τὰ συμβαίνοντα ὑπὸ τῶν θεῶν. Quemadmodum in navigio, quanvis alii velis, alii remis navigandum eſſe cenſeant, utrique tamen ad ſalutem dicunt omnia, res verò pro deorum voluntate ſuccedunt. Una omnium huius Reipub. civium de communi ſalute voluntas fuit, philoſophicum curriculum multis malis liberari: contrariis bonis augeri omnes volebant, ſed alii alium navigationis curſum tenebãt: & quod plerunque fit in populari deliberatione, ut non qui optimé moneat, ſed qui cęteros clamore vincat, audiatur: ſic ea quæ pro mea parte ad

hanc publicam consultationem afferebam, audita non sunt, quanvis illa ipsa navigationis esset via, quam omnes summis votis exposcebant, quam etiam Academiæ nostræ leges, Regiæ & Pontificiæ, altera de modo philosophiæ declarandæ, altera de eloquentiæ & philosophiæ conjunctione, nobis ostendebant. Lex prior multis malis Academiam liberabat, lex posterior multis bonis Academiã augebat. De quibus quia multis verbis in defensione nostra disputatum est, breviorem quandam rationem duntaxat afferam (nec disputandi, cúm res concluſa & perorata sit, sed conciliandi & placandi causſa dicam, ne cuiquam gratia potius, quám æquitate summa judiciũ factum esse videatur. Prior ergo lex jubet remotis pennis & calamis philosophiam perpetua voce raptim declarari: Secundum quem modum, ait, fiunt sermones in universitate, & recommendationes, & quem lectores in cæteris facultatibus insequuntur. Hæc verba legis, Auditores, in animis imprimite, & ante oculos ponite: quod tantopere fuit in controversia causſaque positum, quomodo docendus Aristoteles: An omnes Aristotelis libri lege præscripti in philosophico curriculo ad verbum prælegendi, ut adversarii voluerunt: an potius ex præcipuis capitibus & necessariis tantum sententiis cognoscendi & explicandi, ut consuluimus. Quæstionem hanc lege definiri dico, cũ lex Aristotelis libros raptim eo modo explicari jubeat, quo tum cæteræ facultates, suam quæque doctrinam explicarent. Quomodo igitur Theologorum conciones à ducentis annis (quibus facta lex est) Lutetię habitas arbitramur?

mur? Præcipua, & quæ per ſe rudis auditor difficiliùs intelligeret, evangelii capita tractabantur, ſicut ex veterum ſcriptis ſermonibus, quos lex appellat, & editis concionibus apparet. Theologos etiam ipſi audivimus, Evangelium in aliquot capita partiri ſolitos, de quibus tota concione diſſererent, Evangelium ad verbum non explicabant: neque hoc tempore theologię diſcipulis ad verbum, vetus & novum Teſtamentum, ſed utriuſque ſumma, ſummeque neceſſaria certis ſententiis collecta capita diſcenda & diſputanda proponuntur: quibus informati, cætera per ſe comprehẽdant. Quomodo juris interpretes in juris interpretatione á ducentis annis verſatos arbitramur? In ſententia legis ſic occupabantur, ut vel hodie celeberrimi doctores inſignia poſitæ legis puncta interpretentur, legem ad verbum non perſequantur. Medicinam etiam noſtra ætate qui profitentur, non ex ſingulis Hippocratis & Galeni verbis, ſed ne libris quidem totis explicant: Præcipuos tantum libros, & eos quidem plerunque breviter contractos, explicant. Ergo cæterarum doctores facultatum totos artium ſuarum libros ad verbum non prælegerunt, neque modo prælegunt: nec philoſophi ipſi in hac Academia, Ariſtotelis libros ante Fabrum Stapulenſem ad verbum explicabant. Verumenimvero, quó facilius quod dico, percipiatur, ad minores artes deſcendamus. Tempore, quo lex ædita eſt, grammatica per etymologiæ, ſyntaxeos, proſodiæ, orthographiæ partes digeſta non fuit, ut nunc eſt, ſed multa Varronis, Priſciani, Diomedis, aliorumque grammaticorum

volumina fuerunt, in quibus quod uno verbo definiri poterat, libro interdum uno tractabatur: idem á diversis authoribus necessarió sæpius iterabatur, cúm omnes omnia complecti vellent: variis aliquando & contrariis opinionibus disputabatur, reprehensionibus, & altercationibus confundebatur. Hæc volumina pueris prælegere labor infinitus fuisset: Regulæ igitur ad scribendum & loquendum, id est, ad grammaticæ finem & usum necessariæ, per eorum, grammaticorum doctores & interpretes subductæ sunt: res una perspicué & semel exposita est, cætera tam prolixa sunt omissa: & grammatica ex præcipuis grammaticorum punctis informata breviter est, ut tantæ prolixitatis vix jam centesima pars, grammaticæ discipulo relinquatur: nec omnino jam Varronis vel Diomedis authoritas, sed usu confirmata artis veritas allegatur. Antequam Arithmetica Geometriaque tam accuraté constitissent, opiniones variæ & dissidentes, & multis libris & disputationibus controversæ fuerunt, quas juventuti tradere fuerat permolestum. Itaque certa rerum scientia, abjectis hominum contentionibus, retenta est: nec tam citatur hîc hominum opinio, sed certa cognitio demonstratur. Quare quam doctrinæ prudentiam in grammatica, arithmetica, geometria adhibitam videmus, eandem lex Academiæ nostræ in philosophicis libris explicandis requirit, nec ad verbum totos Aristotelis libros prælegi jubet, sed contrá ex præcipuis & necessariis eorũ sententiis, philosophiæ scientiam colligi: aliarum facultatum exempla proponit, quæ sectemur & imitemur.

imitemur. At hanc veterem legem Cardinalis Totavillæus anno milleſimo quadringēteſimo quinquageſimo ſecundo abrogavit: Imó veró confirmavit, & manifeſtis verbis explicavit: tātum abeſt ut abrogarit, ut improbo mendacio nobis objectum eſt. Sic autem loquitur: Mandamus & diſtrictius in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus omnibus ac ſingulis magiſtris regentibus & docentibus, quatenus circa textum Ariſtotelis ſcholaribus ſuis exponendum, de puncto in punctum intendant, ſive de capitulo in capitulùm diligenter commēta, & expoſitiones philoſophorum & doctorum ſtudeant & exquirant: ita quód lectiones ſuas elaborato ſtudio ſuis diſcipulis ore proprio dicant & pronuncient. Diſiunctione igitur, Auditores, Totavillæa lex utitur, & ex veteris legis præſcripto præcipit, non ad verbum philoſophicos libros declarari, ſed é philoſophorum libris præcipua puncta, capitáque neceſſaria exponi: ejuſque expoſitionis duos modos oſtendit, ut diligēs præceptor per ſeipſum philoſophicos libros expēdat, punctaque illa neceſſaria excutiat, & colligat excuſſa, & collecta diſcipulis tradat, ut ante Deſpauterium, Alexandrum, Maximianum, aut etiam his ſuperiorem alium, majores noſtri in grammaticorum libris fecere, vel interpretes, qui id jam fecerunt, ſtudioſé cognoſcat, eorumque induſtria adjutus idem faciat: ſicut hodie ex regulis á Deſpauterio collectis grammaticam docemus: ut in nova lege nil interſit philoſophiæ ſcientiam ex philoſophi libris & verbis per te colligas, an ab interprete alio jam collectam ſumas, & diſcipulos doceas.

Quare ex novæ legis ſcripto & ſententia, duplicis interpretationis diſjunctionem habemus, ut philoſophiam, ſive noſtra, ſive alterius interpretis opera collectam, de puncto in punctum, de capitulo in capitulum (ut lex loquitur & jubet) exponamus. Eſt veró perridiculũ, Auditores, quod hoc loco nobis objicitur, leges Academiæ noſtræ, Frãcico idiomate factas, & Francica lingua punctum idem ſignificare, quod verbum: & de puncto in punctum, idem eſſe quod de verbo ad verbum. Enimvero ad theologos, jureconſultos, medicos redeamus, eoſque interrogemus, an quo tempore lex condita eſt, ad verbum totos artium ſuarũ authores & libros explicarent. Sed tamen operæpretium ſit, quia de linguæ proprietate contendimus, nutrices, patres, matres, populumque totum Francicum ſuæ linguæ magiſtrum audire: qui cum in bono vel malo puncto quempiam eſſe dicit, an nõ in bona malave valetudine aut fortuna, ſed in bono aut malo verbo eſſe ſignificat? cũ dicit aliquid benè maléve ad pũctum venire aut fieri, item punctum diei, an nõ occaſionem, tempus, opportunitatem, crepuſculum, ſed verbum ſignificat? Age veró, veniamus in forum, ſi populo contenti non ſimus. Hîc Francica lingua puriore noſtrates oratores utuntur. Puncta cauſſæ duo, tria, præcipuum cauſſæ punctum, ad ſingula cauſſæ puncta reſpondere cum dicunt, an non cauſſæ partes duas, tres, ſtatũ cauſſæ, ad ſingula capita aut ſingulas partes reſpondere: ſed cauſſæ verba duo, tria, præcipuum cauſſæ verbum, ad ſingula cauſſæ verba reſpondere ſignificant? O hominem in aliena lingua audacem,

cem, qui neſcio cujas, peregrinus & advena, ſaltem erubeſcas domeſticos & vernaculos ſermonis noſtri ſenſus tam impudenter ementiri. Marcellus grammaticus cum ex oratione Tyberium reprehendiſſet, affirmãte Attejo Capitone, & eſſe illud Latinum, & ſi non eſſet, futurum certé. Jam inde mentitur, inquit Capito: tu enim, Cæſar, civitatẽ dare potes hominibus, verba non potes. Ergo imperatori Romano in ſua civitate nullo cujuſquam incommodo, verbi ſignificationem novare non licuit: barbaris neſcio quibus, ad ſummam legum noſtrarum perniciem, licebit? Atque etiam in illo legis loco, (De puncto in punctum, ſive de capitulo in capitulum) calumniator noſter barbara neſcio qua grammatica, interpretatur diſjunctionẽ (ſive) per copulationem (veró:) & legem nobis præcipientem fingit, Textum Ariſtotelis de verbo ad verbum exponendum, expoſitiones veró interpretum de capitulo in capitulum exquirendas: & corrupta duorum verborum germana & vera ſignificatione, ex manifeſta diſjunctione abſurdiſſimam copulationem falſó confingit: & tamen nobis tanquam falſariis & legum corruptoribus laqueos minitatur, quos tam perditis calumniis demonſtrat ſe commeruiſſe. Quamobrem nova lex legem veterem explicat, & utraque lex manifeſtis non ſolum verbis, ſed ſententiis imperat ex philoſophicis libris neceſſarios & utiles locos ſeligendos eſſe, eoſque juventuti proponendos: quod in deliberatione publica pro mei conſilii parte dicere volui. At contra philoſophum tam acerbé dicere facinus audax fuit. Primúm ſi quid in ſummo

illo juvandæ Reipublicæ ardore vehementius & asperius Aristotelicæ animadversiones æditione prima habuerunt, æditione secunda non habuerunt: inhumanéque facit, si quis jam priora illa criminatur: seque humanitatis expertem esse confitetur, qui humani quidquam alienum esse arbitratur, posteriores homini cogitationes prioribus sapientiores accidere. Sed tamen contra philosophum dicere, facinus audax fuit. Quemnam veró philosophum? Platonémne? At Aristoteles etiam vivum reprehendit, non solum mortuum indignis modis labefactavit. Aristotelémne? Quî tibi magis calumniando Platone licet Aristotelem sequi, quám nobis Aristotelis libros examinando, Platonem tueri? Nunquam veró Platonem apud doctos homines Aristotele minorē judicavi. Quod si quibusdam nondum persuasum est, ex utriusque philosophi comparatione, quam biennium feré jam meditor, persuasum iri cōfido. Plato singulas artes non docuit, artes tamen omnes, sicut ejus philosophia indicat, habuit: summaque artiū multarum principia, sermonibus suis expressit. Artes præceptis esse distinguendas, suum cuique opus, suam cuique facultatem esse, regulas earum proprias, veras, utiles, semel tantum & perspicué tradendas, dialecticæ partes esse duas, Inventionem & Dispositionem: Rhetoricam) quæ tum tractabatur) artem unam non esse, sed veram tractandarum civilium causarum virtutem ex singularum artium perceptarum usu & veritate constare. Platonis igitur non tam authoritatem, quám veritatem sequutus, rhetoricam & dialecticam, in quibus

bus temporis plurimum posuissem, distinguere cœpi, & utriusque non solum propria, sed vera utiliaque præcepta separare: semel duntaxat explicare & ordinare, impropria, falsa, inutilia rejicere: quod summatim Plato præcepisset, id singulis partibus exquirere & disceptare: denique gravissimam Platonis authoritatem ad nostræ legis authoritatem adjungere. Quod cum facerem, inconstantiam, quód in nobis imperité reprehensum est, esse non credidi, quæ mihi in Aristotele, Cicerone, Quintiliano, Dialecticæ & Rhetoricæ propria, & ad rationis atque orationis fructum vera utiliaque viderentur, approbare & laudare, contraria secludere, & Appellis exemplo, positis propalám tabulis, hominum, monita judiciaque auscultare, quotidiéque melius aliquid & perfectius exquirere. Quæ cúm ita sint, Auditores, quæ de Dialectica & Rhetorica in dialecticis Institutionibus, Aristotelicis animadversionibus, Brutinis quæstionibus, Rhetoricis Distinctionibus, ad Academiam multis malis liberandam disputavi, non ex novo aliquo meo sensu, sed antiquissimo probatissimoque nostræ legis monitu atque hortatu disputavi: & publicæ calamitatis remedium ex publica nostræ legis medicina petendum esse consului. Quamobrem hæc una lex, quid ex totis Aristotelicæ philosophiæ libris juventuti tradendum sit, veré & sapienter admonet. Tota philosophia Aristotelis, ejusdem dogmatis iteratione referta est: lex unam rem semel & perspicué explicari jubet. permultas argutias subtiles quidem, sed inutiles habet: lex omitti jubet. maximam par-

tem, falsarum, aliquando etiam ab Aristotele ipso fictarum opinionum refutationes continet lex ab artis veritate contentiones secerni jubet: & sicut ex Grammaticorum, Arithmeticorũ, Geometrarum commentariis, Grammaticam, Arithmeticam, Geometriam collectam esse dixi: sic ex philosophorum libris, philosophiæ doctrinam colligendam esse jubet. atque ut in foro ex magnis adversarum partium concertationibus judex, quod verum justumque sit, elicit: sic in philosophia, ex tam multis disputationibus, veritas rerum scientiaque exprimatur, ἄριστον pronuncietur, nec perpetuó litigetur. Sed de priore lege satis, ad posteriorem venio, quæ cúm philosophiæ studia cum eloquentiæ studiis conjungit, exercendæ & illustrandæ philosophiæ, non tantúm eloquentiæ confirmandæ, modum ostendit. Iubet tribus annis minimúm Grammaticam cognosci, deinde triennio & sex mensibus politiorem humanitatem cum philosophia percipi. Hanc legem neque nova lex ulla, neque contrarius centum annorum mos, ut quidam improbé commenti sunt, abrogavit: Recentiores enim omnes leges, pueros in Grammaticis eruditos esse jubent, antequam ad philosophiam accedant: & lex vetus, triennium imperat: & adhuc vivunt, qui conjunctionem veteri lege præscriptam in philosophico curriculo viderunt. & quod anno superiore de sophismatis & quæstionariis cum philosophia, poëtarum & oratorum loco conjungendis, coïtione nescio qua factum est, Senatus derisit & damnavit, & iis rejectis eloquentiam cum philosophia conjungen-

dam

dam esse censuit. Quare lex ab Academiæ nostræ conditoribus posita, consequutis postea legibus nullis abrogata, sed perpetua tot annorum continuatione confirmata, vera & authentica lex est, & quatuor maximarum commoditatum causſa est: quas quia in defensione: nostra copiosissimé disputavi, breviter hîc attingam. Omnium artium exercitatio duabus rebus continetur, exemplis primúm, deinde imitatione exemplorum, & exẽplis etiam præstantiore opere: sic picturæ, Grammaticæ, aliarumque artium exercendarum prima via est in præstantibus exemplis, in quibus artis varietas & virtus á doctore demonstratur: deinde ubi discipulus cognoverit, quomodo summi authores arte & præceptis utantur, imitando sic pingit, sic loquitur & scribit, per se aliquid vel excellentius conatur & efficit. Ergo cúm omnium argumentorum, syllogismorum, methodorum, omniumque philosophiæ universæ partium exempla sint in poëtis & oratoribus, in philosophis, omnibusque sapientibus & ornatis authoribus, eaque nobis spectanda & imitanda, lex proponat, materiam imprimis exercendæ Dialecticæ & fructum nobis proponit. Hæc prima cõmoditas est: deinde eloquentiæ gratuitam non solum confirmationem, sed amplificationem proponit. Nam cúm de industria solum dialecticũ artificium tractabimus, quoniam exempla illa non solum dialectica, sed grammatica sunt & rhetorica, cúm more Demosthenis, Ciceronis, Homeri, Virgilii, Platonis, Aristotelis, disserere discemus: eadem opera, imó nulla opera, puré loqui & ornaté dicere

consuescemus. Hæc secunda commoditas est. Dixi quemadmodum prima lex philosophiam universam purgaret, purgationem illam & illustrationem secunda lex vehementer adjuvabit. Usus enim conjunctus tanquam lapis Lydius erit ad probandum quid utile fuerit, quid inutile. Hæc tertia commoditas est. Postrema est commoditas de compendio universi feré triennii, cúm uno triennio lex jubeat philosophiam & eloquentiam doceri: quæ utraque magno utriusque dispendio duobus trienniis separatim ab annis nescio quot tractari cœperat. Has, inquam, quatuor maximas commoditates, usum dialecticæ, amplificationem eloquentiæ, illustrationem philosophiæ, compendiariam magni temporis brevitatem secunda lex nobis afferet, lex Regia, lex Pontificia, lex Platonica. Etenim, Auditores, permittite mihi ut á Platone, id est, humanæ sapientiæ primo summóque principe, tantorum bonorum authoritatem, nostrarum legum authoritati consentientem repetam. φιλοσοφία, inquit apud Platonem Socrates, οὐκ ἔστι πολυμάθια. οὐδὲ γὰρ φιλογυμναστία ὄστι πολυπονία. Philosophia non est multarum rerum scientia: neque enim philogymnasia, multorum laborum est tolerantia. Itaque reprehendit Solonis illud,

Γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος.

Senesco autem assidué multa addiscens.

Atque Socrates etiam cum Delphici oraculi (quo sapientissimus erat appellatus) rationem in omnium hominum, qui sapientes haberentur, genere disquireret, opifices solos, qui brevia suarum artiũ, perque manus sibi tradita compendia breviter ediscerent,

ediſcerent, exemplis, exercitatione, uſuque perpetuo confirmarent: opifices, inquam, ſolos ſapientię alicujus participes eſſe comperit. & in definienda philoſophia, negat artium finem, artificii cognitione contineri: artificii opere atque actione contineri confirmat: & in Republica, philoſophos cognitionis participes, actionis expertes, appellat νόθους, χωλοὺς, ἀνάπηρους, ſpurios, claudos, mancos: veroſque philoſophos eſſe vult ἀρτιμελεῖς τε καὶ ἀρτίφρονας, membriſque & animis rectos & integros. Ergo ſecunda lex non tantum regia, pontificiaque, ſed etiam Platonica eſt: quæ non eſt vel perſpicua & compendiaria artium cognitione contenta, quam prior lex afferebat: ſed cognitionis actionem & exercitationem multó magis requirit, in eaque philoſophiæ laudem conſtituit. Verendumque nobis eſt, ſi diutius tam commodę legi reſiſtamus, ne Socrates aliquis denuó fabros, textores, coquos, ſartores, artificia ſua lautius & melius quám philoſophiam philoſophos tueri conqueratur, ſi opifices compẽdiariam artẽ, artis uſum ſummum perpetuumq;, philoſophi prolixam & perpetuam artem, artis uſum nullum habeant: verumenimvero ad tantas commoditates, ad tantas authoritates adverſarii nil reſpondent, ſed indiſſolubile videlicet argumentum, cuique reſponderi nullo modo poſſit, objiciunt. Ariſtotelis, inquiunt, perfecta demonſtratio, id eſt, affectionis ex æternis propriiſque cauſis de ſuo ſubjecto univerſé affirmata concluſio, in poëtis & oratoribus non invenitur. O rem ridiculam & imperitam! Quid mirum (inquam) eſt, quod Ariſtotelis commentum

in tota Aristotelis ipsius philosophia non inveniatur, in poëtis & oratoribus non inveniri? Dicam veró quod quibusdam mirabilius fuerit: non modó in libris Aristotelis, sed in totis Euclidis mathematis talem demonstrationem nullam inveniri. Si quis nos refellere velit, exemplum non á se fictum & compositum, sed ab Euclide sic formatum & expressum proferat, tum erit nostrum videre, an ad Aristotelicæ demonstrationis definitionem conveniat: an argumentum, caussa sit æterna & affectionis demonstrandæ propria: an tota ratiocinatio, figura sit & modo concluśa. Quare si nusquam fictæ hujus demonstrationis exemplum reperiatur, an ideó protinus Dialectica nusquam erit? an non solúm in poëtis & oratoribus, sed in ipsis quidē philosophis nulla erit? Sed finge alicubi inveniri: demonstratio tamen hæc unicum argumenti in Dialectica, quasi unicū nominis in Grammatica genus est. An igitur si nomen aliquod in Cicerone non fuerit, si argumentum aliquod in eodem non fuerit, Grammatica protinus & Dialectica non erit? At in poëtis & oratoribus Dialectica puerilis est. Fuerit: An non idcirco pueris, id est, rudibus & novitiis initió proponenda? In mathematicis, quæ succedūt, solidior ostendetur: in Physica, medicina, jurisprudentia, theologia, id est, reliqua vita, copiosior & uberior apparebit: & ut naturalis rationis, sic Dialecticæ, id est, rationalis artis usus in pueritia puerilis, in virili ætate virilis, in senectute senilis erit. Multæ similes nugæ contra nos á calumniatore nescio cujus doctrinæ non imperito produ-

ctæ

ctæ ſunt: quibus ſi reſpondeam, verear ne ipſe nugatorius & vanus appearem. Quamobrem quod inſtituimus, dicendum & concludendum eſt, duabus legibus, de modo philoſophiæ docēdæ, de modo philoſophiæ cum eloquentia tractādæ & exercendæ, ſalutem & incolumitatem Academiæ contineri. Atque ab his legibus monſtratam liberandæ multis malis, ornandæ multis bonis Academiæ viam, in communi omnium noſtrum deliberatione dicere volui: auditus in Academia ipſa non ſum, ſed quaſi legibus ſervandis & promovendis leges ipſas, quod ab iratis & imperitis hominibus cōtra nos tātopere conclamatum eſt, violarem & corrumperē, in illo tumultu pulſatus & penè oppreſſus ſum. In quo tamen tātum abeſt ut quenquam accuſem, ut meam ipſius negligentiā accuſem, quia ſingulos (cum ab univerſis audiri non poſſem) in tumultuante navi nautas non adjerim, quia remiſſius & tardius tantam cauſſam procurarim. Quinetiam ſi quid hîc (quod humanum eſt) ignorantia peccarem, pœnam illam ignorāti debitam, quám Thraſymacho de ſe Socrates æſtimavit, ſemper optavi, id eſt, refelli, coargui, convinci, á ſapientiore denique doceri. hoc ſupplicii genus ab adverſariis miſer aſſequi non potui: turbare, vexare, traducere voluerunt, meliorem & doctiorem facere noluerunt. Omnium probrorum contumelia, publicis & privatis ludis traductus ſum: nil reſpondi, patienter tuli, artium vitia, non hominum odia convincenda mihi propoſui. Velut impius notatus ſum, quód in Ariſtotelis libris locos impios Chri-

ſtianis animis cavendos eſſe dicerem. At hoc lex Academiæ noſtræ anno 1271. lata nominatim dicit, & Ariſtotelica religio ac pietas in cõparatione Platonis & Ariſtotelis latiſſimé patebit. Novus inauditi generis Academicus, humanarum divinarumque rerum hoſtis & inimicus, ut initio dixi, definitus ſum: tam ſceleratæ calumniæ, tamq; impiæ fraudis authorem hodierno die corã Deo & hominibus accuſo, ab eoque, nominis noſtri, tam nefarié violati rationem repeto. Deriſus ſum quód in meis periculis Deum orarem: at ſyncera mente oravi, & ut ſpes eſt, magno Reipublicæ bono exoravi. Perjurus appellatus ſum, quód præclarum illud decretum de ſophiſmatis & quæſtionariis á Senatu deriſum, ut dixi, & damnatum non ſervarem, cum tamen in Academiæ leges juraſſem. Ego veró cum veriſſimo jurejurando in Academiæ ſalutem juravi, in Academię perniciem ex ſophiſmatis illis cõcretam non juravi. Carbonarius pater probri loco nobis objectus eſt: Avus certé in Eburonũ gente, familia imprimis illuſtri fuit: ſed patria á Carolo Burgundionũ duce capta & incẽſa, in Veromanduorũ agrum profugus, ob paupertatem carbonarius fuit, pater agricola fuit: utroq; etiã pauperior fui, & ſic á malo divite neſcio quo, cujus & pater & patria ignoratur, generis ingenui paupertas in nobis accuſatur. At Chriſtianus ſum, nec unquam paupertatem, malũ putavi. Ariſtoteleus non ſum, ut difficilé putem eſſe præclaras res agere, cui magnę opes deſunt. Fortunæ neceſſitate coactus, multos annos durã ſervitutem ſervivi: animo tamen nunquam ſervus fui,

animum nunquã deſpondi, vel abjeci. Ergo Deus Opt. Max. qui potes é lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ, ſuſcita in Carbonarii nepote, Agricolæ filio, tot indignitatibus afflicto, non magnas opes magnamque fortunã, quibus ad inſtrumenta profeſſionis meæ, atramentũ, chartam, pennam non admodũ opus eſt, ſed tota vita mentẽ rectam, perpetuamq; diligentiam & induſtriam: mihique ad tuã laudem, ad Academiæ ſalutẽ, quám diutiſſimé in muneris mei fornace ſudare, in aratro laborare, bonorũ omnium & ſit & videatur eſſe maximũ. Sed de iis ſatis vel etiã plura quám cogitaſſem: tãdem peroremus. Deliberationis & conſultationis exitũ Senatoria Regiaque authoritate conſequuti ſumus, opus ipſum aggrediẽdum & peragendum eſt. Quare agite, Auditores, tam ſalutaribus legũ noſtrarum, noſtri Senatus, Regis etiã noſtri conſiliis & mãdatis freti, vela ventis pandamus, & ad propoſitum deliberatę & conſtitutæ navigationis portum cõtendamus: perſpicuam cõpendiariamque artem, ut prima lex admonet, ſequamur: cõpendiariæ artis, ut ſecunda lex jubet, uſum ſummũ conſequamur: vel potius Socraticam opificũ ſapientiam initio imitemur: utq; piſtores panis, ſartores veſtis, textores panni inſignis opificio, pinſendi, ſarciendi, texendi artes docent: ita nos dicẽdi diſputandiq; artes, dictionis diſputationiſq; nobilis exemplo primúm doceamus. Orationẽ Ciceronis brevem, ſed rhetorica & dialectica præſtantem ſelegimus, in qua primó cõjunctos utriuſque artis fructus deguſtemus: tum paulatim, quæ veſtra requiret utilitas, aſſumemus. Dixi.

PETRVS RAMVS LECTORI S.

DIXI *in concione populi noſtri, hanc orationem, & ædidi, ut teſtis eſſet non ſolúm noſtris hominibus diligentiæ noſtræ, ſed Francis, adeoque exteris populis omnibus, quám benignos, quamque liberales principes haberemus. Vale Lutetiæ Pariſiorum, é Prælео noſtro,* 10. *Calend. Jul.*. 1557.

PETRI RAMI DE LEGATIONE ORATIO.

EQUIDEM non dubito, AUDITORES, quin celebritate comitiorum Maturinenſium, publicæ ſupplicationis concione, ipſa denique rerum fama, ſtudioſé propoſitũ & accuraté partibus omnibus explicatum ſit, quicquid vobis de cauſſa Univerſitatis proponi explicarique poſſit: Attamen in hac Regii beneficii gratulatione & lætitia, ne forté turpe ſit, cæteros omnes gratiis agendis ac celebrandis exultare, unum me Univerſitatis & Regis alumnum, tacere: cupio pro mea quoque parte, Regis optimi tantam erga nos magnificé-

tiam

tiam notã, teſtatam, claram relinquere. Ab initio igitur ſummam repetam.

—*Longa eſt* (inquit ille) *injuria, longæ*
Ambages, ſed ſumma ſequar faſtigia rerum.

Ad ſeptimum Calendas Junias, cúm publicis Univerſitatis ſententiis, vel potiús votis, ad Regẽ Legati proficiſcerẽtur Jo. Salignacus Theologus, Claudius Doderius Jurecõſultus, Philippus Alenus Medicus, Adrianus Turnebus, & Petrus Ramus, uterque profeſſor Regius, nolite tacitis animis quærere, qua ſolicitudine ſinguli de publicæ calamitatis allevatione cogitarint, quo ſermonis aditu, Regis ira tam gravis, indignatioque ſubiri, qua lenitatè orationis, incenſi principum animi reſtingui, quibus omnino modis tanta conflatæ invidiæ moles ſuſtineri poſſet: nihil tam mœſtũ, tam ſolicitum, tamq; exercitũ fuit. Itaque ut primúm Feram Tardenorum, unde Rex nondum diſceſſerat, pervenimus, ad regiam uná omnes é veſtigio contendimus. Primus nobis bonæ ſpei portus, Carolus Lotharingus Cardinalis fuit: qui ſimul atque Legatos Univerſitatis adeſſe didicit, cæteris rebus omiſſis, nihil prius habuit, quám ut literas eorum, mandataque cognoſceret. Salignacus igitur legationis princeps, & quidem ſingulari raræ cujuſdam doctrinæ & virtutis gratiâ atque authoritate princeps, expoſuit, cujus tempeſtatis calamitatem Pariſienſis Univerſitas pertuliſſet: de novis ædificiis, quibus Clericorum campus uſurparetur, de rixa inde orta, de homicidio ſcholaſticorum, de impunitate homicidarum, de motu conſecuto, de incendio, de ſupplicio, de vinctis,

de damnatis : denique clara diſertaque voce recitavit: quæ literis veſtris continebantur, de magna in Bellocaſſios acerbitate: Tum Doderius Juriſconſultus, majorem etiam & inhumaniorem in Narbonenſes duritiam é literis item veſtris recitavit: cæterique Legati egregia voluntate cauſſam publicam egerunt, valdeque contenderunt, ut captis & damnatis, neque dum ſupplicio affectis, ignoſceretur, aliiſque in poſterũ judicibus, ſcholaſticorum cauſſa diſceptaretur. Etenim longé alios in vindicanda conſervandaque Univerſitate Reges noſtros ſemper fuiſſe. Monachi Germanici ſcholaſticos duos quondam ſimili publici prati commotione interemêre: at judicio Regio protinus é monachorum bonis ſacella interfectis erecta, perpetuoque reditu dotata: duarum parœciarum, alterius Divorum Coſmæ & Damiani, alterius Divi Andreæ, collatio iis erepta & Univerſitati attributa: omnes cœnobii feneſtræ, quæ ſpectarent in Clericorum campum, clauſæ & obductæ. In publica ad Divam Catharinam ſupplicatione, ſcholaſticus á Caroli Savoſiani equitis pueris & famulis interemptus eſt: Quid eſt conſecutum? Regio judicio Savoſianus ipſe exilii cauſsâ ſolum vertit: domus ejus diruta. Quid de Prætore Pariſienſi noſtræ loquuntur hiſtoriæ? Anno 1303. ſcholaſticum præcipiti judicio ſuſpendit. At maturo Regioque judicio, ſuſpẽſum ore oſculari, patibulique laqueo eximere, ſceleriſque veniam á Pontifice petere coactus eſt. Anno iterum 1408. prætor alius alios ſcholaſticos duos ſimili temeritate damnavit: at damnatorũ ora ſimiliter oſculatus,

latus, & cadavera patibuli laqueo exempta, pullatus cum lictoribus item ſuis pullatis ad ſepulchri monimẽtum proſecutus, magiſtratu denique abdicatus eſt. Hanc igitur Regiam in conſervanda Univerſitate æquitatem, Legati omnes poſtulavêre. Ac quoniam certarum rerum commentarios ab Univerſitate acceperam, Cardinalem rogavi, ne moleſtum eſſet, eorum quoque ſententiam attendere. Quod cúm benevolé annuiſſet, capita duo propoſui, unũ de Senatuſconſulto, alterum de Regis edicto.

ENIMVERO (inquam) Cardinalis, Senatuſconſulto hora á meridie ſexta, gymnaſiorum portæ clauduntur, ne quiſquam poſt tempus illud exeat: Feneſtræ inferiores, quæ proſpectum in publicam viam habeant, gypſantur: Arma ſcholaſticorum omnia in baſilicam comportantur: Publicæ profeſſiones prohibentur: Itaque gymnaſium, carcer obſcurus & teter erit, non literarum ludus: peſtemque miſeris ſcholaſticis ſic incluſis accidere neceſſe eſt, aut Univerſitatem, fugatis ſcholaſticis, vaſtitatem & ſolitudinem fieri. Arma veró eripi, quid aliud eſt, quám ſcholaſticos, id eſt, quietis & pacis alumnos, hoſtes judicari? libidinique latronum, quorum locus hic feraciſſimus eſt, inermium ſcholaſticorum cervices objectari? Gratum quidem omnibus & ſalutare fuerat vetus illud Senatuſconſultum, quo ſingulorũ gymnaſiorum magiſtri, arma domeſticorum ſuorum cuſtodire, & cúm opus eſſe intelligerẽt, reddere jubebãtur. At Regias & publicas profeſſiones ad ſcholaſticos coërcendum, prohiberi, cujuſ-

nam (bone Deus) temporis aut argumenti est? Majorum patrumque nostrorum memoria longé aliter factum audivimus (ut ad injurias scholasticas factas ulciscendum, magistratus ac principes inducerentur) publicas professiones, sacras etiam conciones, scholasticorum luctu ac dolore intermissas fuisse: Quare contrá etiã universi postulamus, ut quoniam pacis & otii causas sequimur, professiones publicæ restituantur: scholasticique, potiús disciplinarum suarum libris & studiis occupentur, quám detracta honestæ occupationis materia, ad res alias irritentur: modisque omnibus Regem obtestamur, ut Senatus alioqui per se facilis erga nos & benigni, tam tristis animadversio severitasque remittatur. Ergo id de Senatusconsulto: Regium edictum de Clericorum campo, de scholasticis exteris, deque urbanis, si culpa nostra factum sit, non minús deprecandum est. Etenim hoc edicto, campus Clericorum, Clericis ipsis adimitur, ejusque aditu fructuque Universitas tanquam seditiosa prohibetur. At, Cardinalis, non si quid seditiosé paucorum amentia factum esset, ideo Rectoris, quatuor facultatum, collegiorum, gymnasiarchorum, cujusque nationis magistrorum, id est, Universitatis consilio, voluntate, authoritate factum esset: Diligentia major in continenda juvẽtute adhiberi nulla potuit, quám Universitas adhibuit. Si cujusquã nostrum officium hac in re desideretur, nullam neq; culpam, neque pœnam deprecamur. Quamobrem, Universitas Christianissimum Regem vehementer orat & obsecrat, ne tanquam seditiosa, rebellis,

bellis, atque erga Regem patremque ſuum ingraté ſcelerateque impia judicetur. Univerſitas á Carolo Magno conditore ſuo campum hunc accepiſſe memoratur, ſpatio longo latoque ab inſula Maquerella ſecundúm Sequanæ ripam ad hortos Nigellæ, muroſque urbis & Franciſcanorum portam, D. Germani macellum & cœnobium, indeque á Divi Martini Hordeacei ſacello rectá ad eandem inſulam comprehenſum ac definitum: campum (inquam) regia intercurrente via diviſum, unde majus minuſque pratũ vulgo nominatum eſt. Minus pratum, ędificiis multis & magnificis frequentatum eſt & conſtructum, quę dirui, durum acerbumque videretur: Itaque Univerſitas poſtulat, ut annui tot ædificiorum reditus, quí á paucis & privatis hominibus ſunt occupati, publicis quatuor facultatum, Theologiæ, juriſprudentiæ, Medicinæ, liberalium artium profeſſoribus attribuantur: pauca veró ædificia, quæ non multis abhinc annis in majore prato locata ſunt, tollantur, campuſque liber & vacuus, ut octingẽtos feré annos anteá fuerat, liberali & honeſtæ corporis exercitationi, juvenumque ludo relinquatur. Nec veró jam audiendi, qui jactant, pratum minus á nobis ipſis venditum, valdé iniqua conditione ab emptoribus repeti: majus autem, longé aliis finibus eſſe definitum. Malé veró ſit, iſtis mercatoribus, qui tam mala improbaq; fide Rempub. & vendũt & emunt. At egó nunquam vendidi, neque quiſquam tam impudens invenietur, qui ſe nundinationis hujus fateatur eſſe conſcium. An veró templum urbis, an Regis pa-

latium civis quiſquam vendere ullo jure aut emere poterit? Quare iſta mercaturæ turpitudo infamiaque ſileatur. Ac de recentibus terminis quod affertur per datos Judices conſtitutum, univerſitatis interceſſio refellit, quæ tum facta eſt: ſed interceſſor á judicibus iſtis aut in carcerem conjectus eſt, quod Tornæſio Juriſconſulto accidiſſe meminimus: aut irriſus & contemptus, ut inter cæteros Ruellius Theologus Rhemenſiũ gymnaſiarchus. Quamobrem cùm neque ſeditio, neque venditio facta ſit, contraque novos terminos interceſſio ſublata ſit, Univerſitas, Clericorum cãpum á Regibus olim datum & adhuc conſervatum, ſibi reſtitui poſtulat: ut minoris prati reditus, publicis quatuor facultatum profeſſoribus adjudicentur, majoris ædificia tollantur. Id nimirum Philippi quinti Regis, anno 1317. judicium fuit, ut Clericorum pratum neque ſordibus fœdaretur, nec á pecore compaſceretur: ut ſcholaſtici honeſté valeant (ſicut ipſe loquitur) in eo ſpatiari. Judicium (inquã) illud regium fuit: judicium non ſolúm regium, ſed etiã philoſophicũ: Quid enim aliud eſt quod Ariſtoteles cum Platone de civitate philoſophatur, cúm pulcherrimum civitatis ac celeberrimum locum diis attribuiſſet, ſecundum deinde magiſtratuum principumque civitatis palatio? Huic loco (ait) forum tali ſtructura atque ornatu ſubjiciatur, quale in Theſſalia, quod Liberum vocát, emptionum venditionumque ſordibus mundũ & purum: nec eó vel opifices, vel agricolæ, vel hujus generis homines accedant, niſi á magiſtratibus evocati: Qui locus gratiſſi-

gratiſſimus eſt futurus, ſi fuerint in eo puerorum gymnaſia conſtituta: Eſt enim hic urbis ornatus pro ætatibus diſtinguẽdus: & adoleſcentiũ ludis, magiſtratus quidã intereſſe debent: magiſtratuũ enim ante oculos verſantiũ præſentia, verum pudorem, & ingenuam verecundiã gignit. Talis fuit Romæ imprimis campus Martius. Quare regiũ illud judicium, philoſophicum etiam judicium, Romanũ etiam judicium fuit: judicium adeó vel idiotis & imperitis á natura ipſa inſitũ & ingeneratum, ut nullus extra urbes vicus paguſq; ſit ſine campo, ſine ulmo, ſine aliqua deniq; herba atque umbra publica, ubi juventus ludat & exerceatur. Univerſitas igitur in orbis terrarũ præſtantiſſima bonis ingeniis, nobiliſſimaque civitate, unicum Clericorum campum retinere non poterit? Sentimus veró annos jam feré viginti, quid hac infami publici campi uſurpatione, detrimenti mores publicé patiantur: pro uno campo, quot ſphæriſteria, non loca ſphæræ, pilæque palmariæ, quæ per ſe liberalis eſt & honeſta, ſed libidinoſæ in totum diem, & propter inſanas impenſas damnoſæ ignaviæ receptacula? quot popinas? quot lupanaria? quot luſtra? quot juventutis corruptelas ortas intelligimus? ut naturâ ſenectus avara moroſaque eſt, ſic juventus effuſa & libidinoſa: Adhibe igitur effuſioni libidinique frenum modumque: ſit juventuti quotidianis ſtudiis, fatigatæ, liber & publicus locus, ubi ſaltet, currat, luctetur, diſcũ jaciat, cum æqualibus inambulet, colloquatur, de ſtudiis animi gratiâ communicet. Ergo in hoc Clericorũ campo nõ juvenes tãtúm

omnis ordinis ac generis, ſed Theologos depoſita toga, adeoq; gravitatis perſona, nudato ad ludū expeditoq; corpore colludentes: hîc etiam civitatis magiſtratus, adeoque Principes ac Reges noſtros, oblectationis hujus fructū captātes, magna & honeſta voluptate vidimus. Quapropter ſcholaſticis germanas iſtas oblectationes redde, omnia illa corruptelarū genera ſuſtuleris. Itaque jam Univerſitas poſtulat, quoniā á primis Caroli Magni initiis, tantis tot gymnaſiorum acceſſionibus aucta ſit, ut non ſolúm illum campū retineat, ſed alterum tertiumq; ad Divorum Jacobi, Victoriſq; portas habeat: vix enim cāpus hic integer, poſtea cōditis gymnaſiis Burgundionū, Mignonicorum, Buſſeorum, Heduorum, Curonū, Damvilleorū, Sagienſium, Juſtitianorū, Narbonenſium, Bellocaſſiorū, Haricurianorū, Theſaurariorū, reliquorumq; ei regioni vicinorum, ſufficit: nam ſi tanta multitudo in campū (ut nunc eſt) adeó anguſtū, é gymnaſiis ſimul effundatur, corporibus ipſis cāpus pené totus contegetur: Alter igitur ad Divi Jacobi portam in Cartuſianorū eremo, quæ latiſſimé extra ipſorū clauſtra diffunditur, deſignetur gymnaſiis Sorbonicorum, Calvicorum, Octodenorū, Pleſſiacorum, Triqueticorum, Cameracēſium, Lexovæorum, Choleticorum, Barbaranorum, Cœnomanorum, Rhemenſium, Fortreticcrum, Montanorū, reliquorumq; ad hanc portam ſpectantiū: Tertius veró campus ad portam Divi Victoris, in Victorianorū monachorum latiſſimo ſecundúm Sequanam agro, eſto gymnaſiis Nerviorum, Becodianorū, Navarreorum, Longobardorum,

dorum, Marchianorum, Lauduneorum, Præleorum, Dormanorũ, Cardinalitiorum, Bonorum puerorum, Atrebatum, Scenaïcorum, & cæterorum hujus clivi incolarũ. Etenim hos agros Cartuſianis & Victorianis Reges civeſque ſui, virtutis ergô donavêre: Cartuſiani itaq; & Victoriani cõditores ſuos parte aliqua liberalitatis imitentur: Regibus civibuſque de tantis perceptis bonis particulâ virtutis ergô reddant: Ac jam in hos publicos campos, æſtivo poſt cœnã tempore, ut vetus Academiæ mos fuit, juventus á præceptoribus & magiſtris, reficiendi animi corporiſq; gratiâ, legitimis diebus é gymnaſiis ſuis educatur. Hic Regius cãpus erit purus ſordibus & mũdus, juvẽtutis oblectationi donatus: hoc philoſophicũ forũ erit, honeſtis & liberalibus ludis cõſecratũ: hic Martius campus erit: denique campus Elyſius hic nobis erit, qualẽ elegantiſſimus poëta beatis animis, ſuperioriſque vitæ ſpeciem referentibus aſcripſit:

Devenêre locos lætos & amœna vireta
Fortunatorum nemorum, ſedeſque beatas:
Largior hîc campos æther, & lumine veſtit
Purpureo, ſolemque ſuum, ſua ſydera norunt.
Pars in gramineis exercent membra palæſtris:
Contendunt ludo, & fulva luctantur arena:
Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicũt.
Necnon Threïcius longa cum veſte ſacerdos,
Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum:
Jamque eadem digitis, jam pectine pulſat eburno.
Hîc genus antiquum, Teucri pulcherrima proles,
Magnanimi herôes, nati melioribus annis,
Iluſque, Aſſaracuſque, & Trojæ Dardanus author.

Ergo hæc poëtæ fabula, camporum noſtrorum quãdam imaginem ac ſimilitudinem cõmonſtrat. Enimverò ſi optare liceat, quod vix ſperare tamẽ audeã, Univerſitati non ſolùm campos iſtos Elyſios, ſed fõtes ſalubres & amœnos, unde olim (ut cõſtat é reliquis tubis & euripis) in Cluniacenſes ædes á Juliano derivati ſunt, derivari jam denique per ſingula gymnaſia, cõpitaque diduci in primis optarem, ut potu, ideoq; etiam ex elixis carnibus ipſarumq; jure, & ſubactis á fartore ac piſtore farinis paſtu ſalubriore, ut ſolo pavimentoq; perpetuis ac perennibus aquis mundiore, ut vitali etiã aëris ſpiritu propterea clemẽtiore uteremur. Sed hæc omnia, de campis & fontibus leviora fortaſſe Univerſitati fuerint, quód ejus ſalus nequaquã in herbis & aquis, ſed in literis & artibus, in virtutis & ſapientiæ ſtudiis ſita videatur. Quid igitur (inquies) his gravius ſupereſt? Omnes (inquam) exterarum gentiũ ſcholaſtici, intra quindecim dies regno excedere jubentur. At ex iis multi ſunt Frãcorum non inimici, multi etiam ſocii ac fœderati, multi profeſſores artiũ, nonnulli gymnaſiorũ magiſtri, quidã jampridem inchoatis ſtudiis in curſum Theologiæ, juriſprudentiæ, Medicinæ, Philoſophiæ ingreſſi: alii in gymnaſiis incluſi & gymnaſiarchorũ poteſtati ſubditi: quos omnes ejici belli cauſsá durum fuerit, cúm bella non literis & artibus, ſed inimicis & hoſtibus indicantur: nec Pariſienſis Academia, Francorũ propria, ſed univerſarum gentium communis ſchola putanda eſt. Itaq; tantam Univerſitatis plagam Deus avertat: Siqui ſuſpecti ſint, notentur: Si literis nuntiiſque machi-

machinari quicquã pergant, conſtringãtur: Univerſitas nomen juſq; Univerſitatis ſartum, tectũ, inviolatũque tueatur. Sed (per Deum immortalẽ) quænam é reliquo edicto cõmiſeratio deploratioque, Mecœnas, Univerſitati objecta eſt? Urbanos omnes, nec iis gymnaſiis incluſos, unde ſine gymnaſiarchi venia egredi ſcholaſtico nemini liceat: omnes (inquã) urbanos ejuſmodi ſcholaſticos, Regis edictũ Univerſitate intra ſextum diem excedere jubet. O miſeram & funditús everſam Univerſitatẽ. niſi te Rex clemens & miſericors, propitiis oculis reſpexerit! Neq; enim lapides & muros & muta tot gymnaſiorũ cubicula, auditoria, muſæa, Univerſitatem appellabimus, cúm qui doceatur, ſuperſit ferẽ nemo. Quid ita? Magnus egentiũ pauperumq; numerus eſt, qui viginti aut triginta ſolatis annuũ ſumptum in clauſo gymnaſio ferre nequeãt, cúm mendicato plerũque victu alãtur: Hic numerus ex Academiæ finibus expellitur. Magnus Pariſienſis juvẽtutis numerus eſt, qui domo quotidie diſcẽdi cauſsá in noſtra gymnaſia deducitur: Hic Pariſiẽſis juvẽtutis numerus é Pariſiẽſis Academiæ finibus expellitur. Magnus provectiorum in literis hominũ numerus eſt, qui doctrinæ cupiditate é lõginquis regionibus adducti, Pariſienſem Univerſitatem adeunt, ut eodem die duos pluresve profeſſores in diverſis gymnaſiis audiãt: Hic numerus ex Academiæ finibus expellitur. Univerſitas é gymnaſiis tã multis cõſtat: quota veró pars, diſciplinarũ inſtitutiones & exercitationes profitetur? quota pars cuſtode janitore clauditur? Hic tot gymnaſiorũ numerus ex-

Academiæ finibus expellitur. Magnus Medicorũ, Juriſconſultorũ, Theologorũ, numerus eſt, non tantúm qui nomina ad aliquẽ gradus honorẽ profitẽtur, ſed multó maximé qui rerum cognitione contenti, nominis hujus fructũ nullum quærunt: Hic numerus ex Academiæ finibus expellitur. Quinetiã de iis ipſis gymnaſiis, quæ cuſtode janitore claudũtur, lex Põtificia Regiaq; eſt, ne philoſophiæ diſcipuli intus philoſophiã, ſed in ſcholis publicis audiãt: id eſt, in alio loco vivãt, in alio diſcant, omninoq; ad iſtã legem, urbani fiant. Ergo tãtus hic numerus ex Academiæ finib⁹ expellitur, gymnaſiaq; ipſa vacua & inania deſeruntur, ac deſolãtur. Deniq;, quod miſeriæ fortaſſe caput eſt, tolle ſcholaſticos urbanos de Pariſienſi Univerſitate, quot millia Typographorũ, Librariorũ, Bibliopolarum, compactorum, cubicula & conducentium & locantium, eoque labore viventiũ, ad egeſtatem & famem compuleris? Quamobrẽ, qui ingenio tantum potes, hæc diligenter attentéque conſiderato, Regemq; pro tua ſingulari ſapientia doceto, quot hominũ capita de Pariſienſi Univerſitate hoc edicti Regii capite pellantur. Audio, & jam multos annos audio, ab hominibus rerũ imperitis, publicé contra ſcholaſticos urbanos declamari, quód ut ab Helena belli Trojani, ſic ab iſta juvẽtutis incondita turba, ſeditionis & tumultus omnis cauſſa oriatur, ideoq; urbanos in clauſtra gymnaſiorum redigendos eſſe. Equidẽ nullum in civitate malũ ſeditione gravius & acerbius eſſe judico: itaq; graviſſimis & acerbiſſimis pœnis ſcholaſticos urbanos, ſi ſeditioſi ſint, coërcendos eſſe

cenſeo.

censeo. Sedenim quoniam in controversiis omnibus, non tam eventus rerum, quám causſæ spectãdæ sunt, quæratur unde tumultus iste, & quamobrem oriatur. Nullum (opinor) flagitium aut stuprum, nulla cædes, nullum latrocinium, nulla affectati regni suspicio, nullum novarum rerum studium reperietur. Quid ergo? Clericorum campus á Clericis repetitur: Regum igitur nostrorum beneficium, ut disserui, conservemus: campum publicum Reipub. reddamus: tumultus omnis causſa sublata est. Nullus temporibus certé nostris alia de causſa, scholasticorum motus fremitusve auditus est. Commemoratur ab iis, qui in urbanorum scholasticorum causſam invehuntur, urbana licentia: Reprimatur (inquam) ut in tanta tam variorũ urbis incolarum multitudine reprimitur: an homines usquam non homines, sed deos futuros arbitramur? At peccandi licentia minor est in clauso gymnasio. Peccatorum (inquam) istorum quæstio atque enumeratio odiosa & invidiosa est:

Iliacos intra muros peccatur, & extra.

Minor est (dixerint etiam correctores isti nostri) ad eandem legem peccandi licentia in cœnobiis monachorum, quám in hac nostra communi vita: At non ideo redigendum genus hominum in Frãciscanorum aut Cartusianorum claustra crediderim. Quingentos feré annos Parisiensis Universitas sine gymnasiorum claustris floruit: eaque non universitatis hospitia publica, sed paucis & certis pauperibus alendis & formandis propria facta sunt. Ergo sit ista, quæ semper fuit, optio patri libera, ut liberos in clauso gymnasio, vel in urbe,

ſuo commodo arbitrioque alat & inſtituat. Artiũ veró liberalium profeſſiones, quæ ad Univerſitatem totam attinent, paucis & certis gymnaſiis includi, quid aliud eſt, quám paucos publicanos, artium liberalium ſtudiis imponi? Niſi forté nos exempla deficiant ampliſſimorum Univerſitatis gymnaſiorum, in quibus erudiendæ juventutis locum impetrare, non minoris ſit vel gratiæ, vel pretii, quám ab Epiſcopo vel Abbate aliquo opimum ſacerdotium obtinere. Contra me fortaſſis alicui dicere iſta exiſtimabor, qui haç ratione, rei familiaris lacunas explere poſſem. At contra Deum, contra Remp. nihil (opinor) dicere exiſtimabor. Etenim ne tanta res ſubtiliter & arguté nullo exemplo, nulla cõſuetudine, nullo publico judicio diſceptari videatur, replicentur annales, excitentur hiſtoriæ: gẽtium principumque in formandis artium laudandarum ſtudiis illuſtriũ ſententiæ ſpectentur, privatiſne & clauſis gymnaſiis, ad quæ nemini externo accedere liceret, an publicis, & cuivis accedere cupienti patentibus & apertis, liberales artes inſtitutæ & informatæ ſint. Quid? florente Græcorum Republ. utrum Plato in Academia, Ariſtoteles in Lyceo, Zeno in porticu, Epicurus in hortis, cæterique Academici, Peripatetici, Stoici, Epicurei, domeſticos auditores & domeſticis parietibus incluſos habuêre? Imó veró clamat princeps ille, omniumque philoſophorum tanquam deus Plato, diſciplinæ ſtudiũ tanquam ludum pueris eſſe oportere: nec eos ſervili metu ad ingenuas diſciplinas perdiſcendum, cogendos eſſe: ψυχῇ δὲ βίαιον οὐδὲν ἔμμενον μάθημα.

nulla

nulla siquidem animo constans & firma disciplina, quæ vi perdiscetur. Quid? Imperatorũ Romanorum temporibus nonne toto terrarum orbe, nobilium artium professores publici fuêre? Testis Alexandria, in cujus illustrissimo musæo, quod) ut Strabo author est) Regiæ partem, inambulatione, exedra, domo amplissima, cœnaculo complectebatur, publici professores floruêre, Ptolomæus (qui de sua porticu quadrata tam sæpe loquitur) Theon, Pappus: testes imprimis Athenæ, é quarũ publica Rhetorum philosophorumque schola, ut Alexãdrum nobilem Peripateticum, á Severo Imperatore magnis præmiis ornatum, cæterosque nõ Christianos taceam, Basilius, Gregorius, Chrysostomus, ecclesiæ Christianæ principes extitêre. Sic Constãtinopolis, Antiochia, Nicomedia, Berytus, Roma, Lugdunum, infinitæque urbes aliæ publicos liberalium artium professores temporibus illis habuére. Sed ne vetera tantúm proponam, habet reliquus orbis Christianus in Italia, Germania, Anglia, Scotia, Hispania, Gallia, communibus Pontificum Romanorum, Principumque ac Regum legibus & institutis conditas Universitates: ubinam harum gentium, privatis parietibus inclusos, ac non publicos liberalium artium professores reperiemus? Quid veró? Parisiẽsis Universitatis leges á Pontificibus Romanis & nostris Regibus latæ, quid tandem loquuntur? utrúm privatis parietibus, liberales istas professiones includunt? Imo veró (ut dixi) in publicis scholis nominatim statuunt, & publica fide contineri jubent. Quid? Franciscum Regem probationisne an honoris

cauſsá potiús hîc appellem? Hic Rex Lutetiæ profeſſiones publicas inſtituit & ornavit, indeque adeó præ maximis ejus virtutibus ac laudibus, ad ſingulare funebris commendationis eulogium, literarum inſtaurator eſt appellatus: nemoque literarum non ignarus poſt Regias profeſſiones inſtitutas Lutetiam venit, qui Regiæ urbis ullũ potiús monimentum ſibi ſpectandum, quám Regiũ auditorium putaret. Ergo Tuſanos, Vatablos, cęteroſque laudis hujus profeſſores, magiſtriſque ſimiles diſcipulos innumerabiles, non privatarum ſcholarum obſcuritas, ſed publicarum nobilitas extulit. Henricus paternæ virtutis hæres, eaſdem profeſſiones tua imprimis ſententia, atque authoritate, non tantûm cultu eodem, ſed numero majore coluit. Quamobrem ſapientes hi correctores & emendatores noſtri iſta conſiderent, frontemque perfricent, ac ſe nobiliſſimis gentium Philoſophis, Imperatoribus, Pontificibus, Regibus ſapiẽtiores eſſe dicant. Hæc ſunt, AVD. quæ Cardinalis Lotharingus é Legatis veſtris de cauſſa Univerſitatis attentiſſimé cognovit, quæque Regem mox edocuit. Cardinalis Caſtellonius, Pariſienſis Academiæ Conſervator, pari humanitate & gratia hæc eadem diſſerentes Legatos veſtros audivit, protinuſq; ad avunculum ſuum ANNAM Mommorentium Conneſtablum perduxit: virum magnis belli paciſque artibus egregium & eximium: Itaque Salignacus cúm cætera tanti hominis auribus conſona præfatus eſſet, id etiam ad extremum addidit, res ipſius geſtas ſingulares eſſe: quarum præconium nulli commodius mandari poſſet,

quám

quám Parisienſi Academiæ, cujus voces, omnium linguarum ſermone in omnes orbis partes longiſſimé latiſſimeque reſonarent. Quibus ut jucundé commoveri, ita generoſa quadam indignatione ê noſtris incommodis affici mihi viſus eſt, præcipué cúm Bellocaſſiorum & Narbonenſium calamitas recitaretur: Itaque nulla mora interpoſita, Regem adit, deque iis indignitatibus commonefacit. Sic pauló poſt á Cardinale Lotharingo & Conneſtablo Rex longé alia edoctus, quám anté á certis hominibus didicerat, Legatos veſtros admitti jubet, benignoque vultu accipit: Quem cúm univerſi ſalutaſſemus, tum Salignacus: Intelligimus (ait) Chriſtianiſſime Rex & humaniſſime, magnis criminibus Pariſienſem Univerſitatem apud te ream factam eſſe, ut pœnis tam gravibus tamque ſeveris coërcenda videretur. Sed per Deum immortalem, quæ ſtudia officiaque modeſtiſſimæ obſequentiſſimæque filię erga liberalem amantemque patrem eſſe debeant, ea judices omnia Pariſienſis Univerſitatis in te fuiſſe futuraque ſemper eſſe: Meminit enim ſe Regiis privilegiis, muneribus, ſtipendiis, immunitatibus, generiſque omnis beneficiis vigere & florere: teque & Regem & patrem veneratur: humanæ autem divinæque literæ (quæ omnes in Academia Pariſienſi ſumma tuæ laudis gloria tractantur) quid aliud, quám pietatem in Deum, modeſtiam & obſervantiam in principes ac magiſtratus, in parentes ac bene de nobis meritos profitẽtur? Quare tam ingrati, vel potiús impii animi notam infamiamque, Univerſitas á ſe vehementer averſatur, ac deteſtatur. Si qui in tanta diſcentium

multitudine, ſcholaſtici nomen falſò ementiti, ſcelerata mente atque impia fuerint, ſceleris & impietatis pœnas luant, bonis & innocentibus tranquillum pacatumque otium conſervetur. At jam Univerſitas tota, nullo bonorum malorumque diſcrimine, tanquam hoſtis judicata ſit, opprimitur & vexatur: non conquiruntur ad pœnam, qui in Clericorum campo motum aliquem fecerint, ſed gymnaſia ipſa, pacis & otii templa, vi & armis hoſtiliter perrũpuntur ac diripiuntur: miſeri ſcholaſtici in ſuis bibliothecis cæduntur, & latronum hoſtiumque more vincti, in tetrum carcerem abjiciuntur. Quare per Deum Opt. Max. per ſancta honeſtarum literarum nomina, miſerêre afflictæ Univerſitatis, & ea pietate excita & recrea, qua Franciæ Reges, majores tui inſtituerunt, auxerunt, ornarũt. Quæ cúm Salignacus peroraſſet, Rex ad ea perhumaniter reſpondit, ſibi gratius accidere nihil potuiſſe, quám quód ea crimina, quæ de nobis ad ſe delata eſſent, falſa eſſe cognoſceret. Liberalitatem ſuam erga doctos homines & literatos, multis argumentis adhuc eſſe claram & illuſtrem, clariorem tamẽ & illuſtriorem futuram, ſi quieto pacatoque otio in ſtudiis ſuis permanerent: Rectoreſque Univerſitatis & magiſtri in continendis ſcholaſticis diligentes ac vigilantes eſſent. Hac igitur tã inſperata Regis humanitate recreatus Salignacus, ait, á Rectore Univerſitatis, á quatuor ordinum Decanis, á collegiorum magiſtris proviſionem & cautionem majorem præſtari non poſſe: poteſtatem enim monendi tantúm illis eſſe, nullã comprehendendi aut coërcendi. Quæ ſi Rectori

& Universitati á Rege tribuatur, spondere se, nihil Universitatis populo quietius & pacatius futurũ. Cumque cætera illa, quæ dixi, Legationis capita persecutus esset, Rex jubet ea perscribi, se de consilii sententia provisurum, ne frustrá imploratus esse videretur. Quinetiam reliquorum Legatorũ professiones & nomina sciscitatur: nec Salignacus in appellandis ac laudandis Legatis omnibus, sed præcipué Regiis professoribus, illiberalis fuit: utriusque etiam diligentiam in sedando tumultu commemoravit: Ab altero in cõcione publica diserté demonstratum, malé moratam esse juventutem, quę prompta esset ad tumultum, seditionem, cædes, incendia, quæ ob infaustum illud pratum contingere dicerentur. in hoc domicilio juris & religionis, in hac doctrinæ & eruditionis sede, literarum potiús otium, quám arma tractanda esse: decereque placidissimarum & quietissimarum Musarum alumnos, quietem & otium amare: propterea metuendum esse, ne Academia non solúm prati publici, sed Regiarum professionum fructũ amitteret: Ab altero autem deploratas seditionis miserias, in quas inciderent non solúm ii, qui errore publico lapsi, vulnerarentur, aut interirent, aut animadversionis infamia pœnaque plecterentur, sed eorum parentes, propinqui, amici, qui gravissimos luctus ex iis perciperent, á quibus maximas voluptates expectare debuissent. Postridieque cúm de singulari Christianissimi Regis erga Parisiensem Academiam voluntate, de magistratuum vigilantia, de consensione omnium ordinum ad publicam dignitatem retinendum disseruisset,

oraviſſe, & per ſpem de ſuis cuique ſtudiis propoſitam, per eam pietatem, quam Deo, Regi, parentibus, magiſtris deberent, obſecraſſe, ut vero teſtimonio teſtificari poſſet, ſe diſcipulos temperantes & modeſtos, neque ſolúm doctrinæ, ſed doctoris ſtudioſos & amantes habere: ideoque quieti, otio, paci denique publicæ conſulerent. Hæc (inquam) Salignacus de profeſſoribus Regiis, quæ ipſe in ea perturbatione præſens audierat, non tam ad profeſſorum ipſorum laudem, quám ad communis in pacandis rebus diligentiæ fidem, Regi expoſuit: & quidem Regi non ſolúm intelligenter, ſed libenter, planeque rebus noſtris indulgenter audienti. quod enim verbum commodius uſurpem? Nec enim Regem Univerſitatis potiús, quám patrem agnovimus. Hîc etiam Delphinum ſalutavimus, perſpeximuſque paternæ pietatis æmulum: eaque perfuſi lætitia ſumus, ut de ſalute publica optimé ſperaremus. Interea ne mora periculum rebus adferret, ex tempore ad Senatum ſcribit, ne damnati ſupplicio afficerentur: Has literas Henricus Mignæus Mignonicorum gymnaſiarchus, & celeritate & voluntate ſumma retulit, ſicut paucis ante noſtrum diſceſſum diebus, ab Univerſitate præmiſſus, literas cauſſæ noſtræ commendatitias attulerat: quod idem eodem feré tempore Lodoïcus Regius, homo & bene literatus, & literariæ Reipub. propterea bene ſtudioſus, Lodoïco Potiero Picardo adoleſcente, cauſſæ publicæ cupidiſſimo comitatus, fecerat: egregiamque unà omnes operam in mitiganda rerum aſperitate præſtiterát. Atque hæc apud Regem: unde ad Jo. Bertrandum

Cardinalem

Cardinalem Senonenſem, Regiorumque ſigillorum cuſtodem perreximus. Quo homine nemo neque humanior, neque Univerſitatis amantior optari potuit: tam benevolo animo Academiæ Legatos audivit, tam ſapienter admonuit, tam liberaliter adjuvit, ut patronum Pariſienſis Academiæ appellare optimo jure debeamus. Ac ne quid accepti beneficii prætermittam, non putavit Cardinalis Caſtellonius, Univerſitatis cauſſam ſatis á ſe liberaliter acceptam eſſe, niſi Univerſitatis quoque Legatos, liberalitatis erga vos ſuæ teſtes efficeret: nos enim univerſos hoſpitio per Regium hoſpitiorum deſignatorem excepit, magnificoque apparatu ac ſumptu tractavit, dum cauſſa noſtra diſceptatur, diplomaque Regium conficitur: Nec interea, cúm forté Cardinalis Lotharingus per hoſce dies abeſſet, Regis adeundi, monendi, ſolicitandi, partes ullas omiſit: veraque præſtantis animi virtute, Conſervatoris nomen implevit. Unum Dutierum, Regiorum mandatorum ſcribam, præterire nequaquam poſſum, qui tametſi negotiorum multitudine atque amplitudine premeretur, importunitatem meam (cúm deſiderio conficiendi negotii arderem, aſſidueque urgerem, diplomaque Regium, quia quędam cauſſæ noſtrę minimé reſponderent, ſcribere ſæpius & reſcribere, deque ea mutatione Regem conſulere pené cogerem) tamen æquitate animi ſumma pertulit: imó etiam liberalitate ſuperavit, nec ullam tanti laboris mercedem capere aliam voluit, quám Univerſitatis gratiam atque memoriam. Is igitur in aulam Regis adventus noſter fuit: Quid autem no-

minatim á Rege sit impetratum,é diplomate recitato cognovistis. Controversia ad Regem avocatur. Vincti,etiam damnati, suorum magistrorum custodiæ committuntur. Duobus Regiorum libellorum magistris,de vi & injuriis,quæstio traditur. Senatusconsultum totum remittitur, sicuti Regium edictum de exteris amicis ac fœderatis, deque Artisianis, si artium suarum magisterium adepti sint: De iis etiam, pro quibus gymnasiarchi sponsores esse voluerint. Cæteris autem, liber in patriam commeatus tribuitur. Urbani veró scholastici in pristinum statum restituuntur.

Quæ utinam voce aliqua plusquám Stentorea prædicare modó possim, ut me de tãta Regis post Reges natos optimi atque humanissimi bonitate & clementia dicẽtem exaudiant, qui periculi metu profugerunt, quique remediũ tantis malis desperare visi sunt. Sentire mihi videor, A u D. vestra omnium jucunda admiratione, gratulationem summam declarari,quód in tam desperata tamque deplorata caussa,tantúm solatii,spei,salutis,á Christianissimo clementissimoque Rege percipitis: Reliquum est, ut vos horter & moneam, ut tanti beneficii lætitiam gratissima memoria colatis, insignique recordatione posteris vestris colendam relinquatis. Supplicatione celebri ac solenni ad Divæ Genovefæ pro tanto beneficio feciſtis: Regem, Conneſtablum, Cardinales, Lotharingum, Castellonium,Senonensem,gratiis prosecuti estis. At omnia hæc temporis unius sunt: beneficium acceptum diuturnius est: Itaque majores etiam gratias postulo. Nam ut ait Orator, si non minús

nobis

nobis jucundi atque illustres sunt ii dies, quibus conservamur, quàm illi quibus nascimur, quód salutis certa lætitia est, nascendi incerta conditio, & quód sine sensu nascimur, cum voluptate conservamur: profectó quoniam illum, qui hanc Universitatem condidit, Carolum Magnum, benevolentia famaque celebramus, esse apud vos posterosque vestros in honore debent ii, qui Universitatem conditam & amplificatam, propé ab interitu vindicarunt, & conservarunt. Deinde uniuscujusque nostrûm cúm diligentiam in honestis studiis retinendis, tum modestiam in vita, factis, exemplis, perpetuam esse cupio: Tum veró sapiétes tantæ civitatis magistratus civesque omnes pro sua Universitate obtestabor eo carmine, quo divinus ille vates apud Ovidium Trojanos pro sua Pallade obtestatur:

Aetheriam servate deam, servabitis urbem:
Imperium secum transferet illa loci.

Postremó á Deo Opt. Max. deprecor, ut tempestas ista, dirarum omnium Parisiensi Universitati impendentium expiatio sempiterna sit: in posterum autem felicia, fausta, prospera, fortunata omnia consequantur.

P. RAMVS PAVLO BERNARDO S.

EFFLAGITAS *oratiunculam legationis noſtræ de confirmandis Academiæ priuilegiis, quæ non verbis, nihil enim ſimplicius aut tenuius eſſe poteſt, ſed rebus ipſis ſic populum noſtrum affecit, ut nullas neque gratias, neque laudes legato ſatisfacturas putaret, palamque ſentiret novos honores exquirendos eſſe. Certe theologus ordinis ſui facilé princeps, quique alioqui nobis infenſiſſimus antea fuerat, prædicavit ſi reſp. pateretur, legationem ſtatua dignam videri. Denique uno totius Academiæ conſenſu poſt omnium ordinum collaudationem decretum eſt, ut legationis memoria honorificis verbis in tergo codicis aſcriberetur.*

P. RAMI ORATIO DE LEGATIONE SECUNDA, DICTA *in comitio mathurinensi, pridie Id. April.* 1561.

QUOD á Deo optimo maximo (doctores eximii) semper optaveram, id imprimis mandato vestro sperabam mihi contigisse: id est de Parisiensi Academia bene merendi idoneam occasionem materiamque legitimam, cúm vos me legatum de confirmandis Academiæ privilegiis ad Christianissimũ regem decrevistis. Querimonia omnium ordinum gravis erat, omnes antiquas immunitates honestis ac liberalibus studiis regum liberalitate concessas, improbitate & avaritia hominum, quotidie violari ac vehementer imminui: ut nulla propemodum inter professores ingenuarum literarum á bajulis & remigibus differentia reliqua videretur: ærarium Academiæ exhaustum, vel potius nullum esse: & tamen in istam privilegiorum confirmationem trecentos minimum coronatos consumi solitos, ut oratore vobis opus esset ad regem non solum parato & vigilanti, sed liberali & publicæ salutis amanti atque studioso. Itaque cum absenti vestra de me legando suffragia renuntiata essent, respondi nemini me in Academia publico quidem amore concedere, sed pleroſque tamen esse ad hoc obeundum munus aptiores, qui vestra negotia procurare soliti essent: Ea recusatio ve-

ſtris judiciis impoſitæ provinciæ quædam confirmatio fuit. Quare á vobis ad regem confirmandorum privilegiorum gratia legatus ſum. Coronati á Quæſtore veſtro ſexaginta mihi numerati, adjunctus etiam tabellariorum veſtrorum miniſter, qui reliquos majores ſumptus faceret. Cúm itaq; ad regem in Bellaqueum fontem, perveniſſemus, nihil prius nobis fuit, quám ut literas veſtras regi, reginæ, principi Condeo, Cardinali Caſtellonio, Cōneſtablo, Cancellario, & reliquis heroibus noſtris redderemus, cauſſamque noſtræ legationis omni diligentia, fide, officioque ageremus. Ab omnibus benigne & humaniter accepti ſumus: Juſſique de privilegiis bona ſpe eſſe, ſed ut magnorum principum aulæ infinitis negotiis occupatæ ſolent eſſe, ita mora quamvis navis & induſtriis, tamen invitis moleſteque ferentibus per aliquot dies devoranda fuit: interea ſingula privilegia, quæ diſperſis & ſeparatis tabulis negligenter accepta & diſſipata mihi tradita fuerant, curavi continuatis pergamenis accurate deſcribenda, & in unum codicem, ne impoſterum diſcerperentur, colligenda & conglutinanda. Ea primum Laomenius regis ſecretarius gratis obſignavit, neque enim propterea teruncium ullum á nobis accepit: quod iccirco commemoro, ut bonorum & publici commodi cupidorum hominū memoria apud vos grata ſit: Hoc codice perfecto cúm ſingula á Cancellario perlecta, probata, & regio ſigillo obſignata eſſent, lis nobis á regiorum ſecretariorum collegio ingens creata eſt, pro ſingulis privilegiis ſingula ſigilla poſtulantium. Quibus cúm objicerem donatum

tum nobis á rege & á Cancellario id totum esse, respondebant aliena jura neque regis, neque Cancellarii donis contineri. Amplissimi collegii, & plurimis capitibus comprehensi vectigalia omnia in his sigillis fundata esse: Quinetiam nostris privilegiis veteribus constare summam quam postularent, esse persolutam: idque in tergo revera erat adscriptum. Quid multa? æquum equidem petere eos arbitrabar. Attamen contra disserebam, singulos separatim compellando, docendoque Academiam Parisiensem non mihi magis, quám ipsis, ipsorumque liberis & propinquis communem quandam animorum parentem esse, potiusque singularibus muneribus afficiendam & ornandā, quám ad istas molestias redigendam, Et sane verbis assentiebantur, nihilque humanius meis postulatis affirmabant esse, sed collegium multorum etiam absentium nunquam passurum, ut tam insigni exemplo imposterum de cæteris Franciæ Academiis tantum rebus suis periculum crearetur. Quid igitur? Existimatis nos istis inficiationibus fractos aut debilitatos esse? Minimé veró, sed omnia prius tentare atque experiri placuit, quám ullum sedulitatis officium deserere. Quare Cancellarium & Cardinalem adorti rogamus, ut ea controversia regio judicio disceptetur, & sané vehementer acriterque utrinque disceptata est, ut neque nos plané vinceremus, neque plané victi discederemus, pro quinquaginta coronatis, qui exigebantur, quinque & viginti persolvimus. Legationis igitur meæ rationem accipite: Privilegia Academiæ universa mihi commisistis, en univer-

ſa vobis reſtituo reddoque, prætereaque unum ex omnibus codicem regia authoritate, ſi forte antiqua illa deperirent, pro omnibus perinde confirmatum. Coronatos á vobis ſexaginta accepi. Scribæ pro manus & pergameni pretio ſex, ſecretarii, quinque & viginti: ſumptus tot dierum, qui nobis in ea legatione conſumpti ſunt, duos & viginti abſtulerunt. Reliqui ſunt ſeptem cum aſſibus triginta, quos tu Quæſtor accipito, & in publicas tabulas ſingula hæc, uti facta ſunt, referto, ut poſteris noſtris expreſſum confirmandis privilegiis exemplum ſit, qui ſumptus, quomodo, per quos procuratione iſta veſtris judiciis approbandi ſint. Pro me tamen ad extremum (doctores eximii) veniam á vobis univerſis, pro ſummo legationis præmio deprecabor. Statueram enim veſtrûm omnium de me expectationem non ſolum fide & officio ſuſtinere, ſed omni diligentia, induſtriaque ſuperare, privilegia Univerſitatis gratuita & liberali confirmatione confirmare: Id aſſequi nullo ſtudio, nullóve labore potui. Quapropter ſi minus obtinui, quám contendi, quæſo vos æquis animis ignoſcite.

P. RAMI PROOEMIVM REFORMANDÆ PARISIENSIS ACADEMIÆ.

AD CAROLUM REGEM.

STATUISTI (CAROLE none Rex Francorum Christianissime) ad publicam trium statuum & ordinum regni tui postulationem é consilii Regii sententia, ut Parisiensis Academia ad legitimũ germanæ formæ exemplum reformaretur: Legitima veró forma est, ut disciplinæ cujusque certi doctores electi, publicis pręmiis ornati, artium professioni suæ commissarum prælectiones & exercitationes via & tempore definitas, officio, fide, diligentia tueãtur. Quas singulorum generum laudes si quis amplissimas in Academia Parisiensi & integerrimas esse judicet, tantisper suspensum judicium cohibeat, dum singula laudis cujusq; momenta breviter expendentur: Tametsi enim veré dici possit omnium scholarum, quas post homines natos floruisse memoriæ proditum est, hanc unam esse præstantissimam: attamen etiam veré possit affirmari partibus infinitis præstantiorem fore, si legitimam illam speciem ac formam toto corporis habitu absolutam perfectamque consequatur. Age dum Parisiẽsis Academiæ disciplinæ, studia, professiones in hujus quæstionis examen subeunto. Primæ Grammaticorum & Rhetorum

ſcholæ ut legibus antiquis ferè cõtemptæ ac ſpretæ ſunt, ita primæ in omnem laudis partem præclaré ſunt vindicatæ. Ante excitatum á Franciſco Rege avo tuo humanitatis ſtudium, omnium artium barbaries in Academia regnabat, unoque & aſſiduo altercationis inſtrumento qualeſcunque authores prælegerentur, attamen omnes artes comparari credebantur. Itaque cum Grammatici & Rhetores nil niſi barbaros Alexandros de Villa Dei, Græciſmos Theodoletos atque ejuſmodi doctores haberent, ordinarias horas, decimam matutinam & quintam pomeridianam altercationibus impendebant: Imó veró maximum profectus argumentum ſtatuebant in claſſium, quinetiam gymnaſiorum inter ſe concertatione. Ita Philoſophi, Medici, Jureconſulti, Theologi quæſtionariis quæſtionumque & altercationum dædalis & artificibus dediti, totas ſcholas diſputationibus occupabant: Grammatici & Rhetores primi fucum deprehendêre, meditationem Grãmatici & Rhetorici operis longé potiorem cognovere. Itaque barbarie ineptiſſimorum hominum é ſcholis exploſa, poëtis, hiſtoricis, oratoribus receptis, edocti ſunt ſtylum eſſe optimum dicendi magiſtrum, eumque lectione inſignium authorũ & imitatione, ſcriptione denique aſſidua comparari, utilitas altercationis, ſi qua poterat eſſe, multo plenius & uberius diſcipulo in media prælectione ſingulis de rebus á præceptore interrogato retinetur. Itaque duæ illæ horæ ſtylo formando ſunt attributæ: atque ex octo horis ordinarii ſtudii, unica præceptis & regulis cognoſcendis, &

cum

cum præceptore examinandis conceditur. Reliquæ omnes in poëtis, hiſtoricis, oratoribus cognoſcendis, ediſcendis, imitandis, in commentatione denique & uſu conſumuntur. Quare ſcholæ Grammaticorum & Rhetorum præclaré vindicatæ ſunt, ut nihil admodum perfectius optari poſſe videatur, niſi ut una & communis diſciplinæ forma, quæ in quibuſdam gymnaſiis lautius & elegantius tenetur, in omnibus authoritate regia teneatur. Sumptus diſcipuli erga doctorem modici & quidem voluntarii: diſciplina doctoris erga diſcipulum diligens & accurata. Veruntamẽ (Deus bone) quám diſſimilis eſt in cæteris ſuperiorum artium ſtudiis hæc una profeſſionis forma? Etenim pro certo delectorum profeſſorum numero, exortus eſt infinitus hominũ numerus, qui modó magiſtri in profeſſionis ſuæ facultate nomen adepti ſint, nullo delectu, docti pariter & indocti profitendæ Philoſophiæ, Medicinæ, Juriſprudentiæ, Theologiæ partes aſſumpſerunt, hinc prima noſtri fundi calamitas extitit. Docentium numerus multiplicatus eſt, diſcentium numerus remanſit idem. Itaque ut tantúm ad multos doctores ſigillatim & viritim perveniret, quantum pervenire debuerat ad paucos, exigi á diſcipulis ampliorem mercedem oportuit. Ergo infinita iſta profeſſorũ multitudo infinitos ſumptus diſcipulis impoſuit, ut vix credibile ſit quantis oneribus honeſta ſtudia ſint oppreſſa, ad quadraginta libellarum noſtrarum millia ſumptus hic feré quotannis aſcendit. Dicendum de ſingulis ordinibus ſeparatim, quoniam non eſt una communis omniũ

cauſſa: Res tamen nequaquam eſt obſcura, verſatur in oculis omnium, atque in animis multorum magno & juſto cum dolore verſatur. Interrogẽtur profeſſionis cujuſq; diſcipuli, exactæ ſibi pecuniæ ſummam ſingulis capitibus recenſebunt. Sumptus in philoſophiæ ſtudio quatuor coronatis, ſummũ ſex lege definiebatur. Dic igitur philoſophiæ diſcipule, dic Regi tuo, á quo & ſolatiũ & decus expectas, dic impenſæ ſummam, & quidem nominibus licet barbaris, tamen iiſdem quibus exigitur, ut facti quæſtio etiam inficiatori ſi quis forté fuerit, aperta ſit: Impenſá (inquiet) legitima illa feré quadruplicatur. Primo anno pro cãdelis præceptoris ſolidi 50, pro figura 5 libellæ. In determinationib⁹ pro juramẽto apud Rectorẽ 9 ſolidi & 4 denarii, pro ſigillo Rectoris 3 denarii, pro ſigillo Procuratoris 15 denarii, pro convivio magiſtrorũ in aula 30 ſolidi. In baccalaureatu pro ſigillis 5 ſolidi, pro burſis 25 ſolidi, pro miſſis 4 ſolidi & 2 denarii, pro jure Receptoris 15 denarii, pro examinatoribus 15 ſolidi. In licẽtiatu pro burſis 25 ſolidi, pro Receptore burſarũ 15 denarii, pro ſigillis 2 ſolidi & 6 denarii, pro Procuratore 15 denarii, pro examinatoribus & ſtramine Cancellarij 25 ſolidi, pro Pedello in baccalaureatu, reſponſionibus & licentiatu 15 ſolidi, pro chirothecis 50 ſolidi, pro pileis 50 ſolidi, pro ſigno Gymnaſiarchi 5 libellæ, pro pellicea epomide Pedelli 5 ſolidi, pro convivio magiſtrorum in aula 29 ſolidi, pro pilis 5 ſolidi, pro præceptore in toto curſu 25 libellæ: aliquando minus, frequenter amplius. In doctoratu pro Procuratore 15 denarii, pro burſis

25 ſo-

25 ſolidi, pro Quæſtore burſarum 15 denarii, pro cappa Rectoris 10 ſolidi, pro jure Rectoris 4 ſolidi & 2 denarii, pro Pedello 31 ſolidi, pro ſcriba Uniuerſitatis 3 ſolidi, pro ſigillo literarum magiſterii 6 ſolidi, pro convivio magiſtrorum 10 ſolidi. Summa 56 libellæ & 13 ſolidi, quæ aliquando paulo minor eſt, ſæpé autem major. In qua tamē non cōmemoratur locus nominationis in licentiatu, qui cuique philoſophiæ diſcipulo tanti addicitur, quāta eſt laureolæ hujus ambitio: ut impenſa ordinaria ſit minimum 60 libellarum: ac ſi quotannis magiſtri artium ducenti fiant, impenſa hæc erit libellarum duodecies millenarum. Atque in his philoſophici ſtudii impenſis mirabitur aliquis fortaſſe, cum audierit á præceptore philoſophiæ exactas eſſe libellas ſupra triginta, quamobrem ſigna vel ſigilla Rectoris, Procuratoris, Quæſtoris, Gymnaſiarchi tam multa? Quodnam argumentum habeant chirothecæ, pilea, cōvivia ad probādum diligentiam diſcipuli & profectum in philoſophia? Quo burſæ denique commigrēt, aut in quem tandem uſum convertantur? Burſæ veró ſicuti patrimonia quædam quatuor in hoc ordine nationum diſtribuūtur profeſſoribus honorariis, qui aliquando profeſſi fuerint, nomēq; honorarii profeſſoris duobus decuſſibus perſolutis adepti ſint: Diſtribuūtur ita Procuratoribus, Receptoribus, Cantoribus & miniſtris miſſarū & veſperarū publicarū, cæreis etiam ad purgationis diem non parva pecunia impenditur. Sic ærariū philoſophici ordinis adminiſtratur, ut maximam partem capiāt hi, qui diſcipulis philoſophiæ nihil

prosint. Quamobrem, Carole none Francorum Rex Christianissime, suscipe curam virtute tua dignissimam: Tollatur edicto tuo infinita professorum turba: Deligantur idonei philosophiæ professores ordinarii: Tollantur impensæ non solúm extraordinariæ, sed illæ antiquæ quatuor aut sex coronatorũ. Est enim indignum philosophiæ aditu prohiberi paupertatem, quãvis docta sit & erudita, quod sumptibus impositis fieri necesse est: Regium stipendium proponatur. Cœnobia monachorum & collegia canonicorum Lutetiæ, tam multa libenter, si verbo edixeris, hunc longé honestissimum sibi laudatissimumque sumptum facillimé promptissimeque suppeditabunt. Sumptus discipuli in victu, cultu, libris, laboribus, vigiliis, vita literis impensa, legitimus & solus esto. Denique perfice ut liberales artes á Carolo Magno generis tui authore clarissimo, in Academia Parisiensi primum constitutæ, deinde á reliquis regibus atavis tuis, Frãcisco imprimis avo recreatæ, per te potissimum non solúm vitam, sed dignitatem obtineant. Enimvero hæc exigendi extorquendique licentia, quanvis dura atque acerba, ut est, ita videatur, tamen superiorum ordinum licentiæ comparata, excusabilis vel potius laudabilis esse videbitur. Quid igitur? quantam á Medicinæ, quantã á Jurisprudentiæ, quantam á Theologiæ discipulo mercedem quondam legitimam fuisse, quãtam nunc illegitimam esse arbitramur? Jureconsultorum ordo hujus infamiæ labe purgatus & liberatus Senatus decreto, anno millesimo quingentesimo tricesimo quarto, decimo tertio

die

die Junii, exemplum mercedis legitimæ adeoque totius antiquæ disciplinæ restituit: professores ordinarii sex publico examine electi, libri, horæ, prælectiones, exercitationes, merces á discipulo professori debita ab initio studii universi ad extremum definita est coronatis octo & viginti, quinque in baccalaureatu, octo in licẽciatu, quindecim in doctoratu: Præterea veró quidquam exigi, vel etiam ultró oblatum accipi, eodem Senatusconsulto severé cautum est privatione professionis privilegiorumq; professoribus concessorũ, qua eadem Senatus authoritate cæteri ordines in consimilem splendorem vindicati essent, nisi á Theologis protinus itum esset obviam. Reformationis enim illius author & procurator hæreseos crimine á Theologis insimulatur. Denique illorũ perversitas temporum nescio an hominum similem in cæteris ordinibus splendorem non sustinuit: ita præclari operis absolutio adhuc suspensa est. Sed tamen ex illo Senatusconsulto exemplar editum est Medicinæ ac Theologiæ reformandæ. Quid igitur? utrum Medici & Theologi viginti octo coronatis é legis volũtate, é Senatus authoritate cõtenti sunt? Iniquum videretur, cúm philosophi stipendium tantúm auxerint, Medicos & Theologos ad istam inopiam redigere. Proportio enim Arithmetica in ista remuneratione & dispensatione præmiorum non cõveniebat, Geometria pro dignitate personarum justior esse visa est. Quanta igitur accessione multiplicatum est in his duobus ordinibus præmium? interrogati discipuli recensebũt: imó veró nonnulli magistri

fartoribus & cupedinariis obærati magno mœrore quotidie recenſent: ſed tamen interrogentur, Dicat igitur Medicinę diſcipulus liberé, querimonię ſuæ ſenſum, Regi Chriſtianiſſimo tãquam patrono ac tutori ſuo aperiat. Dicat impenſæ ſummam, iiſdem etiam nominibus quibus exigitur: nulla verborum barbaries injuriæ magnitudinem extenuabit: libellas, inquiet, mille medicinæ magiſtris expenſas fero, ac ne magiſtros impudẽter calũniari videar, capita ſuis nominibus ſubducã: anni primi ſumptus eſt qui ſequitur. Pro ſcholę ingreſſu 2 libellę & 10 ſolidi, pro ſupplicatione baccalaureatus 12 ſolidi, pro auditione quatuor annorũ 10 libellæ, pro lectorib. ſcholarũ 2 libellæ & 10 ſolidi, pro examinatoribus 15 libellæ, pro igne & ſpecieb⁹ examinis 2 libellę & 10 ſolidi, pro burſis principii 10 libellæ & 10 ſolidi, pro Pedellis 6 libellę & 6 ſolidi, pro prandio principii 2 libellæ & 19 ſolidi, pro cõvivio herbarũ 10 libellæ, pro tapetis S. Lucę 2 libellę & 20 ſolidi, pro tapetis & ſtramine quodlibetarię 30 ſolidi, pro prãdio præſidis 5 libellę, pro ſtuphis 3 libellę & 10 ſolidi, pro regiſtro 6 ſolidi: In cardinali pro pręſide 6 libellæ, pro tapetis & ſtramine 30 ſolidi. Atq; hæc anni primi impenſa eſt libellarum 82, & ſolidorum 14: Sequitur impenſa longé diſſimilis in ſecundo anno. Pro ſtuphis & pro regiſtro 3 libellæ & 16 ſolidi, pro feſto S. Lucæ 2 libellæ & 10 ſolidi, pro burſis licentiatus 35 libellæ, pro Pedellis 7 libellæ & 10 ſolidi, pro mulctis communibus 15 libellæ, pro ſigillis Cancellarii 25 libellæ, pro paranymphi die 10 libellæ, pro mulctis decani 10 libellæ, pro tapetis

petis aulæ Episcopi Parisiensis 12 solidi. pro vesperia 50 libellæ, pro Præside 5 libellæ, pro tapetis 25 solidi. In doctoratu, pro bursis doctoratus 71 libellæ, pro saccaro magistrorũ 30 libellæ, pro pileis magistrorum, pro quibus singuli capiunt 20 solidos: summa 78 libellæ, pro pileis Rectoris, Cancellarii, magni Pedelli 3 libellæ, pro pileis amicorum, qui si minimum fuerint decem, 10 libellæ. Quo die licentiatus invitat pro cõdiscipulis unà invitantibus tractandis sex Pedellis & baccalaureis 25 libellæ, pro Pedellis nationis 2 libellę & 10 solidi, pro Præside 2 libellæ & 10 solidi, pro Pedellis Medicinæ 10 libellæ & 12 solidi, pro Pedellis Philosophorum & Theologorum 3 libellæ, pro magno convivio 250 libellæ, pro chirothecis 30 libellæ, pro pastillaria 35 libellæ, pro duobus doctoribus proponentibus 2 libellæ & 10 solidi, pro convivio novi Præsidis 75 libellæ, pro merẽda novi doctoris licentiato invitanti & ejus comitibus debita 5 libellæ. Summa secundi anni est 772 libellæ & 5 solidi, biennii totius est 881 libellæ & 5 solidi: in qua non comprehendo convivium primi loci omnibus doctoribus debitum, neque cõmemoro quæ prãdia extraordinaria doctoribus sociisve loci honoratioris caussa præberi soleant. Quæ ut parcé ac duriter fiant: summã tamen illam ad numerum millenariũ facilé perducent. Ita si biennio quoque viginti Medicinæ doctores fiant, quotannis impensa erit libellarum decies millenarum. Ac si quis discipulorum paulò ambitiosior fuerit, largitio tantum augenda, quanto altiorem eruditionis laudem expetet. Hic

enim ſumptus longe profuſiſſimus eſt. Hæc diſcipulus Medicinæ cum ſigillatim commemoraverit, exhorreſcent (ut credi par eſt) viri boni qui audient eó luxuriam non infami aliquo libidinum nomine, ſed diſciplinæ ac virtutis ſpecie prolapſam eſſe, vt pro octo & viginti coronatis penè quadringenti extorqueantur. Neque tamen dixerit aliquis minora Jureconſultis, aut (ut nunc appellantur) Canoniſtis præmia quám Medicis præſcripta eſſe, Canoniſtæ habuere Pontificem Romanum horum præmiorum, é voluntate tamen & authoritate Regum Francorum, diſpenſatorem. Nec veriſimile eſt tanquam á bono Imperatore milites imperii ſui neglectos eſſe: nemo credet. Acceſſere ad ærarium Medicinæ honoraria quædam á Pharmacopolis, á tonſoribus, qui omnes ſunt diſcipuli quidam profeſſorũ Medicinæ. Patrimonium licet etiam puſillum, attamen domi nonnullum eſt. Verúm hic aliquis fortaſſe cum didicerit quanta pecunia, conviviis ſubductis reliqua ſit, diſcere item cupiet quibus rebus expẽdatur: magiſtris ipſis (reſpondebitur) & doctoribus quotannis æqualitate quadam arithmetica & proportione hoc ærarium totum diſpenſatur, & paulatim, quanto quiſque diutius vivit, tanto plus é factis á ſe ſimili de cauſſa expẽſis recuperat. Quãobrem, Carole none Rex Francorum Chriſtianiſſime, reſpice hanc alteram Academiæ tuæ partem tam graviter oppreſſam, jube ut deligantur ordinarii Medicinæ profeſſores é magno numero doctiſſimorum hominum, quibus hic ordo mirabiliter abundat, quique rerum præſentium ſtatum,

indi-

indigniſſimé ferunt, atque hanc reformationem vehementer exoptant, neque ſolum ſumptus tam indigni ingenio & nobili ſtudio, ſed omnes omnino ſumptus tollātur, merces lege regia definiatur, ſtipendium regio mandato lautius á cœnobiis monachorum & collegiis canonicorum cōſtituatur. Sumptus diſcipuli diligentia vigilantiaque terminetur, nec alio pretio virtus parabilis quàm ſudore judicetur: Sed á Medicis ad Jureconſultos & Theologos accedamus. Jureconſultorum ordo hic eſt integer, ut dictum eſt: Profeſſores ſex habet publico multorum dierū examine probatos & electos: mercede illa viginti octo coronatorum cōtentos, nullo admodum patrimonio præterea ſuſtentatos. Quare, Carole none Rex Francorum Chriſtianiſſime, erit etiam regiæ liberalitatis tuæ his etiam ſumptibus Juris diſcipulos ſublevare, profeſſores ordinarios regio ſtipendio ornare, ut æquitas juris, quæ generi hominū honeſti leges deſcripſit, hunc imprimis honoris fructum percipiat: Theologici verò nominis ſanctimonia, quicquid hic adverſus ſumptuariam ejuſmodi legem offenſum eſſe dicetur, falſum & incredibile eſſe clamabit. Pudor eſt vel horror potius, luxuriam in conviviis, avaritiam in rapinis, dē tam ſacra divinaque profeſſione ſuſpicari. Excitetur tamen (quoniam ita conſtitutum eſt) Theologiæ diſcipulus, & jubeatur poſito metu expenſas ſibi nomine ſcholæ Theologicæ factas cōmemorare: Neque laboret, ſi rem barbaram barbarè enuntiet. Proponat ſummam libellis mille ampliorem, ut etiam parciſſimum exemplum ſequa-

tur, eamq; ſingulis nominibus approbabit. Enarrabit enim ab initio ſtudii Theologici nomina impenſæ cujuſque, hoc modo: Libellę pro burſis primi principii 14, pro convivio aulæ 5, pro burſis ſecundi principii 14, pro convivio aulæ 2, pro burſis tertii principii 22, pro convivio aulæ 2, pro quarto principio 2, pro convivio aulæ 6, pro tẽtativa 25, pro cœna Præſidis 5, pro deferẽdis poſitionibus toto curſu 1, pro Præſide 10, pro parva ordinaria 25, pro cœna Præſidis 5, pro priore in actu Sorbonicæ 15, pro ferendis titulis 3, pro magna ordinaria 50, pro Præſide 25, pro burſis licentiatus 50, pro pileis magiſtrorum noſtrorum 100, pro convivio doctoratus 400, pro craſtina 50, pro anteprædicamentis & poſtprædicamentis ſingulorum actuum triginta aſſes, ſumma libellarum 12, pro mulctis in fine curſus 8, pro cõvivio magiſtri ſententiarum 4, pro convivio prioris Sorbonici 2, pro ſaccaro 60, pro conviviis ſociorum per totum curſum 150. Summa igitur pecuniæ in Theologicam ſcholam á diſcipulo exactæ, eſt mille & duarum libellarum. Itaque ſi biennio quadraginta Doctores Theologiæ creẽtur, ſumma quotannis erit libellarum vicies millenarum. Neque tamen hic ingens illud ambitionis aucupium de eruditionis loco, deque pretio laudis exprimitur. De Carthagine tacere ſatius puto, ait ille, quám parum dicere: Timantis artificiũ Rhetor hic ingens reperit: velamentum igitur ſimile huic prope incredibili materiæ, vos qui hæc auditis circundate, & iis qui norint reputandũ atque æſtimandũ relinquite, ordini parcite. Enimvero nihil

nihil tam absurdū, tam sensus judiciique expers atque alienum inveniri potest, quod ab hominibus in eo consuefactis non probetur & laudetur. Locorum hic ordo, & quid quantumque quisque profecerit æstimatio, summus ad Theologiam cognoscendā stimulus esse dicitur. An virtus discipuli Theologiæ sexennio toto perspici & dijudicari non potuit, nisi præconis voce laudes ingeniorum tam pretiosæ uno loci prioris argumento recitentur? Caruerunt hoc stimulo Basilius, Chrysostomus, Nazianzenus, Tertullianus, Hieronymus, Augustinus, unoq; nomine Græci Latinique Theologi veteres universi, & permirum bene judicāti videatur, si viris jam ætate maturis, quales sunt Theologiæ discipuli, ridiculæ & puerilis gloriolæ ambitio ad disciplinam vanitatis & stultæ gloriæ contemptricem, verus stimulus esse possit. Caruerunt hoc stimulo & adhuc carēt Jurecōsulti, quibus tamen jurisprudentiæ laude prę-stantibus majora publicorum honorum præmia sunt proposita: Et veró Theologi nostri simulatque Academiæ legibus parêre didicerint, tam obtuso stimulo carebunt. Nec major contentio de primatu loci in Theologia erit, quám in Jurisprudentia, imó ne doctor quidem quisquam fieri volet, nisi qui forte Theologiæ præstantia fretus, sese ad publicam professionem comparabit. Quare & profusionem istam infinitas doctorum nihil docentium genuit. Patrimoniola superiorum ordinum antea dicta sunt. Hujus ordinis œconomia laudabilior hac in re fuit. Itaque ærarium subductis conviviis etiam lautius est, cujus distributio

(ſi quis etiam id requirat) Arithmetica æqualitate illa magiſtris noſtris diſpenſatur, præcipué S. Euphemiæ feſto die. Itaque eo tempore é tota feré Gallia magiſtrorum noſtrorum conventus Lutetiæ longé frequentiſſimus fieri ſolet, ejuſque diei profeſſione univerſi profeſſores ordinarii declarantur. Atque hinc vulgó ab urbanis hominibus magiſtri noſtri, doctores Euphemiani nominati ſunt. Quamobrem, Carole none Rex Francorum Chriſtianiſſime, per ſanctam εὐφημίαν, per ſacri ordinis laudem & gloriam, huc imprimis animum converte. Neque enim Philoſophia Platonis, Medicina Hippocratis, Juriſprudentia Juſtiniani, ſed ſummi æternique Dei ſapientia hiç agitur: Jube atque impera ut deligantur ordinarii profeſſores Theologiæ, permulti imprimis ultro offerentur, gratiaſque Deo & tibi immortales de tanto ſui ordinis beneficio habebunt: plerique enim omnes boni quotidianis precibus ac votis tantæ indignitatis emendationem deprecantur. Merces Theologiæ profeſſoribus authoritate tua tantæ profeſſionis excellentiæ conſentanea, á monachis & Canonicis definiatur: imó duæ præbendæ Diuæ Virginis ordinariis Theologiæ profeſſoribus non ita pridem ereptæ repetantur, beneficium otioſis & opulentis hominibus divinum erit, ſanctitatis & religionis doctores & profeſſores alere ac ſuſtentare. Diſcipulus ad Theologiæ ſtudium afferat mentem magnis multorũ antecedentium annorum ſtudiis & laboribus exercitatam, paratamque ad majores ſubeundũ, tantumque de induſtria profeſſoribus ordinariis probanda

banda cogitet, non de numerãda pecunia: Auditio quadriennii, meditatio ſexennii bene & ex lege conſumpta, ſumptus Theologici diſcipuli legitimus eſto, ſupra quem vel ſi oblatum quicquã profeſſor ordinarius accipiat, vel ſibi impendi quoviſmodo patiatur, indignus profeſſione, privilegiiſque Theologiæ ſtudio conceſſis eſto. Atque hactenus primam germanæ formæ labem, primam dignitatis ſuæ deformationem Pariſienſis Academia ſenſit ex effrenata profeſſorum multitudine, nullo judicio, nulla differentia, nullo delectu in ſcholas admiſſorum, quæ tamen toleranda fortaſſe videretur, ſi ſola eſſet: At graviorem longé fœdioremque deformationem ipſa ex ſeſe genuit, jactura fuit illa pecuniæ tantúm, quæ potuit eſſe ſine jactura diſciplinæ. Potuit enim avara quantumlibet & acerba exactio exerceri, ut interea tamen diſciplinæ profeſſio tractatioque incolumis permaneret. Verúm ubi ſemel feneſtram ad nequitiam patefeceris, ex uno errore atque delicto protinus ilias malorum exoritur. Neque enim ex hoc infinito profeſſorum numero infiniti tantum ſumptus nati ſunt, ſed infinitus diſciplinæ contemptus, quod in ſingulis ordinibus Philoſophorum, Medicorum, Jureconſultorum, Theologorum, ſubtilius declarandum eſt, quia diſſimilis eſt hic etiam cauſſa. Quid igitur ab infinitis Philoſophię profeſſoribus contra leges Academiæ deinde eſt commiſſum? Philoſophię profeſſio non eſt illa quidem deſerta, ſed pro publica profeſſione & in ſcholis publicis ordinaria privatæ profeſſiones in gymnaſiis ſingulis,

contrá & publica Academiæ, & privata singulorum gymnasiorum instituta, sunt inductæ. Etenim lex octingentorum annorum á Franciæ Regibus jam olim post conditam Universitatem constituta, & deinceps perpetuo usu, perpetuáque Regum authoritate instaurata, professionem Philosophorum publicam esse jubet. Sic enim Cardinalis Totavillæus postremus Universitatis é Regum authoritate instaurator, veterem hac de re legem & consuetudinem confirmat.

Item monemus prædictos regentes conformiter ad antiqua statuta, & laudabiles consuetudines facultatis artium conservãdas, ut cessante legitimo impedimento, singulis diebus & horis statutis, ad vicũ straminis se trãsferãt, lecturi modo & forma, quibus supra regulariter & ordinaté absq; hoc quod reservent sibi textus plures una vice legendos, sed secundũ statuta libros legant ad profectum auditorũ, ut præmisimus, regulariter & ordinaté.

Hæc regia lex est, quæ leges & consuetudines antiquas confirmat, ne quis legem sine consuetudine, aut consuetudinem sine lege fuisse existimet, ubi vicus straminis publicas Philosophorũ scholas significat, in eo quippe vico constitutas: gymnasia deinde in hac nova trecentorum annorum Academia, singula unicum vel alterum juventutis moderatorem habent, domesticis institutis fundatum, non ad docendam philosophiam, sed ad domesticos alumnos, cúm in schola publica audiissent, continendum in officio & exercendum: ita & publicis Academiæ, & privatis gymnasii cujusque institutis, Philosophiæ, professio publica sanciebatur. Nuper verò diem extremum obiit, qui

postre-

postremus in schola publica publicus Philosophię professor fuit, ut modis omnibus planum ac perspicuum sit, Philosophiæ professionem publicam fuisse, contraque instituta omnia in privatas divisam esse: sed tamen Philosophicæ professionis hic tantúm commoda considerentur, ut duarum professionum, alterius publicæ in eadem schola, alterius privatæ in plurimis & disjunctis scholis, eaque demum præstantior habeatur, quæ Philosophiæ fructus uberiores adferat. Ergo Philosophiæ privata & publica professio comparetur. Unicus verò privatæ professionis magister, est eisdem discipulis triennium totum & sex menses, in omnibus Philosophiæ partibus. Et quia horum studiorum cursus perpetuus est, in unoquoque gymnasio quatuor facti sunt magistri perpetui, Summulista, Logicus, Physicus, Intrans (ut vulgo appellati sunt.) Itaque si vigintiquinque gymnasia sint, in quibus Philosophia isto modo doceatur, centum hos philosophiæ doctores esse necesse est. At si regii & ordinarii professores singulis philosophiæ partibus explicandis certi (ut hic octo) deligantur, soli in facultate liberalium artium, publicas scholas administrabunt, longeque facilius octo præstanti doctrina professores quám centum reperientur, multóque commodius & utilius octo professores illi, singulas Philosophiæ partes singuli sustinebunt, quám unicus & idem universas: hanc verò facultatem ne quis perdifficilem arbitretur, Regum liberalitas Academiæ Parisiensi suppeditavit: Professores enim liberalium artium generis cujusque regio stipendio constituit: hos

Philoſophorum ordo ſibi poſtulet, facilé impetrabit, & ipſis profeſſoribus Regiis jucundum erit habere certos auditores, á quibus attentius audiãtur, & impenſius colantur. Quamobrem ſine dubitatione ulla major erit doctrinæ facultas in publica profeſſione: At doctrinæ utilitas minor erit, quamvis facultas ſit major, dixerit aliquis: præſtantiores enim magiſtros, ſed non præſtãtiores diſcipulos fore, propter immodicã in publicis ſcholis licentiam. Bene res habet. Interrogetur Plato, cur dixerit, Quales in Republica principes, tales reliquos cives eſſe. At principes Philoſophiæ non doctores tantúm, ſed multo magis doctrinæ exercitatores expetuntur, nec inertiæ, ſed diligentiæ, ſed exercitationis gratia publica profeſſio repetitur. Æmulatio etiam (qui ſtudiorum prẹcipuus ſtimulus eſt) in publicis ſcholis erit tanto major, quanto diligentiæ aut negligentiæ laudatio vituperatioque inſignior & illuſtrior, publiciſque ſcholis veterum legum authoritate & ſeveritate confirmatis & conſtitutis, conſtituentur juventutis mores, de quibus iſta querimonia eſt, licentiaque illa effrenata frenis acrioribus comprimetur: é mille nanque vel etiam multo pluribus liberalium artiũ diſcipulis, qui quotidie é privatis ſcholis exeunt ad Regios profeſſores audiendum, vix ducenti Grãmaticis nempe & Rhetoricis, Logicis ſtudiis informati, & ætate jam provecti, in publicis Philoſophiæ ſcholis relinquentur, & quidem arctioribus vinculis aſtricti quám in privatis ſcholis aſtringi poſſint, ſicuti poſtea ſubtilius exponetur: reliqua autem multitudo in privata gymnaſia remittetur.

Septingentos

Septingentos quinquaginta annos lex illa publica & Regia de publica professione valuit, neque quisquã interea inventus est, qui licentioris hujus temeritatis argumento publicam professionem tollendam esse contenderet. Omnibus virtutibus vitia quædam sunt affinia, nec propterea virtutes damnandæ sunt, sed vitia corrigẽda. Denique Regiæ professiones extinguantur, & Reges Franciæ literarum instauratores & fautores appellari desinant, aut idoneis auditoribus Regiæ professiones pateant, Regesque Franciæ tanti boni non solúm authores, sed conservatores & vindices sempiterna omnium gentium lætitia prædicentur. Atque hæc de facultate & utilitate Philosophiæ é publica professione: Verúm dicetur fortasse, quod á superiorum ordinum nonnullis dicitur, é privatarum scholarum ludo, tanquam ex equo Trojano innumeros Philosophiæ principes exire, quia Philosophia docendo exercendoque præcipué comparetur, fabricãdoque faber efficiatur. At enim operę precium sit considerare quales Philosophiæ principes, quales Platones & Aristoteles é privatis scholis quotidie exeant. Grammaticorum & Rhetorum scholas á barbaris dominis liberatas antea diximus. Philosophię professores initio Grammaticam & Rhetoricam feré aspernati, quæstionarios diutius retinuere: tandem tamen aliquando literatiores & ornatiores facti, repudiarunt totam illam hominum barbarorum fæcem, puriores & graviores Philosophiæ authores recepere, attamẽ exercitationes utiliores & meliores nondum universi receperunt, omninoque ab iis qui Philoso-

phiam profitentur, paucis gymnasiis exceptis, Logicæ meditatio in scholis privatis, nulla ferè Aristotelea adhibetur, in declamanda rerum utilium thesi, sed de regulis artis altercatio tantúm est, ut ad usum Logicæ non admodum in quibusdam gymnasiis interfuerit quæstionarios vel Aristotelem habere, cúm ex Aristotele non alius fructus quám é quæstionariis exquiratur: Mathematicæ artes adhuc in publicis Philosophici studii legibus & institutis nullum honorem, nullum separatim locum habuere, ut Mathematum prorsus ignarus, tamen legibus Parisiensis Academiæ philosophicam lauream consequatur. Itaque artes hæ vix primoribus labris attinguntur, ac plerunque ne attinguntur quidem, quæ tamen liberalium artium antiquissimæ & primariæ, imó (si veré appellantur) solæ sunt, & maximé omnium propter ingenuum liberalémque fructum cognoscendæ, & sine quibus reliqua Philosophia cæca est: ignorata quippe symmetria rerum & proportione ex arithmeticis, figura & corporis conformatione é geometricis. Ergo artes hæ principes, in privatis scholis ita spretæ sunt. Quinetiam de Physicæ philosophiæ partibus altercatio tantúm est, usus rerum nullus, nulla experiētia: Philosophia denique tota in plerisque gymnasiis altercatoria & quæstionaria adhuc est. Quapropter ad illud jam respondendum: Fabricando faber efficitur, distinctioque Ciceronis adhibenda est. Perversé dicendo, inquit, homines facillimé consequuntur ut perversé dicant. Ita bene fabricando bonus, malé fabricando malus faber efficitur: Neque dubitare jam quisquam po-

teſt, quin tales diſcipuli exeant é ſcholis, qualis in iis cúm diſciplina tum exercitatio fuerit. Quare planum eſt ſi quos nobiles Philoſophos Pariſienſis Univerſitas habeat, ut certé nobiles multos habet, non privata ejuſmodi Philoſophiæ vel auditione, vel profeſſione tales factos eſſe, ſed quod ſingulari quadam induſtria per ſe ipſi res magnas adamarint, vel potius quód in publicis & Regiis ſcholis profecerint: E quibus ad illam bene & ex ordine fundatæ diſciplinæ gravitatem & ſeveritatem compoſitis, nullus ſané diſcipulus exiturus ſit, niſi omnibus Philoſophiæ partibus luculenter inſtructus, facileque ſuperiori cuilibet ordini, ſe non levibus ſophiſticæ lineamentis adumbratum, ſed veris intimæ Philoſophiæ coloribus expreſſum Philoſophum probabit. Quin etiam laurea philoſophica donati, quo tandem & quanto ſtudio ad majorem & ampliorem Philoſophiæ cognitionem excitabuntur ſpe ad publicas & Regias profeſſiones perveniendi? Quare tum ſuperiores ordines ſolitudinem non metuent, ſed é magna frequentia & abundantia cooptabunt. Itaque cõparatis in Philoſophiæ ſtudio privatarum profeſſionum cum publica momentis, quæſtio ſupereſſe nulla poteſt, quin præſtantior diſciplina in publica profeſſione futura ſit. Quamobrem, Carole none Rex Francorum Chriſtianiſſime, excitato in hac prima Academiæ Pariſienſis facultate indolé generoſæ mentis ac naturæ tuæ: jubeto ſcholas Philoſophiæ publicas & quidem opportuniſſimo totius Academiæ loco conſtitutas eſſe, legitimam & humanæ vitæ commodis & emolumentis ter-

minatam Philoſophiam publica & Regia profeſſione imperato. Eſto ſi lubet Grammatica in privatis gymnaſiis, permittaturque primæ pueritiæ doctoribus uno opere eandem incudem diem noctémque tundentibus, atque omnia minima manſa, ut ajunt, nutrices infantibus pueris in os inſerant: at deinceps in publica majorum artium profeſſione collocato primo publici ſtudii gradu rhetoricam & logicam, informabis Demoſthenes & Platones novos, adjungito ſecundi anni vigiliis Mathematicas artes quondam Regum & nobiliũ ſolas artes: excitabis ex illo erudito pulvere Architas alios, alios Archimedes, quorum domi tuæ natorum & educatorum opera fideli & induſtria, pacis & belli temporibus, & glorioſé & ſalutariter utare: Tertium annum Phyſicis & Ethicis aſſignato, Democritos & Solones á Græciæ inferis in Galliæ lucem revocabis. Sed enim Philoſophorũ ordo ut parciſſimus exactor fuit, ita fuit diſciplinę ſuæ retinentiſſimus. Seceſſit á publica profeſſione, hoc in Philoſophis deſideratur. Verúm á profeſſionis labore non diſceſſit. At mirabile eſt quãtum ſuperiores ordines á munere profeſſionis diſceſſerint, & quám longé curriculi ſui lineas trãſilierint. Singulis erant authores diſciplinæ ad prælegendum præſcripti tempus & via prælectionum, exercitationum & examinum modus definitus. Medici, Jureconſulti, Theologi ſcholas non mutavere, ut Philoſophi, ſed abjecere legibus præſcriptum omnem prorſus prælectionis & profeſſionis laborem, diſcipuliſque ſuis perſuaſere, ut ipſi ſibi in privata bibliotheca magiſtri & profeſ-

ſores

sores essent, discipuli assensere. Ita Medicinæ, Jurisprudentiæ, Theologiæ prælectiones & professiones legitimæ & ordinariæ conticuerunt. Actus, id est altercationum examina quædam, tantúm retenti sunt, ut certis anni temporibus discipuli in publicis scholis redderent rationem magistris auscultãtibus, quid quantúmq; privata diligentia per se didicissent ac profeciissent. Ita præceptores ac magistri facti sunt auditores discipulorum suorũ, neque tamen propterea tantundem exigere desierũt. O tempora, ô mores. Hæccine schola usquã gentium aut terrarum credi potest, in qua doctores & professores habeantur, & doctorum ac professorum præmiis fruantur, qui nihil in ea doceãt, nihil profiteantur? Ubi discipuli & auditores appellentur, qui nihil in ea discant, nihil audiant? Fabulis ista similia videbuntur iis, qui non viderint aut non interfuerint. Atque hujus facti cogitatio & conscientia Medicos anté commovere cœpit quám Jureconsultos, quám Theologos. Anno enim 1505. duobus baccalaureis duodenas libellas stipendii loco quotannis assignaverũt, qui dominorum doctorum tanquam in templis Canonicorum vicarii quidam essent. Jureconsulti jampridem Juris civilis professionem, quamvis veterum legum authoritate in Academia Parisiensi fundatam, abjecerant Pontificis Rom. decreto (*Super specula*) solamque canonici Juris interpretationem retinuere, quam etiam abjecerunt, ut simili cum Medicis & Theologis libertate fruerentur. Reducti tandem sunt ad æquitatem Senatusconsulto illo anni 1534, reducti ad ordinariam pro-

feſſionem juris, ſed canonici tantúm: Pars illa juris civilis prior atque antiquior hæſit in ſalebra, reducti ad legitimam & laudabilem meditationē jureconſulti atque oratoris forenſis artificem: habent enim Jureconſulti actus altercationum, ſed cum uſu atque opere veritatis conjunctos. Theſes de jure diſputant, ſed oratione feré perpetua, variiſque & argumentis & ornamentis diſſerendi dicendique referta propemodum, ut in foro hypotheſes ſingularum cauſſarū perorari ſolent. Ergo genus exercitationis illud in Juriſprudentia laudabile. Sed pars juris civilis prior & antiquior nondum recuperata eſt. Quamobrem, Carole none Rex Francorum Chriſtianiſſime, hic tua virtus eniteat neceſſe eſt. Pariſienſis Academia acceperat á Regibus ſuis majoribus tuis, poſſeſſionem Juris civilis frugiferam imprimis ac fructuoſam, quam conqueritur iniqué ſibi ereptam eſſe. Itaque te judice rem repetit, eumque ex jure manu conſertum vocat, á quo poſſeſſione dejecta eſt. Quid tandem Theologi, utrum Jureconſultos imitati ſunt? Minimé. Ad ſpeciem profeſſionis ordinariæ Medicos imitari maluerunt, profeſſionis ſuæ vicarios inſtituerunt, quibus non ærarium facultatis, ſed ex eo ſtipendiolum, ut in Medicina, ſubduceretur. Sed tamen hoc in miſero & miſerabili Medicinæ ac Theologiæ é ſuis ſcholis, adeoque ſuis domiciliis ac templis exilio, Medicorum quā Theologorum erga diſcipulos imperium remiſſius fuit. Hippocratem & Galenum cognoſcēdos ſuaſerunt, & quidem cum Judicio, ut hactenus probarentur, quatenus experientiæ ac veritati cō-

gruerent.

grüerent. At Theologi non vetus teſtamentum, non novum perlegendum & meditandum, ſed exortum é barbarie omnibus antea ſeculis inviſa atque inaudita quæſtionariorum fæcem ediſcendam, & in ſcholis altercandam præceperunt, proque ſancta & divina ſcientia ad verę religionis cultum á Deo hominibus oblata, ſophiſticam inextricabilem in Theologiæ ſcholas induxerunt. Atque hæc in Medicinæ & Theologiæ ſcholis diſciplina quamvis ejuſmodi ſit, tamen toleratur, tamẽ etiam defenditur, & quidem ab iis á quibus minimé omnium mortalium decuit. Licétne igitur recitare quod in aula Henrici Regis patris tui apud Sangermanum Philoſopho cuidam contigit? Erat illi quæſtio cum quibuſdam áulicis de iſtiuſmodi beatis Medicinæ & Theologiæ profeſſoribus: Tũ forté medicus huic ſermoni intervenit, cauſſamque collegarum non ſimulaté, ſed pené iracundé ſuſcepit. Medicinæ (inquit Medicus) libri privato ſtudio commodius á diſcipulis leguntur & intelliguntur, quám ab ordinario profeſſore audirentur in ſcholis publicis, nimiumque temporis amitteretur frequentandis ſcholis dum illuc iretur, illic audiretur, illinc rediretur: Deinde varii & multiplices ſunt actus, quibus doctores præſumus, diſputamus, diſcipulorum ſtudia dijudicamus: Denique in his actibus profeſſio noſtra multó fructuoſius, quám in ulla prælectione conſumitur. Tum Philoſophus, cúm ambo in Academia eadem inſtituti ſimus, poſſumúſne tantiſper ab iracundia in contentionibus nobis uſitata diſcedere? & politicum de regendis ſcholis problema politi-

cé diſputare? Medicus annuit. Ego veró, inquit philoſophus, ſi forté tui nominis aliquid hic agi putes, fateor ac etiam profiteor te Medicum ſingularem eſſe: ſi quis unquam Medicus hominum generi ſalutaris fuerit, te unum ſalutarem eſſe. Verúm nihil hic agitur de tua virtute, ſed de profeſſione Medicinæ, quã tu in hac area regia tam procul á ſchola mecum inambulãs mihi videris ſuſtinere non poſſe. At meo tempore (inquit Medicus) meis actibus præſideo, collega quidem meus hodierno die præſidet, ac cúm periodus præſidentium converſa ad me redierit, tum rurſus præſidebo. Bellé, inquit Philoſophus, ac beaté reſpondes. Agam tecum non argumento ſubtili, ſed domeſtico ac familiari exemplo. Habet Academia Pariſienſis gymnaſia permulta, ut ſcis, gymnaſiarchiq; habent liberalium artiũ profeſſores ſubditos authoritati ſuæ, quibus quotidianarum prælectionũ & exercitationum horas & leges preſcribũt, proptereaque victum & domicilium ſuppeditant, minervalia etiam á diſcipulis offeruntur: Ecquid? ſi quis iſtorum profeſſorum auditorium hora tantũ decima matutina, itemque quinta pomeridiana ingreſſus, in cathedra auſcultatorem veſtro more & judicem controverſiarum, & de præceptis artis altercationum diſcipulis ſe præberet, æquũne cenſes illi victum hoſpitiúmque á gymnaſiarcho, minervalia á diſcipulis ſuppeditari? Minimé, inquit Medicus, ſed incommodé ſuperiorem facultatem cum inferiore comparas. Verúm, inquit Philoſophus, præceptor ille grammaticus bis ſe quotidie diſcipulis ſuis exhiberet: at periodus veſtra decimo

mo vix anno ad ſingulos veſtrum redit, & tamen actum unum decennio repetitum diſcipulis veſtris tam pretioſum facitis. Tum ſubridens Medicus, humerum Philoſopho percuſſit, atque abiit. Sic nempe res minimé omnium ridicula, tamen irridetur. Eadem ſcilicet Theologiæ defenſio, ſi quis requirat, afferetur, præſtantia privatæ & domeſticæ cognitionis, examinumque & actuum ſevera & accurata diligentia. Nec veró defenſionis ejuſmodi unicus eſt ille author, ſed multo plures quám Academiæ ſplendor & dignitas poſtularet. Ergo diligenter & attenté utraque defenſio animadvertenda eſt. Primó quod lectio Medicorum authorum & Theologorum privata ſit diſcipulo fructuoſior, quám docti quantumlibet & eruditi profeſſoris auditio. Etenim (per Deum immortalem) longé alia mens regum noſtrorum in publicis Academiæ legibus & inſtitutis fuit, quæ Medicinæ & Theologiæ profeſſori ordinario ceſſationem nullam permittunt, Theologo permittunt quindecim dierum tantummodo: diſcipulo Medicinæ triginta ſex menſes: Theologiæ quatuor annos ordinariæ prælectionis auditorem efficiunt, eaque auditione jubent Medicinam & Theologiam cognoſcere: poſtremó non bibliothecas, ſed ſcholas diſciplinæ magiſtras efficiunt. Et quidem pro regiis illis Medicorum & Theologorum legibus veriſſimé diſſeretur, quod á Platone in Phædro diſputatum eſt, vocem ſcriptura ad docendum longé diſertiorem eſſe, auriumque ſenſum, quod Ariſtoteles in eandē cauſſam repetivit, doctrinæ præſtantiorem magiſtrum

esse quám oculorum. Age veró si jam Hippocrates & Galenus, Moses & Paulus reviviscerent, & in scholis Medicinam & Theologiam profiterentur, nemo, ut credi par est, Medicinæ & Theologiæ studiosus, legendis eorum libris, quám illis ipsis librorum authoribus audiendis, se Medicinã & Theologiam facilius assecuturum putaret: imó veró desertis bibliothecis magnus undique in scholas publicas concursus fieret majórque unius diei fructus esset in audiendo, non solum propter vocis & actionis lumen & evidentiam, sed multo maximé propter egregiam docendi authoritatem & viam, quam mensis unius in legendo, facileque illa itionis, auditionis, reditionis tempora cum magno temporum fœnore compensarentur: At in professoribus ordinariis expectantur Hippocrates & Galeni, Moses & Pauli, id est doctores magno labore, longa multorum annorum consuetudine, summorum illorum magistrorum similes & germani, discipulisque ideo magno labore, temporisque compendio perinde utiles & accommodati. Quare viva docti professoris & eruditi voce, multó commodius discipulus informatur, quám muta quantumlibet magni authoris lectione. Sed prima ista otiosorum Medicinæ professorum defensio á discipulis non argumento aliquo sed quotidiano jam multorum annorum exemplo refellitur: Posteaquam enim Jacobus Sylvius Medicinã profiteri cœpit, nemo Lutetiæ Medicinæ studiosus fuit, quin eum sibi studiosé audiendum existimaret: factus est tandem Regius professor Sylvius, auditorium frequentius fuit. Successit huic

regiæ

regiæ professioni, defuncto Jacobo Sylvio, Jacobus Gopylus, auditorium magis ac magis quotidie frequentatum. Audiuntur etiam plerique diligentiæ consimilis professores Medicinæ extraordinarii, nullo ærarii publici stipendio, audientium vel mercede, vel amore tantúm invitati: regiæ tamen & ordinariæ professionis loco & præmio digni. Quare tam multi Medicinæ & professores & auditores primam illam desertæ professionis Medicæ defensionem valde ridiculam esse demonstrant. Theologi nullos é suo ordine ac numero Sylvios, nullos Gopylos adhuc habuere, á quibus perinde refellerẽtur: Habuere tamen Regios Hebraïcæ linguæ professores eó frequentius auditos, quo religionis fontes plenius inde orirentur. Hinc gratissima Vatabli in omne ævum, ut succrescentem vivorum laudem præteream, memoria permanebit. Sed Theologi ex suo ordine nullos Sylvios, nullos Gopylos, ut dictum est, adhuc habuere. Caussa tamen calamitatis in utroque ordine una est, sed calamitas ipsa in Theologis major & pertinacior. Quare Medici & Theologi desertionem professionis ordinariæ valde plumbeo pugione defendunt. Altera ex actuum & examinum diligentia defensio disceptetur. Exercitatio Medicinę & Theologiæ, ut cujusvis disciplinæ, duplex est Academiæ legibus proposita: altera est in altercatione de præceptis & regulis: altera in operis meditatione & constructione: prior illa sola retenta est á Medicis & Theologis, Medicinaque & Theologia quæstionariæ omnino & altercatoriæ adhuc sunt. Altercationis autem actus, est

pars leviſſima laboris Medicinæ & Theologiæ, profeſſoribus & auditoribus imperati. Etenim nautæ, pictores, architecti, unoque nomine opifices univerſi, nulla de præceptis artium ſuarum altercatione opificia ſua perdiſcunt, ſed aſſidua propoſiti ſibi operis attentione, imitatione, æmulatione. Grammatici & Rhetores, & jam in quibuſdam gymnaſiis, Logici ineptias altercationum grammaticarum, rhetoricarum, logicarum repudiarunt. Cognitis docti præceptoris voce ac perceptis artium ſuarum documentis, authorum inſignium exempla ſibi prælecta & declarata ſcribendo & commentando imitantur, nec jam rixantur inter ſe quomodo bene loquendum, dicendum, diſſerendum ſit, ſed penitus omnino-que occupantur, ipſo artis opere in præſtantibus authoribus cognoſcendo & exprimendo. Quare Medicos & Theologos exemplis artium minorum admoneri cupio, ut altercationem de præceptis leviſſimam artis exercitationem eſſe intelligant, unde tantúm intelligentia memoriaque artis parari poteſt, opus & uſus artis non poteſt: imó exercitationem artis hic nullam eſſe: ſi quidem artem exercere ſit exemplo & opere præſtare, quod arte præcipitur: Rectè namque Ariſtoteles εὐπραξίαν accuratam perfectamque actionem, finem artis cuiuſque conſtituit, ut qui præcepta artis altercatione ejuſmodi didicerit, artem καθόλου & univerſaliter ſciat, ἁπλῶς & ὡς τῷ ἐνεργεῖν abſolutè actúque neſciat. Nec enim, ait, fieri poteſt ut ſit ædificator, qui nihil ædificarit, nec citharœdus, qui nunquam cithara cecinerit, quamvis architecturæ &

ćturæ & muſicæ præcepta didicerit, & ſexcentis actibus diſputarit. Sic Craſſus ille Ciceronianus ad facultatem & habitum diſciplinæ cum tria requirat, naturam, artem, exercitationem, primas naturæ & ingenio concedit, ſecundas diligentiæ & exercitationi. Inter ingenium quidem (ait) & diligentiam perpaululum loci reliquum eſt arti. Quare altercatio de præceptis Medicinæ & Theologiæ minima pars eſt é facultate habituque Medicinæ & Theologię: quia per eam ars tantúm cognoſcitur, non autem exercetur. At ſi jam tales grammaticæ doctores in ſcholis noſtris eſſent, qui diſcipulos tantúm altercantes de præceptis audirent, in opere autem ipſo ſcribendi & loquendi nihil exercerent, ne diem quidem unum ferri poſſent, protinus abigerentur: á doctore enim artis & profeſſore non ſolúm intelligentia artis illa catholica, ſed ὑπαρξία, ſed actio, ſed uſus, ſed finis artis poſtremó expetitur. Sed tamen altercationum materies, altercationes ipſas valdé differentes in Medicis & Theologis efficit. Itaque altercationum iſtarum actus in Medicinæ quám Theologię ſtudiis tolerabiliores ſunt. de Hippocratis & Galeni libris altercatio Medicorum eſt, qui authores bene & accuraté cogniti Medicos adjuvant ad curationē morborum, Medicique licet ut Philoſophi altercationem quæſtionariorum ſimilem retineant, attamen quæſtionarios é ſcholis exegere. Splendorem etiam orationis & ornatum nullis diſputationum ſuarum locis ſolent interponere, ut ex ea ſcholaſtica conſuetudine jucundum ſit medicos é ſchola egreſſos, in quo medio artis uſu

occupatos, de morbi genere, remedioque inter se oratione perpetua consultantes attendere. At Theologi Parisienses soli omnium mortalium quæstionarios mordicus retinent, neque de veteri Testamento Hebraïcé, neque de novo Græcé cognito, sed de quæstionariorum ineptiis altercantur: ineptiis (inquam) é pagana Platonis & Aristotelis philosophia imperité collectis, ut in Christianæ Theologiæ scholis pagana sæpius quám Christiana philosophia audiatur. De materia prima, de æternitate mũdi, de quinta ab elementis essentia, de intelligentiis orbium cælestiũ, de fœlicitate hominis in hac vita, breviter de tota (logicis exceptis) paganorum hominum philosophia, præsertim sicubi fallax, captiosa, imó veró impia fuerit. Quid ergo (dicet aliquis) Philosophiam á Theologo ignorari vis? Minimé, inquã, gentium, minimé. Frustra enim antea ad Theologiam accessuris tantopere commendassem, sed fines disciplinarum regi volo: statuoq; tam sophisticum & captiosum esse in Theologorum scholis de Philosophia, quam in Philosophorum auditoriis de Theologia disputari. Recté namque philosophi præcipiunt, si quid arithmeticũ in Geometria, vel geometricum in Arithmetica tractetur, sophisticum esse: illudque esse ἀγεωμέτρητον, hoc ἀπαίδευτον. Ergo Arithmetica arithmeticé, Geometrica geometricé tractanda sunt. Ideoque Philosophia philosophicé á Philosophis in Philosophica schola, Theologia theologicé á Theologis in Theologica schola docẽda est. Id verum, justum, sanctum, catholicum esto. Ergo á theo-

logiæ

logiæ Christianæ scholis pagana illa sophistica arceatur.

—*Procul ô procul este profani.*

Pudeatque attentum & sobrium auditorem paganismi in Christianæ Theologiæ scholas pro Christianismo inducti. Etenim lex Theologiæ professoribus, Theologiæ discipulis nequaquam quæstionarios platonicos, vel aristoteleos imperavit, sacros enim libros imperavit: Theologiam denique puram non sophisticam & paganam imperavit. Quare Parisiēsis Theologia non solúm quæstionaria est, sed tota in quæstionariis, qui Theologiæ discipulos de talibus nugis nugatores tantū possunt efficere: concionatores populi, doctores, operis Theologici actores non possunt efficere. Veruntamen perge: querimonia nova exoritur. In Medicina exercitationis pars illa altera longé commodissima, de Medici operis meditatione & effectione omissa est, ut discipuli alio anni tempore philosophatum de herbis, plātis, omniumque generum simplicibus, á professore in prata, hortos, sylvas ducerentur: alio in secandis corporibus exercerentur: alio eoque præcipuo ægrotis tractandis consilii, medicamenti, rationis totius participes essent. Hæc enim exercitatio Medicos faceret, ut in schola Montispessulani, ut in omnibus Medicis Italiæ scholis facit. Hæc enim Medicinæ est εὐπραξία: altercatio autem actuum scholasticorum sola, tantúm potest altercatores scholasticos efficere, morborum curatores efficere non potest. Itaque Medici doctoratus lauream adepti, ac per solos actus illos instituti, artis usum

diſcunt periculis hominum, & experimenta per mortes agunt, ut inquit ille. Quamobrem Carole none Rex Francorum Chriſtianiſſime, conſtitue in ſcholis Medicorum profeſſores regios & ordinarios, qui Medicinæ optimum quemque authorem ea lingua qua ſcriptus primó fuerit, interpretentur: conſtitue meditationes illas veras & exercitationes germanas, diſcipuli Medicinæ lauream adepti, non ſolúm theorematis librorum eruditi, ſed exemplis & uſu informati ad curandum morbum, ad valetudinem tuendam, ad ſtatum vitæ conformandum accedent. Quid ſcholaſticæ meditationes operis Theologici & commẽtationes, qualeſnam ſunt? Theologiæ porró cognitæ ac perceptæ εὐσεβείᾳ illa quidem vita Chriſtiana, & ſanctis incorruptiſque moribus continetur: ſed de Theologiæ doctore & profeſſore modó agitur, quo genere exercitationis præcipué fingendus ſit: Quã ad rem regiis & publicis Academiæ inſtitutis ſermones & collationes, id eſt, locorum in religionis doctrina communium & illuſtrium, declamationes & conciones maximé omnium in una Theologia commendantur. Verba ipſa legis qualiacunque ſint, lubet aſcribere é Totavillæi Cardinalis reformatione.

DE RESPONSIONIBUS & ſermonibus non omittendis.

ITEM *ordinamus & ſtatuimus quód ſermones & reſponſiones, quos ſeu quas ex ſtatutis prælibatis facere tenẽtur, dicti baccalaurei tam curſores quám formati,*

mati, & etiam magistri nullatenus per eos omittantur. Specialiter autem de sermonibus & collationibus ita duximus statuẽdum, ut omni excusatione cessante, præterquam ægritudine aliqua præpediente, fiant sermones tam magistrales, quám alii secundum morem antiquum laudabilem. alioquin si magister sermonem assignatum sibi neglexerit & omiserit, á regentia illius anni, & baccalaureus ab uno jubileo absque relaxatione privetur: & hoc statutum authoritate apostolica districtiús servari mandamus sub pœna perjurii, quam transgressores magistri seu baccalaurei, seu etiam dissimulantes illud observare ipso facto incurrant.

Hæc Cardinalis verba & instituta sunt de scholasticis theologorum concionibus & declamationibus. Quæ sané præcipuum totius exercitationis Theologicæ fructum continebant. Etenim oratorum eloquentia quondam non solúm in curia & foro, sed maximé in concionibus populi versabatur: Reipublicæ regiæ forma ejusdem virtutis facultatem varié dissecuit, curiæ authoritatem principi, fori cõtroversias judicibus & advocatis, populi conventus & conciones Theologis attribuit. At veteres illi oratores declamationem eloquentiæ tanquam matrem & altricem singularem coluerunt. Demosthenes jam grandis ætate, grande intuens speculum componebat actionem: Idem in Phalerico ad fluctum maris declamare solitus, ut assuesceret fremitum populi voce vincere. M. Tullius ad Præturam usque Græcé, Latiné veró ad extremam senectutem declamavit, neque id domi tantúm pacatis tranquillisque rebus, sed in bello. Quomodo & Suetonius author est á

M. Antonio & Octavio, ne Mutinensi quidem bello declamādi consuetudinē intermissam fuisse. Enimvero nemo repenté fit artifex. Itaque si quis eloquētiam in Theologo ullo unquam vel fuisse vel etiam nūc esse fateatur, fateatur etiam necesse est, exercitationes eloquētię effectrices in eo fuisse, optimaque de caussa in schola Parisiensi, cum Theologi concionatores morum ac vitæ oratores expeterentur, concionatorias & oratorias exercitationes tantopere commendatas esse: judicavit nimirum legislator ille artem quamlibet in schola sic exercendam esse, ut verus extra scholam usus requireret. Educito igitur Theologiæ discipulum ex umbraculo in pulverem & aciem, ubi tandem vox ejus versabitur? Nonne in rostra aliqua, atque in mediæ concionis suggestum ascendet ad explicandum Evangelium, vitia corrigendum, virtutes exornandum & decorandum? vel in scholarum cathedra pressius & accuratius eandem Theologiam elimabit? Atqui huc Theologum legitimæ declamationes & scholasticæ conciones illæ comparabant, altercationes autem de quæstionariis, neque rei vel argumēti, neque verborum vel orationis simile quicquam habent. Quin etiam si colloquendum separatim aut scribendum de Theologia fuerit, huc declamationis meditatio & scriptura consimilem fructum usumque adferet. Declamatorius itaque sudor ille (cum Theologia veteris Testamenti Hebraicé, novi Græcé quadriennio, ut lex jubet, á præceptoribus ordinariis percepta fuerit) Theologiæ discipulū verissimé exercebit. Quód si quis miretur quomodo aut quam-

orbem

obrem tantum adjumentum Theologus contemperit. In promptu cauſſa eſt (ut ait poëta ille) deſidioſus erat. Declamatio enim illa eſt commentationis & ſtyli, eſt diligentiæ & memoriæ, eſt induſtriæ poſtremo laborioſæ plena: Attamen ad ſpeciem ſervatæ legis commentum vel potius ænigma hic inventum eſt, vt declamationes & conciones Theologorum nō verbis Theologicis, ſed nummis perorarentur. Itaque declamationis onus in recentem aliquem liberalium artium magiſtrū coronato aliquo inductum deoneratū eſt, & Philoſophus pro Theologo in ſcenam prodit, perſonamque declamātis & cōcionantis Theologi peragit. Deus bone! quis hæc regiarum legum ludibria non commentitia & fabuloſa exiſtimabit? At quotidiana ſunt, & ante oculos omnium verſantur: magiſtri noſtri vident: imó veró rident, neq; deſertarum profeſſionum vel auditionum culpa, culpam contemptarum concionum gravioré exiſtimant. Enimveró ſit regiis legibus irridendis modus ac finis. Vitia noſtra noſtris animis ac moribus penitús inveterata nobis nimium placent, nimis arrident, ſi é præſcriptis Theologiæ laboribus aliquid remittendum fuit, fuit ex eo potiſſimum remittendum quód minus prodeſſet. De altercationibus igitur & actionibus tam multis maxima pars dematur, declamationum & cōcionum utilitas augeatur, quinetiam actus reliqui, quod in ſcholis Juriſprudentiæ uſitatum eſt, oratione perpetua, id eſt, ad ſpeciem theologicæ & concionatoriæ utilitatis accommodata majore ex parte reformentur. At totum contra factum eſt. Sex per-

petuos annos theologicæ ſcholæ quæſtionariorũ altercationibus perſonant, principiorum, Tentativæ, Ordinariæ magnæ & parvæ, Veſperiæ. Id ſatis non fuit, Franciſcanus quidam ab hinc annos centum, poſt Cardinalis Totavillæi reformationem, clamores quæſtionarios amplificavit, totúmque diem unum diſcipulis cõtra altercantibus reſpondit, nullo judice adhibito præter ſtrepitum pedum & manuum plauſum, quo quæſtiones altercantium diſceptarentur. Hic actus Sorbonica dicta eſt, atque in memoriam gloriámque robuſti & valentis altercatoris Franciſcanis, adhuc prima Sorbonica eſt conceſſa. Sic quæſtionarii doctores & clamores Theologici ſtudii ſexennium occupavere, nihil ordinariæ vel profeſſioni vel auditioni, nihil declamationi reliqueruñt. Quid multa? ſumma laus theologici ſtudii quæſtionariorum altercatione á magiſtris noſtris definita eſt, huc incendit & ſtimulat ſanctus ignis ille ac ſtimulus priorum locorum, de quo aucupio antea dictum eſt, id unum & ſolum ſuſpicit & admiratur Theologiæ auditor, ut qui ſex annos totos de quæſtionariis acerrimé clamaverit, qui concertantes conturbarit ac perverterit, qui tenebris perſpicuum locum offuderit, qui ſcholas totas tanquam Pericles videlicet aliquis, fulgurare, tonare, permiſcere viſus ſit, is uno magiſtrorum omnium voce atque acclamatione primum locum mereatur. At excellentia Theologi primo laudis loco digni longé alio genere, longé aliis differentiis metienda & definiẽda eſt. Habet ſacer ordo magnos & prę-ſtantes Theologos, á quibus ordinis inſtauratio

&

& reformatio mirificé expetitur, verúm nequaquam magnitudinem Theologiæ, præstantiamq; quæstionariæ hujus altercationis œstro consecutos, sed cognitione linguarum, Latinæ, Græcæ, Hebraïcæ, sed perceptione liberalium & laudandarum artium, lectione veteris Testamenti Hebraïcé, novi Græcé, pervolutandis interpretibus & conciliis antiquis, recentioribus comparandis, legenda Reipub. Christianæ politia, cognoscenda Ecclesiæ totius historia, docendo, concionando, omnibus demum legitimis rationibus ac modis Theologiam exercendo. Illæ igitur, illæ sunt artes, quæ Theologum primo loco dignum efficiunt, non autem clamor de quæstionariis & altercatio. Atque ille noster sic exercitatus Theologus, metam judicio bene & synceré de vera Theologia judicantium, palmamque anté consequatur, quám quæstionarii clamatores hi é carceribus sint egressi. Quamobrem, Carole none Rex Francorum Christianissime, per Deum optimum maximum (de cujus vero cultu, veraque religione hic agitur) cõstituito professores Theologiæ regios & ordinarios, quorum alii vetus Testamentum Hebraïcé, alii novum Græcé profiteantur, quæstionarios in ultimas terras deportãdos imperato. Sed tamen ut materia scholasticæ theologiæ alienissima sit, in quæstionariis sophisticis, species tamen & forma partibus infinitis alienior est. Poterat enim Aristoteles in scholam theologicam induci, sed Aristotelicé tractari: Veruntamen pudeat Aristotelem theologicæ altercationis auditorem esse: Logicas enim differendi

leges docuit & exercuit: de quibus una eſt illa nominatim præſcripta, omnem artē cum ab uſu profecta ſit, ad uſum referendam eſſe. In uſu porró hominum bene diſſerētium τυπολογίαν eſſe putidam & odioſam, ſyllogiſmumque raro eſſe perfectum: ſed modo propoſitione, modo aſſumptione contentum eſſe, de quo ſyllogiſticis quæſtionibus vix milleſimam pleno ſyllogiſmo concludi: tamque eſſe in vitio, qui manifeſtas & per ſe intellectas ſyllogiſmi partes exprimit, quam qui obſcuras & incertas præterit. Quid ergo? Altercatores theologi, quomodo logicā hujus philoſophi obſervant? Proœmia initio ſunt ſarmatica, aut neſcio unde profecta. Sic argumentor, ſic argumētaris: deinde ſyllogiſmus integer ab actore proponitur. Integer bis atque interdum ſæpius á defenſore repetitur, tum vocabulis artis idem ſignificatur, nego majorem: concedo minorem, diſtingo conſequentiam: quo ſophiſmatis genere, neſcio an infantius vel ineptius quicquam in ſcholas unquam illatum ſit. Vereor equidem ne res quamvis quotidiana, quāvis ante oculos poſita, tamen cujuſmodi ſit, ut ſatis attendatur. Sunto igitur altercatores duo, qui ſpeciem & pompā tam bellæ altercationis exhibeant, alter baccalaureus curſor, alter baccalaureus formatus: His enim titulis Aeſerninus cum Pacidiano committitur. Sitque hac ipſa de re inter eos quæſtio hæc ipſa noſtra, utrum altercatio theologica ſophiſtica ſit: diſſeraturque illo uſus argumento, certamen formatus ſic inſtituet.

Sic argumētor doctiſſime curſor baccalaureē.

Disputatio quæ tautologiam habet, sophistica est,
Nostra disputatio tautologiam habet,
Nostra igitur disputatio sophistica est.

Tum cursor contra se comparabit, & dicet.

Sic argumentaris doctissime baccalauree formate:

Disputatio quæ tautologiam habet, sophistica est,
Nostra disputatio tautologiam habet,
Nostra igitur disputatio sophistica est.

Sic argumentaris doctissime baccalauree formate.

Disputatio quæ tautologiam habet, sophistica est,

Nego majorem,

Probo majorem, instabit formatus, & proœmium geminabit.

Sic argumentor, sic argumentor,

Nugatio est quintus finis sophisticæ, uti Aristoteles docet in elenchis.
Tautologia autem nugatio est,
Tautologia igitur est sophistica.

Tum cursor respondebit:

Sic argumentaris doctissime baccalauree formate:

Nugatio est quintus finis sophisticæ: ut Aristoteles docet in elenchis.
Tautologia autem nugatio est.
Tautologia igitur est sophistica.

Sic argumentaris doctissime baccalauree formate:

Nugatio est quintus finis sophisticæ, ut Aristoteles docet in elenchis.

Transeat major.

Sed tautologia est nugatio.

Nego minorem.

Probo minorem, dicet formatus.

Sic argumentor.

Iteratio ejusdem rei frequentior nugatio est: ut Aristoteles in Elenchis author est.

Tautologia est iteratio ejusdem rei frequentior: ut est 2. cap. 6. Topici.

Tautologia est igitur nugatio.

Tum cursor sic respondebit.

Sic argumentaris doctissime baccalauree formate.

Iteratio ejusdem rei frequentior est nugatio: ut Aristoteles in Elenchis author est.

Tautologia est iteratio ejusdem rei frequentior: ut est 2. cap. 6. Topici.

Tautologia est igitur nugatio.

Sic argumentaris doctissime baccalauree formate.

Iteratio ejusdem rei frequentior est nugatio: ut Aristoteles in Elenchus author est.

Tautologia est iteratio ejusdem rei frequentior: ut est 2. cap. 6. Topici.

Tautologia est igitur nugatio.

Sic argumentaris doctissime baccalauree formate.

Iteratio ejusdem rei frequenter nugatio est, ut Aristoteles in Elenchis author est.

Transeat major.

Sed tautologia est iteratio ejusdem rei frequentior, ut Aristoteles ait 2 cap. 6 Topici.

Esto etiam minor.

Tautologia est igitur nugatio.

Conce-

Concedo concluſionem.

Quid tum? redi ad primam majorem, ſi placet, nam volui experiri quomodo probares intentum, ſi negarem. Bene res habet, domine curſor, dicet formatus: habeo tamen interea intentum: redeo igitur, & ſic argumentor.

Sic argumentor:

Diſputatio quæ tautologiam habet, ſophiſtica eſt.
Noſtra diſputatio tautologiam habet.
Ergo noſtra diſputatio ſophiſtica eſt.

Tum curſor reductus ad initium altercationis, ita reſpondebit.

Sic argumentaris doctiſſime baccalauree formate.

Diſputatio quæ tautologiam habet, ſophiſtica eſt.
Noſtra diſputatio tautologiam habet.
Ergo diſputatio noſtra ſophiſtica eſt.

Sic argumentaris doctiſſime baccalauree formate.

Diſputatio quæ tautologiam habet, ſophiſtica eſt.

Concedo majorem, quoniam tam bene per Ariſtotelem probaſti.

Sed diſputatio noſtra tautologiam habet.

Nego minorem.

Ego verò probo minorem, & ſic argumentor, inquiet formatus.

Diſputatio quæ quater idem dicit, tautologiam habet.
Sed diſputatio noſtra quater idem dicit.
Ergo diſputatio noſtra tautologiam habet.

Tum curſor attentior erit, & ita reſpondebit.

Sic argumentaris doctiſſime baccalauree formate.

Disputatio quæ quater idem dicit, tautologiam habet.
Sed noſtra diſputatio quater idem dicit.
Ergo diſputatio noſtra tautologiam habet.

Sic argumentaris doctiſſime baccalauree formate.

Diſputatio quæ quater idem dicit, tautologiam habet.

Concedo majorem.

Sed noſtra diſputatio quater idem dicit.

Nego minorem.

Probo minorem, inquiet formatus, & ſic argumentor.

Primó ego propono totum ſyllogiſmum: deinde tu bis eundem repetis formaliter. Poſtremó quando tu nominas vocabula artis, majorem, minorem, concluſionem, tu repetis æquivalenter.

Ergo noſtra diſputatio quater idem repetit.

Tum curſor ſeipſum huc intendet, dicetque.

Sic argumentaris doctiſſime baccalauree formate.

Primó tu proponis totum ſyllogiſmum: deinde ego bis eundem repeto formaliter: poſtremó ego repeto æquivalenter, quando nomino vocabula artis, majorem, minorem, concluſionem.

Ergo noſtra diſputatio quater idem dicit.

Sic argumentaris doctiſſime baccalauree formate:

Primó tu proponis totum ſyllogiſmũ: deinde ego bis eundem repeto formaliter: poſtremó ego repeto æquivalenter, quando nomino vocabula artis, majorem, minorem, concluſionem.

Ergo diſputatio noſtra quater idem dicit.

Concedo antecedens:

Nego

Nego tamen consequentiam: quia non concludis in modo & figura. Hic formatus si vir erit, excitabitur, & syllogismum ex enthymemate faciet. Itaque dicet: Domine cursor, captus es: neque sic evades.

Sic argumentor.

Primó ego propono totum syllogismum: deinde tu bis eundem repetis formaliter: postremó quando tu nominas majorem, minorem, conclusionem, tu repetis æquivalenter.

Sed semel, bis & semel faciunt quater.

Ergo disputatio nostra quater idem dicit.

Hic baccalaureus cursor cum sese urgeri sentiet, necessario turbabit aliquid ut evadat, attamē esto modestior, & repetat, dicatque.

Sic argumentaris doctissime baccalauree formate.

Primó tu proponis totum syllogismum: deinde ego bis eundem repeto formaliter: postremó quando ego nomino majorem, minorem, conclusionem, ego repeto æquivalenter.

Sed semel, bis & semel faciunt quater.

Ergo disputatio nostra quater idem dicit.

Sic argumentaris doctissime baccalauree formate:

Primó tu proponis totum syllogismum: deinde ego bis eundem repeto formaliter: postremó quando ego nomino majorem, minorem, conclusionem, ego repeto æquivalenter.

Concedo majorem.

Sed semel, bis & semel faciunt quater.

Concedo minorem.

Ergo noſtra diſputatio quater idem dicit.

Diſtinguo concluſionem.

Primó tu proponis pro te, ſecundó ego repeto pro me, tertió pro domino præſide noſtri actus, quartó ego repeto pro auditore ignaro logices, ut intelligat artem argumẽtationis noſtræ. Quid hic dicet formatus? Quænam iſta diſtinctio eſt? licétne pro me, pro te, pro domino præſide, pro auditore ignaro logices, facere potius elenchum cõtra logicam, quàm ſoloeciſmum contra grammaticam? Attamen tranſeat hoc pro primo argumẽto: Venio ad ſecundum, & ſic argumentor.

Sic argumentor.

Explere partes ſyllogiſmi manifeſtas & per ſe intellectas, eſt ſophiſticum, ut Ariſtoteles docet 1. *Analyt.*

Sed noſtra diſputatio ſemper exigit ſyllogiſmi partes, ut tu paulo anté in aſſumptione manifeſtiſſima exegiſti.

Ergo noſtra diſputatio ſophiſtica eſt.

Sic argumentaris doctiſſime baccalauree formate, dicet curſor.

Explere partes ſyllogiſmi manifeſtas & per ſe intellectas, eſt ſophiſticum, ut Ariſtoteles docet I. *Analytic.*

Sed noſtra diſputatio ſemper exigit ſyllogiſmi partes, ut ego paulo anté in aſſumptione manifeſtiſſima exegi.

Ergo diſputatio noſtra ſophiſtica eſt.

Sic argumentaris doctiſſime baccalauree formate.

Explere partes ſyllogiſmi manifeſtas & per ſe intellectas eſt ſophiſticum, ut Ariſtoteles docet primo Analytic.

Diſtinguo majorem, pro ſapiente auditore, verum eſt: pro ſtulto & imperito, quales plerique adſunt, nego.

Sed

Sed noſtra diſputatio ſemper exigit ſyllogiſmi partes, ut ego paulo anté in aſſumptione manifeſtiſsima exegi.

Verúm domine formate, non omnes ſapientes ſumus, ut tibi dixi.

Ergo diſputatio noſtra ſophiſtica eſt.

Nego conſequentiam.

Hic formatus laceſſitus tertium argumentum tanquam corollarium ſcenæ poſtulabit, pauloque acrius movebitur.

Sic argumentor, Sic argumentor exclamabit.

Verus diſſerendi uſus in tota hominum vita non habet, Sic argumentor, Sic argumentaris, non quater idem dicit: nulli enim philoſophi, ne Stoici quidem, qui valdé ſpinoſi fuerunt, nulli mathematici, nulli oratores, nulli poëtæ, nulli deniq; extra ſcholas noſtras homines has ineptias & nugas unquam habuere.

Sed noſtra diſputatio talis eſſe debet, qualis eſt verus uſus: illius enim cauſſa inſtituta eſt.

Quare noſtra diſputatio totas iſtas ineptias & nugas habere non debet.

Reſponde ad formam, Domine curſor.

Tum curſor attonitus fortaſſe dicet: Domine formate, videmus bené unde ſit hoc argumẽtum, & ex qua officina venerit, & melius ſileretur pro reverentia magiſtrorum, ſed tamen reſpondebo.

Sic argumentaris doctiſſime baccalauree formate.

Verus diſſerendi uſus in tota hominum vita non habet, Sic argumentor, Sic argumentaris, non quater idem dicit: nulli enim philoſophi, ne Stoici quidem, qui valdé ſpinoſi fuerunt, nulli mathematici, nulli oratores, nulli poëtæ, nulli denique extra ſcholas noſtras

homines has ineptias & nugas unquam habuere.

Sed nostra disputatio talis esse debet, qualis est verus usus: illius enim caussa instituta est.

Quare nostra disputatio totas istas ineptias & nugas habere non debet.

Sic argumẽtaris doctissime baccalauree formate.

Verus differendi usus in tota hominum vita non habet, Sic argumentor, Sic argumentaris, non quater idem dicit: nulli enim philosophi, ne Stoici quidem, qui valde spinosi fuerunt, nulli mathematici, nulli oratores, nulli poëtæ, nulli denique extra scholas nostras homines has ineptias & nugas habuere.

Domine formate ista major valde audax est, & prope dicam impudens. Atque hic nimirum strepitus erit pedum, plaususque manuum, ac vix impetrabitur á corona, ut responsio audiatur. Tum cursor dicet minorem multó esse audaciorem & impudentiorem, quia post natos magistros quęstionarios, penes quos scholæ gloria tota est, nunquam consuetudo illius belli usus in schola audita fuit. Itaque laudabiles mores tot annorum, & patrum sapientia potius hic attendenda, quám tuum hoc argumentum. Strepitus hic etiã plaususque major quám antea. Denique si formatus bene animatus erit, exaudietur in illo strepitus plaususq; tonitru, mirum videri, quod mensa nobis magis Logica sit, quám schola: in mensa enim post actum potamus, epulamur, nemo tamen nostrûm dicit, Sic poto, sic potas, sic epulor, sic epularis. Epictetus ridebat hoc modo rhetoras, qui artẽ dicendi ostentabant. In convivio, ajebat, edis ac bibis: non ais, Sic edo, sic bibo: utere rhetorica

si opus

si opus est, rhetoricam ne ostentato. Ecquid si nostra hæc sophismata Epictetus audisset? quomodo nostrum, Sic argumentor, Sic argumentaris, quomodo nostram tautologiam tam nugatoriam irrideret? Sed tandem tamen formatus baccalaureus requiescet, & laudata responsione cursoris, dicet: Ego sum contentus domine cursor, bene respondisti. Atque hæc species erit & forma quæstionis quam proposueram: unde per Deum immortalẽ judicato, qui hæc legis, quam horribilis ista sophistica sit, & unde in Theologiæ scholas ingressa est. Uno verbo quæstio hæc expediri poterat, disputatio Theologiæ Parisiensis est sophistica, quia nugatorié multa repetit, quia syllogismum semper implet, quia denique usui humanitatis ac vitæ cõtraria est. At istud dum scholæ Theologicæ more agitur, quos mæandros, quos anfractus habet? Si altercatio necessaria aliquando sit (ut certé est) esto altercatio ad exemplum hominum logica præstantium, ut Philosophorum, mathematicorum, oratorum, historicorum conformata. Esto curiæ, foro, rostris, esto urbibus & agris, esto denique communi hominum sensui accommodata. Quamobrẽ tam crassa, tamque hebes sophistica de sacris scholis abigatur. Labor exercitationis hujus teneatur: Pyrrhus visis cadaveribus Romanorum, adversis vulneribus cæsorum. His militibus (exclamavit) poteram terrarum orbem vincere: Ita si quis scholasticarum in Theologicis studiis exercitationum tam intolerabiles sudores attenté considerarit, exclamet profectó, Laboribus istis omnem humanarum, divinarumque literarum cognitionem

ſcientiamque parari potuiſſe. Altercationes igitur (ſi quid opus ſint) ſunto: verúm non de ſophiſmatis quæſtionariorum, ſed de teſtamento Dei: ſed modice & pro ſua utilitate terminatæ & ad humanæ altercationis ſenſum definitæ ſunto, tam varii, tamque multiplices altercationum actus ad examen Theologici uſus expendantur. Cedant profeſſioni & auditioni veteris & novi Teſtamenti: cedant declamationibus & concionibus, unde verus Theologus informetur. Hinc theologici ordinis ſplendor & dignitas orietur: Theologicæ graves his temporibus & periculoſæ controverſiæ diſputantur, non de cæremonia aliqua leviore, ſed de totis Eccleſiæ Chriſtianæ fundamentis. At ſi regii doctores & ordinarii ſelecti, alii vetus Teſtamentum Hebraïcé, alii novum Græcé, non ſolúm diligenter & accuraté, ſed ſancté piéque profiteãtur, quænam perverſa de religione opinio ab iis, qui utrumque Teſtamentum á ſanctis illis & eximiis doctoribus intellexiſſent, poſſet exiſtere? At orbis Chriſtianæ Eccleſiæ univerſus ab iſtis profeſſoribus intelligeret. Gallia multis laudum & variis nominib⁹ felix habetur, ſed uno beneficio naturæ præcipué beata, quod clariſſimis fluviis in omnes mundi partes profluentibus eſt irrigua: Pado illo fluviorum Rege in Orientem, Rhodano in Meridiem, Sequana in Occidentem, Rheno in Septentrionem. Sed Gallia Pariſienſis Academiæ diſciplinis & artibus bene conſtitutis longé feliciſſima, longéque beatiſſima fuerit. Longé enim latiores longioreſque tractus habent iſta diſciplinarum flumina, & plures terras nationéſ-

que

que complectuntur. Ea enim Parisiensis Academiæ fama est per universam Latini nominis Europam, ut nemo satis eruditus esse videatur, nisi qui Lutetiæ didicerit: hæc Academia non urbis unius, sed universi orbis Academia est. Itaque qualis est hujus Academiæ disciplina, talis est orbis reliqui. Alexander de Villa Dei loquendi quondam magister singularis habebatur: scholasticorum nostrorum etiam quidam eó prolapsi redierant, ut negarent ullam grammaticæ rationem habendam esse. Itaque *Ego amat*, illis erat oratio condigna & congrua. Ecquis igitur miretur orbem terrarum ab Academia Parisiensi eruditum interea sermone barbarum fuisse? Nemo. Sic posteaquam Theologia Parisiensis ejecit é scholis veteris & novi Testamenti legitimam & ordinariam professionem, quæstionarios Theologiæ veluti coryphæos effecit. Ecquis miretur orbem terrarum quæstionariis Theologiæ Parisiensis imbutum, quæstionarium fuisse? At posteaquam in Grammaticas scholas inductus Latini sermonis usus é Cicerone, Terentio, Cæsare, docuit Alexandrum non Latinitatis, sed semilatinæ cujusdam rusticitatis magistrum esse: Magister ipse é scholis ejectus est, barbaries explosa, puritas sermonis & elegantia probata & laudata. Reducãtur in publicas Theologiæ scholas professores ordinarii & regii: Reducãtur soles illi duo cœlestes & divini, alter Testamẽti veteris Hebraïcé, alter novi Græcé, liberé veritas religionis & sinceritas explicetur, thesauri tandiu á Theologis vel occulti, vel ignorati, vel certé neglecti eruantur, & propalam col-

locentur, quæſtionarii é veſtigio tanti ſplendoris inſolentes difugient. Cognitio optimi maximique Dei omnibus partibus catholicæ fidei, legis, precationum, laudationumque divinarum, ſacramentorum, gentibus Chriſtianis ac nationibus omnibus diluceſcet. Quo bono nullum á Deo optimo maximo hominum generi neque majus, neque præſtantius dari poteſt: Nulla jam de barbariſmis & ſolœciſmis Alexandri controverſia ſupereſt, nulla item de quæſtionariorum ſophiſmatis contentio ſupererit. Theologia Pariſienſis depravata, religionis ſtatum depravavit, conſtituta & conformata, eãdem conſtituet & conformabit. Hic fons fluminum, hic origo & principium aquarum omnium: hinc Padus incitatus ripas tranſiliet, & Romam uſque redundabit: hinc Rhenus Germaniã magna jam ex parte irrigatam plenius irrigabit, hinc Rhodanus curſum verſus Africam indignatus, in Hiſpaniam ſociatis Garumna & Ligeri rectá profluet, Sequana vicinos Britannos, licet Oceano circunfluos, tamen aquis mitioribus alluet. Sed ſtudio atque amore Pariſienſis Academiæ lõgius progredior. Jam optatę legis proœmium ſuaſióque (ut appellat Plato) peroretur & concludatur. Hic te Carole none Francorum Rex Chriſtianiſſime, ad extremum rurſus appello, tuoque nomine conſilii regii principes & authores appello, Conſtituiſti ad poſtulationem trium regni tui ordinum, Eccleſiæ, nobilitatis, populi, ut Pariſienſis Academia reformaretur. En majeſtati tuæ ipſa ſupplex Academia ærumnas miſeriaſque ſuas lamentatur. Conqueritur infinitam profeſſorum

turbam

turbam in ſcholas Philoſophiæ, Medicinæ, Theologiæ admiſſam eſſe, diſcipuloſque magnitudine exactionum opprimi, ideoque profeſſores regios & ordinarios poſtulat, allevationem ſumptuum, & é publico publici laboris remunerationem deprecatur, oratque publicum ex ampliſſimis monachorum, canonicorū, abbatum, epiſcoporum proventibus, profeſſoribus ordinariis ſtipendium. Alexander Magnus inflammatus cupidine noſcendi naturas animalium, aliquot hominum millia per totum Aſiæ, Græciǫque tractum, maximis impēſis aluit, Ariſtotelique ob hanc hiſtoriam octingenta talenta dono dedit. At Pariſiēſis Academia, etſi te nihilo inferiorem Alexandro ſperat regem futurū attamen temporum non ignara, ærarii regii talentum alendis & colendis diſciplinis omnibus nullū petit, ſed juſtum & ſanctum, ſi quid unquam á juſtis & ſanctis regibus juſté & ſancté edictum eſt, edictum de monachis, canonicis, abbatibus, epiſcopis ad charitatis ac pietatis officium vocandis petit, ut filii parentis nomine opulenti ac fortunati, parenti ipſi parte aliqua opum & fortunarum ſuarum gratificentur. Sacerdotiorum enim facultates obtinent nomine doctrinæ (quam magiſtris acceptam ferri neceſſe eſt) non autem nobilitatis vel familiæ: Quám velint porró ſtemmatis ſuis efferantur, tamen in diplomate nominationis & creationis ſuæ nunquam aſcribent ut cauſſam pontificatus ſui: *Genus alto á ſanguine Teucri*, imo veró noſtratibus hiſce & ſcholaſticis ſordibus ſibi proſpicient & cavebunt, ſolliciteque inſcriptū curabūt. Quod frugi, Quod docti, Quod ad Eccleſię

miniſterium apti & idonei. Hanc igitur gratiam mater á liberis repetit. At ſi ſingulis monachis, canonicis, abbatibus, epiſcopis gravis ea petitio videatur, id petit denique, ut regiis omnium laudandarum artium profeſſoribus (id eſt omnium, qui in Reip. gubernatione & religionis moderatione futuri ſunt) principum & miniſtrorum magiſtris & doctoribus honor habeatur, qui gratioſo neſcio cui vel ocioſo potius & inerti Protonotario haberi ſolet. Abbatia de tam multis una condonetur. Conqueritur publicam Philoſophiæ profeſſionem deſeri, Mathematicas artes liberaliumque artium principes in liberalium tamẽ artium ſchola nullas eſſe: á Juris & religionis ſcholis, Juris civilis prudentiam & religionis ſanctimoniam excludi, profeſſionẽ Medicinæ & Theologiæ legitimam & ordinariam nullam eſſe, Philoſophos, Medicos, Theologos quæſtionariis altercationibus tantúm, Theologos etiam in ſolis quæſtionariorum ſpinis occupari: Meditationes operi Philoſophico, Medico, Theologico congruentes nullas teneri. Quare integras Philoſophiæ & Juriſprudentiæ, totaſque artes, Theologiam veteris Teſtamenti Hebraïcé, & novi Græcé, pro quæſtionariis exorat & deprecatur: Habet alumnos in omni diſciplinæ profeſſioniſque genere, ſummo ingenio, ſingulari doctrina præditos, qui ſua induſtria ac virtute in omnem audiendi, cognoſcendi, meditandi laborem excitati, é tantis rerum difficultatibus emerſerunt: ſed alumnos iſtos mortales eſſe intelligit, brevique perituros. Itaque antecedentium ſæculorum memor, de conſequentibus

anxia

anxia & ſolicita, ut iſtorum alumnorum præſtantia, quam in paucis & caducis exemplis admiratur, ſit immortalis atque perpetua, philoſophis, medicis, theologis, regias profeſſiones & ordinarias, authores probatiſſimos, exercitationes legitimas, honeſta & liberalia é publico tantúm præmia, tanquam ſtirpes & ſemina propagandis ex eodem genere ſimilibus ingeniis deprecatur. Hæc ſumma Pariſienſis Academiæ deſideria atque optata ſunt, quibus ſi te authore perfruatur, ô te regem fama præclariſſimi facti ſempiterna felicem ac fortunatum, quem vindicem, quem authorem, quem denique regem, Philoſophia, Medicina, Juriſprudentia, Theologia ſibi fuiſſe prædicabunt? Scripſit Ariſtoteles Alexandro συμβουλευτικὸν, quale Tullius Cæſari de conſtituenda Repub. ſcribere cogitavit: Scripſit Plutarchus Trajano generis hujus politicum: Scripſit Alcuinus de artibus & virtutibus Carolo Magno ſimile argumẽtum: Scripſit Claudius Seſellius Lodoïco duodecimo regi proavo tuo. Ego veró qui tibi non ſolúm Alexandri liberalitatem, Trajani bonitatem, Caroli Magni virtutem, Lodoïci duodecimi probitatem, ſed ſupra omnes humanas laudes altiſſimé eminentem veram pietatem & religionem exopto, unum bene & ex ordine tuis auſpiciis reformatæ & conſtitutæ Pariſienſis Academiæ opus exopto.

PETRI RAMI DE SUA PROFESSIONE *Oratio.*

Cum multa præclaré (auditores) á majoribus noſtris ad humanæ vitæ uſum atque dignitatem ſint inventa ac poſteritati relicta, tum nihil videtur artibus ingenuis ac liberalibus excellentius inventum eſſe ac poſteritati relictum: vita enim homini cum plantis atque arboribus communis eſt, ſenſus etiã eſt pecudum ac beſtiarum: ratio veró ipſa nullis ingenuæ doctrinæ ſtudiis exculta, ſylveſtrium ac ferorum animalium verius eſſet, quam hominum: Itaque quód perſpicué homines cum hominibus colloquuntur, quod ornaté ac ſplendidé ſenſa mẽtis exprimunt, quod acuté celeriterque provident accuratéque judicant, quod numero figuraque multitudinem rerum confuſionemque partiũtur, infinitamque inde naturæ varietatem percipiunt, quod jure ac legibus mores conformatos habent & in vita vitæ ſocietatem ſanctam inter ſe tuentur, laudandæ nobiliſque diſciplinæ beneficium eſt. Quamobrem, cum regius artium liberalium profeſſor inſtitutus eſſem, perſuaſi mihi me á rege in præſtantiſſima Reipub. parte adminiſtranda collocatum eſſe, dieſque & noctes modis omnibus vigilan-

vigilandum, providendum, enitendum putavi, ne tanto tantæq; solicitudinis & curationis oneri succumberem, Pondus grave & difficultas magna erat proposita: sed amor, quicquid fieri posset, facilé quoque persuadebat esse. Hodiernus autē dies duodecimum nostræ professionis annū terminavit: idem (quod faustum, felix fortunatumque sit) decimi tertii initium faciet, & quidem initium repetendi, quid per illos duodecim annos in regia laudandarū doctrinarū professione contenderim, & quem earum fructum biennio proximo cum Academia nostra communicare studeam. Laboris igitur nostri longiores tractus multíque temporis sudores mente præcipiens, omnium omnino viarum ducem unum imprimis usum ante oculos mihi proposui, unde postea artis cujusque & veritas & utilitas appareret. Sic enim á Platone didiceram. O Chærepho (ait) multæ artes sunt hominū experientia sagaciter inventæ: peritia siquidem efficit ut artificioſé, imperitia, ut temere nostra vita progrediatur. Quod idem nominatim in philosophia ab Aristotele discipulo repetitum celebratumque memineram, sexcentisque præterea locis observationem, experientiam, inductionem, sensum, disciplinæ cujusvis authorem & magistrum fieri. Quapropter horum philosophorum authoritate vel potius rerum ipsarum natura & veritate adductus, artium liberalium fructum in authoribus earum disciplinarum fama gloriaque præstantibus exquisivi, tantaque audiendi & proficiendi cupiditate nostrorum adolescentium animos inflammavi, ut schola regia, licet ad audiendum am-

pliſſima, plerunque tamen auditorum concurſum frequentiamque capere minime potuerit. Hic poëtæ, hiſtorici, oratores, philoſophi nobis opes ac divitias, ornamenta ac lumina ſermonis, orationis, ratiocinationis ſuæ non recondita & conſtructa uno in loco, tanquam per tranſennam prætereuntibus ſtrictim aſpicienda, ſed explicatis quibuſque generibus ac propalam collocatis contemplanda fruendaque permiſerunt, intereaque demonſtrarunt multa in authoribus quamlibet magnis vero uſui repugnantia atque contraria: unde nobis artium accuratior inſtitutio demonſtratioque, & adverſus earum doctores commentatio meditatioque liberior extitit. Etenim ab illo bene & artificioſé agendi principe uſu, Ciceronianus noſter exortus eſt, exemplo inſtituti Ciceronis, puram ſynceramque bene inſtituendæ juventutis viam indicans, multaque tritæ per gymnaſia noſtra inſtitutionis vitia in ſingulis artibus explicãs. Sed Ciceronianus ad liberalium artium amorem præco quidam communis & exhortator fuerit, præcipua laudis cuiuſque, ſuaque encomia nobis ex eodem uſus fonte redundarunt. Curriculi veró noſtri carceres ἐξωτερικῷ genere, reliquum ad metam uſque ſpacium ἀκροαματικῷ terminatum eſt ac definitum: ἐξωτερικὸν illud Grammaticam, Rhetoricam, Logicam, etiam ſi lubet, amplectatur. Grammatica igitur utriuſque linguæ, ſed Latina, quia majoris in Europa noſtra neceſſitatis eſſet, explicata eſt diligentius, non ſolúm ad authoritatem antiquorum Grammaticorum, ſed etiam ad accuratam veri uſus normam, ut partibus omnibus expleta,

pleta, uno legitimi ordinis compendio fieret longe & brevior & facilior, quám antea fuerat. Atque ut novi ædificii nova forma judicibus æquis probaretur, ſcholæ grammaticæ cauſſam cujuſcunque loci, ampliſſimé diſſeruerunt. Ergo hæc noſtra in Grammaticis contentio fuit, in qua repetenda & ſubducenda, ſi menſem unum exercuero, præcipuas partes definiendo partiendoque, ordinis methodique judicium imprimis expendendo, uſum omnium in aliqua Ciceronis epiſtola familiariter meditando & explicando, rem ſpero noſtræ juventuti gratiſſimam & utiliſſimam me facturum, viamque monſtraturum, qua Grammaticę doctores intelligant, eſſe ad bene loquendum multó majora boni ac diligentis uſus adjumenta, quam vulgo hominum exiſtimetur: eam denique in Academia Pariſienſi Grammaticam teneri cupio, quam examinandis veterum decretis, notanda præſtantium authorum elegantia, aſſidua regiæ cathedræ conſuetudine & exercitatione conſequi & potui & debui. Rhetorica deinde conſequitur, de qua prælium adverſus Ciceronem & Quintilianum certaminis gravioris & diuturnioris fuit: Etenim cum Ciceronis eloquentiam magna quadam diſcentium aviditate, multó etiam majore mea voluptate & lætitia interpretarer, perſæpe conqueſtus ſum, Rhetoricam Ciceronis artem tantúm á ſplendore magnificentiaque Ciceronianæ orationis diſſidere, ut primum ſuſpicio quædam eſſet, in illam artem commenta, é ſcholaſticis magiſtrorum dictatis tranſlata eſſe: quod poſtea cum certioribus argumentis deprehendiſ-

ſem, bipertitum illud & apodicticæ pro Rhetorica, & elencticæ adverſus Rhetoras ſtudium noſtrum enituit. Partem autem illam compendiariæ rationis ac viæ ſuſceperat Audomarus Talæus, cõmunione vigiliarum ab ineunte ætate mihi ſocius; amore, vel potius pietate frater, cujus interitu magnum detrimentum ingenuæ literæ fecerunt, & nos ad ea quæ meditamur, adjutorem authoremque ſingularem amiſimus. At Deus æterne, qui nobis laboris hujus aggrediendi mentem dediſti, idem continuandi atque abſolvendi facultatem præſtato. Ergo rhetorica illa ψυχολογία, Audomari Talæi fuit, elencticа autem noſtra, copioſius libris compluribus tractata ſunt, eoque toto genere omnes induſtriæ nervos intendimus, ut quęcunque in rhetoricis Ciceronis & Quintiliani libris documenta rhetoricis magnorum oratorum ornamentis explicandis vel imitandis apta congruaque viderentur, ea noſtris meditationibus diſtinctam ab inutilibus, & notam differentiam haberent. Duæ veró virtutes propriæ ſunt oratorum, Elocutio & Actio, neque quicquam cum reliquis ingenuis artibus communes: ſed elocutio in veterum oratorum exemplis, ſui & cognitionem & imitationem non difficilem continet, ſive troporum gemmas, ſive in verbis delicias venereſque, ſive in ſententiis motus acriores perſequare: Actio autem literis mandari non poteſt, vivos tantúm geſtus & vocis ſpiritus habet, ideoque neque cognitionem neque imitationem ſui in ſcriptis monimentis ullam perhibet: Et tamen tanto majoris eſt facultatis & eloquentiæ, quanto mirabilius fuit agentem Ciceronem

ceronem attendere, quám ſcriptas Ciceronis actiones legere: Viva illa oratio, Senatum, Judices, populum Romanum permiſcere, tonare, fulgurare quondam Romæ dicta eſt, quæ modo jacet in libris intermortua ac prope ſepulta. Quid ergo? dicet aliquis, quam nobis in utroque genere laudis, Rhetoricam polliceris? Equidem ornamenta cujuſvis elocutionis, é nobili aliqua Ciceronis oratione polliceri poſſim, actionem veró, utinam ut animo, ſic manu tenerem; ne illa quidem, quamvis perſuadendi dea, nobis perſuaſerit ut anté ſe dimitterem, quam populum Pariſienſis Academiæ ad liberales artes audiendum, amandum, amplectendum penitus excitaſſet: Et tamen ſi quid é variis poëtarum & oratorum notis & lineamentis ad tantæ virtutis effigiem definiendum animadvertere, ſi quid ab illo artium omnium magiſtro uſu perdiſcere potui, id pro mei erga vos officii fide, prolixe & impenſe præſtare cupio, ne in publico diligentiæ, ſedulitatis, induſtriæ judicio, quod in hac profeſſione ſubeundum nobis eſt, tantum cauſſæ noſtræ tamque neceſſarium inſtrumentum neglexiſſe videar. Atqui ſi duæ artes primæ, Grammatica (inquam) & Rhetorica, ſpei atque expectationi veſtræ ſatisfecerint, Logica deinceps in eandem palæſtram vocabitur, tanto curæ majoris atque operæ ſollicitudinem afferens, quanto majoribus antea vigiliis, imó periculis empta partáque eſt, ut merito Naſonis illa quondam querimonia, noſtra quoque hoc tempore querimonia videri poſſit:

Si ſaperem, doctas odiſſem jure ſorores,
Numina cultori perniciosa ſuo.
At nunc tanta meo comes eſt inſania morbo,
Saxa memor refero rurſus ad icta pedem.

Etenim Deus bone! multa vetuſtatis exempla factaque literis & hiſtoriis prodita leguntur, multa á patribus per manus accepta memorantur: nemini tamen artis ac diſciplinæ cujuſquam ſtudioſo, talem támque variis fluctibus exaſperatam dimicationem contigiſſe legitur ac memoratur: Quæ quamvis experienti dura atque acerba accidit, attamen recordanti grata eſt & jucundæ cujuſdam voluptatis plena: meque naufragum per ſyrtes & inhoſpita regna jactatum eſſe lætor, ut jactura noſtri diſcriminis, navigatio per ampliſſimum liberalium diſciplinarum oceanum, vobis in poſterum expeditior eſſet ac fructuoſior. Nulla unquam in arte componenda, tot menſes artifici cuiquam præteritos eſſe arbitror, quot annos in Logica catholicis legibus informanda, & ab hominum vagis opinionibus vindicanda, nobis conſumptos eſſe, plerique omnes meminiſtis: Hinc & Logica, & Logicæ meditationes libris compluribus, per annos viginti, editione tam varia & emendatæ & locupletatæ, & omni cenſura denique accuratiores ac meliores effectæ: In uſu porró & fructu, quod caput artis eſt, quantum contenderim, principes illi noſtri, poëtæ (inquam) hiſtorici, oratores, philoſophi per nos logico illo inſtrumento producti in regiam cathedram lucemque publicam, locupletiſſimi teſtes erunt. Atque utinam tantam logicæ dignitatem

tatem adoleſcentes diſcendi cupidi ſuſpiciant & intueantur, quantam ars ipſa ſerio profitetur, non aliás ſané divini cujuſdam luminis ſplendorem partibus omnibus illuſtriorem ſuſpicerent & intuerentur, neque tamen ubique perpetuoque ſimilem: inventio enim una eſt omni ætate prompta paratáque, & quidem juventuti promptior atque paratior: Judicium diſpoſitionis in enuntiando, communis feré ſenſus atque humanitatis proprium eſt: In concludendo autem, & é duobus per ſe manifeſtis, tertium prius obſcurum, diſceptando, ingeniis eruditis & rerum peritis magis eſt conceſſum: At in perpetua legitimi ordinis collocatione, & methodo, vix adhuc poſt homines natos homini ulli, quamvis eruditiſſimo peritiſſimoque, ac ne vix quidem omni laude cumulatum judicium contigit. Atque ut quod ſentio de Logica dicam, nihil in literis humanioribus altius aut ſublimius adhuc intelligere potui, quo velit aut poſſit cupiditate ſcientiæ inflammatus animus aſcendere. Si quid in conſtituenda Grammatica, Rhetorica, Logica etiam ipſa, ſi quid adverſus Grammaticorum, Rhetorum, Logicorum opiniones acutius vidimus, Logicæ lumen fuit: Si quid interpretandis bonorum authorum conſiliis, variæque prudentię laudibus explicandis juventuti profuimus, Logicæ lumen fuit: Si quam apud vos veſtrique generis animos liberali ingenuaque eruditione præditos, ingenii famam cõſecuti ſumus, logici luminis gratia & commendatione conſecuti ſumus. Rhetorica ornamenta ſemper illa quidem ſum admiratus: at Logicam

& in providendo ſolertiam & in judicando conſtantiam incredibili amore vel ardore potius amplexatus ſum. Quid multa? ſi chariſſimis diſcipulis diſciplina meo judicio nobiliſſima & liberaliſſima, á muſis ipſis, artium de quibus loquimur, præſidibus optanda proponeretur, Logicam mediusfidius optarem. Ergo ad tantæ artis & ſcientiam & diligentiam, temporis diuturnitate majore nobis opus eſt, vel ad id tantum, quod tam longa experientia ſolidum & utile comperi, ut dumos & ſpinas interea in ſuis dumetis ac ſpinetis relinquam: Grammaticæ enim ſanitas & integritas, Rhetoricæ color omnis ac varietas, Logicæ prudentiam in luculentis authoribus exornant & illuſtrant. Hæc omnia docenda, agenda, demonſtranda: utque artium antecedentiũ fructus multiplicatur acceſſione conſequentium, ſic magiſterii cura profeſſioniſq; provincia cumulatur. Sed iſta vetus militia multis licet antea ſtipendiis emerita, facilis tamẽ nobis erit, nullaque ætas ab iſto quamvis laborioſę exercitationis campo nos avocabit, in quo præſertim comites induſtriæ vel duces potius habemus regios linguarum profeſſores, & hujus univerſæ communis doctrinæ magiſtros. Quare agite (Aud.) ἐξωπεικοὶ iſti liberalis diſciplinæ in Grammaticis, Rhetoricis, Logicis carceres, octo feré noſtræ profeſſionis annos occupavere, quadriẽnium reliquum in ἀκροαματικῷ ſpatio aſperitates in Academia Pariſienſi ſolæ ac deſertæ; imó ante nos magnã partem in regia cathedra inauditæ vehementius exercuerunt. Mel antea nobis & ſaccarum videbatur præ tetris mathematico-

thematicorum elementorum absynthiis. Quindecim Euclidis libri sunt, quos (ut omnes omnino artes) sicut uno Logicæ organo contextos esse primúm, sic eodem postea retexi posse cogitabã: Organum autem illud una imprimis mathematũ caussa diu multumque præcultum nobis ac præparatum esse. Quare persuasione hac inductus nihil reputans quot & quantæ mathematum per se obscuritates essent, prompto atque alacri animo ad decimum usque librum penetravi, sed immensa subtilitate operis illius, licet eruditissimis P. Montaurei vigiliis explicati & illustrati, tamen sic exercitus sum (dicã enim libere in cathedra præsertim laboris illius conscia) ut quodam die cum binomii & residui cujusdam demonstrationem summa animi intentione, corpore horã integram idem vestigium premente nõdum concluisissem, senserim collo nervos obriguisse: tum veró abacum radiumque abjeci, indignatusque mathematis succensui: quod sui studiosos & amatores tam acerbe cruciarent: pudor tamen desistere vetuit, illiusque tanquam titubationis offensione vehementius irritatus & decimum librum devoravi, perque reliquam pyramidum, prismatum, cuborum, sphærarum, conorum, cylindrorum regionem ire perrexi: Quinetiam emensis elementorum scopulis, Theodosii sphærica, & Archimedis cylindrica tota perlegi: Apollonium, Serenum, Pappum meditabar, pauciisque mensibus per reliqua Geometriæ mysteria pervasissem, nisi cursus industriæ, imó veró pene vitæ nobis abruptus esset. Sed per Deum immortalẽ, sinite me (Audi-

tores) fatalem neſcio quam rerum hominumque calamitatem ætati noſtræ miſeram maximé, maximeque miſerabilem, poſteritati etiam (ut hiſtoriam fideliſſimam nanciſcatur) tamen incredibilem, ſilentio præterire, potiuſque inſtitutæ orationis argumentum poſtulate, quænam interea vigiliæ noſtræ fuerint, quid elaborarint. Acceptis igitur á Rege literis, ad Regiam Fontiſbellaquei bibliothecam profectus, mathematicas ſuperiorum temporum prælectiones ab initio plenius & uberius retractavi & conſideravi, momentaque ponderum ſingulorum diligentius examinavi, excitavique imprimis geminum illud Logicæ organum, ſolida quidem matheſi ordinanda & componenda, otioſa autem matheſeos ſubtilitate rejicienda & refellenda: Itaque de quindecim libris elementorum plerique toti in Arithmeticam paritatis, perfectionis, compoſitionis, ſymmetriæ, differentiæ, rationis, proportionis ſeceſſerunt, commoditates in omnibus humanæ vitę partibus ſingulares libris quatuor complexi, reliqui ſeptẽ & viginti geometriæ libros explevere ad omniũ figurarum latera & areas metiendum: Qui uſus tam late fuſus eſt, ut multarum artium, non unius eſſe videatur: Nam dum regit agrorum fines, Nili inundationibus obrutos, dum ſpatiorum locorumque omnium longitudines, latitudines, altitudines metitur, Geometria vulgo & Geodeſia dicta eſt: dum vicorum & oppidorum vias ædificiaque deſcribit, architectura appellatur: dum turres ambulatorias, muſculos, vineas, arietes machinatur, ὀργανικὴ, μηχανικὴ, ταυτοραποποιητικὴ nuncupatur

patur: dum instruit aciem cuneatam, quadratam, rotundam, nominata est τετλιχὴ: hæc enim compluraque alia geometricorum operum vocabula sunt, solamque Geometriæ facultatem significāt: Itaque geometricis istis laudibus clarissimi geometræ perhibentur Architas Tarentinus, bellator ipse præclarus & quinquies prælio victor: Archimedes Syracusanus adversus Romanum exercitum pro sua civitate propugnator mirificus: Eudoxus Cnidius atque innumerabiles alii, quorum artes Alexandro, Hannibali, Cæsari, cæterisque magnis ducibus alienæ gloriæ artifices fuerunt. Habet igitur magnas utilitates geometria, sed voluptates etiam partibus infinitis majores habet, quibusque simile nihil in alia ulla disciplina reperietur: neq; enim grammaticus, rhetor, logicus, alioqui etiam physicus & ethicus inventi in arte sua novi lętitia elatus, immolasse diis memoratur. Quapropter attendite insolita cæteris artibus gaudia. Thales Milesius cum trianguli in circulo inscriptionem inveniisset, bovem diis immolavit: Eadem lætitia gestiens in Perseo fuit ob helicum inventionem dæmonas propitiante: Sic Pythagorā penultimi, primo Elementorum libro, theorematis inventio affecit, ut musis pariter sacrificaret: nec veró minor Eratosthenis voluptas fuit, inventam cubi duplicationem velut anathema sacrum in deorum templo suspendentis: Tales nimirum voluptatum sirenes Archimedem devinxerant, cum ob deprehensum in aurea regis corona aurificis furtum, nudus é balneo prosiliit, rotaque urbe corporis immemor, animi memor

exclamavit Εὕρηκα, Εὕρηκα: cum describendis quarundam machinarum figuris tam attentus esset in pulvere, ut tumultum captæ urbis non senserit: quæ omnia primus meditationum mathematicarum liber latissime persequitur. Quare hi sunt geometriæ fructus, quos de solerti & ingenioso muneris hujus professore collega nostro, uberes & copiosos Academia percipit, copiosiores & uberiores perceptura, si á mẽsoribus, architectis, militibus, mechanicis cæterisque geometricis hominibus, geometriæ usus ad geometriæ scientiam accesserit. Sed hactenus apodictica mathemata libris viginti comprehensa: Elenctica veró materiam & si dissimilem superiorum, quia in mathematis falsum haud temere quicquam reperias, tamen vix credibilem attulerunt. Multa desunt in Elementis, nec supersunt pauciora: sed in syllogismo & methodo præcipua infinitæ obscuritatis caussa versatur: syllogismus enim sæpe definitiones, partitiones, postulata, complexiones etiã syllogismorũ demonstrat, raro concludit ex caussa propter quã res est, perpetuó feré per impossibile aut simile singularis exẽpli: alicubi etiã rem alienã. Methodus veró é duabus elemẽtorum artibus, Arithmetica & Geometria, Geometriã natura posteriorẽ primo & summo loco, Arithmeticam natura priorẽ medio constituit: principia generum non generatim attexit, sed accumulat initio omnia: genera ipsa numerorum & magnitudinum generumque species ὕστερον πρότερον cõtra omnem logici ordinis legem permiscet, ut unicũ veri quocunque argumento concludendi studiũ,

elemen-

elementorū magiſtris fuiſſe videatur, apodictici argumenti, logicæ methodi cura prorſus nulla, ut tertio mathematicarū meditationū libro copioſius expoſui. Quare hæc mathematica in cervorū ſolitudine ac ſylva meditatio, uno & triginta libris illuſtrare voluit mathematicæ non ſolúm veritatem perſpicuā, ſed explicatam utilitatem, ſed animi maximé propriam voluptatem, ut tam nobilem tamque liberalem artem, ſublatis illis ingeniorum crucibus, facilem & expeditam ſuo tempore percipieretis. Verúm perge, quonam deinde perventum eſt? Φυσικώτερα quæ Ariſtoteli dicūtur, numerorum & magnitudinum mathematis ſucceſſere, ad Ptolemæi aſtrologiam me contuli, divinique operis authores ab eo citatos Ariſtillum, Timocharem, Ariſtarchum, Eratoſthenem, Archimedem, Soſigenem, Agrippam, Menelaum, & imprimis illum nunquam ſatis laudatum Hipparchum, ipſum denique principem Ptolemęum, tanquam divinos homines ſuſpexi & colui, cumque poëta illo egomet mecū reputans obſtupui,

Felices animæ! quibus hæc cognoſcere primum,
Inque domos ſuperas ſcandere cura fuit.
Credibile eſt illos pariter vitiiſque jociſque
Altius humanis exeruiſſe caput:
Non Venus & vinum ſublimia pectora fregit,
Officiumve fori militiæque labor:
Nec levis ambitio perfuſaque gloria fuco,
Magnarumve fames ſollicitavit opum.
Admovere oculis diſtantia ſidera noſtris,
Aetheraque ingenio ſuppoſuere ſuo.

Attamen ex illo cœleſti divinoque opere unam

difficultatis infinitæ cauſſam libentiſſime fuſtuliſſem, multitudinem eccentricorum & epicyclorũ naturæ ipſi plané atque aperté repugnantem, ut Aſtrologia ſicut artes reliquæ omnes, primis obſervationibus & experientiis tanquam principiis & primis cauſſis uteretur, neque earum per commentitias præſertim, imó principiis ipſis contrarias hypotheſes demõſtrationem quæreret. eſſet enim Aſtrologia, ſi locũ ſideris cujuſque & motum geometricé, ſi motum & tempus arithmeticé, é nudis ac ſimplicibus experientiis metiatur, non multo difficilior mathemata tenenti, quám quævis hiſtoria: fieri autem poſſe, res ipſa facta certo argumento eſt: obſervatio enim & obſervationis calculus præceſſit hypotheſes, & tertio fere quoque ſeculo poſteaquam conſtitutæ ſunt, ſemper in his aliquid immutavit & emendavit. Atqui hanc tantæ artis facilitatem optare poſſumus, præſtare autem, niſi é fortunatis illis ac felicibus animis nulla poteſt, quales una Germania permultas adhuc aluit, alitque hoc etiamnum tẽpore, quæque ſpem noſtræ valde propinquã pollicentur ſublatis infinitarum tabularum centuriis, totoque aſtrologico opere ad geometricum radium & arithmeticum calculũ revocato: ſed per epicyclos & eccentricos, quos tamen non magis in Aſtrologia eſſe velim, quã natura in ipſis aſtris eſſe voluit. Macte igitur cœleſti virtute, cæli interpres, quicunque tantum hominũ generi munus obtuleris. Sed aſtrologica illa, uti diximus, optati & voti ſunt. Ea veró quæcunque erant adhuc fixarum ſtellarum & planetarum theorematis expoſita,

posita, artificii nostri methodo summatim collegimus, ut astrologia posset paulo & brevius & facilius percipi. Quid tum postea? quæ pars disciplinæ liberalis ordine consequitur? Pondus corporibus cælo subjectis attribuitur: Itaque de pōderum æqualitate ἰσορροπικὰ Archimedis, partis hujus causſa, sed leviter animadversa sunt, tantúm ut suo loco notata nobis & selecta esset doctrina. Optica verò, quæ propiora de physicis & μαθηματικώτερα essent, curiosius & attentius digessimus: ἁρμονικὰ tātúm ut ἰσορροπικὰ notatis præcipuis ejus doctrinæ authoribus Aristoxeno & Ptolemæo sepositimus. Atque hæc meditātem solitudo cervorum nostrorum ac sylva diutius occulere non potuit: In Italiam tum cogitavi, quo nos Bononia tam honorificé invitarat, ut me Bononiensibus perpetuó devinctū existimem: In Germaniam, nostris illis mathematum amoribus, charissimā sæpe respexi, sed viis omnibus terror mortis intentus ac pavor, rumor etiam Prælei nostri indignis modis direpti, tum bibliothecæ clarissimis quibusque rebus spoliatæ ac depopulatæ, ad regiam Vincennarum propius urbem revocarūt: quin alia vis etiam gravior accidit, ut é Vincennis per invia itinera profugiendum esset, & subinde variis in locis delitescendum: in fuga tamen & latebris otium lucemque reperi: Octodecim primos physicæ Aristoteleæ libros studiosé pervolvi, perscripsique curiose singulis in libris, quid probandum nobis & improbandum videretur. Fuit verò á mathematicis meditationibus venienti, physicarum meditationum materies non tam

difficilis & obscura, quàm multiplex & copiosa: Est enim philosophia hæc Aristotelis, maximam partem vel alienis rebus referta, logicis præsertim & geometricis, vel adversus physicos veteres elenctica: apodictico generi in cõstituenda physicæ scientia minimum loci est relictum. Sed hanc philosophiam, ut alia his etiam majora, prælectiones doctissimi collegæ mei Adr. Turnebi perpurgabunt atque illustrabunt. Hactenus perveneramus, cum pax optatissima afflictã tot ærumnis & prostratam Galliam reficere & recreare cœpit: Reliqua autem physica, fructum uberiorem pollicentur, sicut Ethica, quæ jam ante regiam professionem præculta nobis & meditata sunt, & in adversariis nostris pulverulenta, manum extremam jamdudum expectant. Sed utraque tum Physica, tum Ethica usu vitæ ac utilitatis suæ modó definita terminataque sunto, rejectisque elencticis omnibus, artes tantúm apodicticas & solidas juventuti proponunto, ut omnium liberalium artium, sicuti proposui, non solúm inventor, sed moderator, & censor usus habeatur. Quamobrem, ut peroremus, habetis (Aud.) quid annos duodecim in regia liberalium artium professione contenderim, qualemque earum institutionem in Academia Parisiensi florere optarim: ut verò summa gloria floreat, Deus Opt. Max. inchoatam pacem stabiliat & confirmet,

—Satis jampridem sanguine nostro,
Laomedonteæ luimus perjuria Trojæ:
Quippe ubi fas versum atque nefas, tot bella per orbem,

Tam

Tam multæ ſcelerum facies.—
Neque enim ſolum
Hinc movet Oceanus, illinc Germania bellum:
Verum etiam,
Vicinæ ruptis inter ſe legibus urbes
Arma ferunt, ſævit toto Mars impius orbe.

Deum igitur Optim. Maxim. iterum iterumque oro & obſecro, ut tam exitiabili funeſtoque bello penitus extincto, Galliæ ſuæ pacem, paciſque alumnis liberalibus artibus ſempiternam largiatur, earumque amore quotidie magis ac magis incendat Carolum Regem, quem chriſtianiſſimo regno egregia indole naturaque præſtantem dedit, Carolique Regis fratrem Alexandrum virtutis amore germaniſſimum, deinde reliquos regi proximos principes, tum, ut magiſtratibus hujus ampliſſimæ civitatis ac rectoribus, deſiderium hoc & ſi per ſe magnum, tamen vehementius augeat. Reliqua cohortatio in nobis eſt: mihi veró ita reliquam in poſterum vitam felicem jucundamque deprecor, ut promiſſi hodierna ſponſione muneris fidem integerrime liberare aveo. Vos igitur pro veſtra parte mecum diligentia, amore, alacritate, perſeverantia denique contendite: ut liberales artes pari liberalitate & nos docuiſſe, & vos didiciſſe, ſit utriſque noſtrum aliquando memoria non ſolúm fructuoſa, ſed honorifica memorabile ac prædicandum.

PETRI RAMI ACTIONES DUÆ, HABITÆ IN SENATU, *pro regia mathematicæ professionis cathedra.*

CHRISTOPHORO TUTHÆO, summo Paris. Senatus Præsidi, Petrus Ramus S.

CUM *ad 5. Id. Mart. quæstio mathematicæ professionis ex nuda rerum veritate coram paucis Senatoribus proposita á nobis esset, & contrá verbosissimé esset responsum: 3. Id. quó rejecti eramus, postulavi abs te, ut publica caussa publicé ageretur, apertisque Curiæ foribus, populus Romanus hæc exaudiret. Id exemplo novo, imó singulari in liberales artes studio, cúm nobis concesseris, præclari facti laudem æterna posteritatis memoria dignam judicavi. Multa in te sunt plerisque civibus admirabilia, Præside patre natum esse: magnis opibus non solúm patrimonio relictis, sed industria auctis & amplificatis abundare: oratorem, cúm te cursus ingenii tui in agendis caussis exercuit, clarissimum fuisse: nunc Senatus amplissimi autho-*

authoritate principem esse: At mihi mirabilius est, te singulari quodam animi vigore præstantem, juris-dicundi assiduitate ac diligentia longissimé præstare: Primus mane, primus á meridie Senatum ingrederis: controversiasque plurimas frequenter anté composuisti, quám plerique é cubiculo vel triclinio exierint. Hæc una é Ciceronis virtutibus eximia fuit: Neminem (ait ipse de se) á congressione, neque janitor meus, neque somnus absterruit: nihil per cubicularium: ante lucem inambulabam domi. Ergo Ciceronianæ hujus gloriæ fructum aliquem etiam á mathematicis Musis accipies, si æquitate tua professorem suum recuperarint. Sed, ut spes est é Proœmio reformandæ Parisiensis Academiæ concepta, multó jucundissimum atque uberrimum fructum ab omnibus omnium disciplinarum Musis accipies, cúm suis facultatibus ac studiis doctores institueris, qui tantæ Academiæ nomini ac dignitati respondeant.

PETRI RAMI ACTIO PRIMA,

PRO REGIA MATHEMATICÆ PROFESSIONIS *cathedra, habita in Senatu 5. Id. Mart. anno* 1566.

MAGNAM animo lætitiâ capio. P. C. quód in ampliſſimo orbis terrarũ Senatu, ampliſſimæ quoque in orbe terrarum Academiæ cauſſam diſceptari videam. Multa per annos feré quadraginta in Academia Pariſ. vidi, multa audivi: nihil tamen hujus facti ſimile videre me vel audire commemini. Homo qui in græcis & mathematicis literis nihil unquam didicit, audet tamen græcam & mathematicam profeſſionem poſtulare. Adeſdum Græce & Mathematicę noſter, P. Ramus ait te ἀνάγραφον & ἀγεωμέτρητον eſſe, idque teſtimonio tuo in libello tuo omnibus contumeliis referto confirmat: ubi cúm tibi ab Arnaldo Oſſato græcarum literarum & mathematum ignorantia objiceretur, hoc modo reſpondes: Sum ἀνάγραφος, ἀγεωμέτρητος, agnoſco hoc quoque. Quód ſi rhetoricé dictum id ais eſſe, profero græcum Euclidem, in Dampeſtra anteceſſore tuo vindicem regię cathedræ: qui hîc palám clamat, te non ſolúm græcæ literaturæ imperitum, ſed mathematicæ prorſus igna-

ignarum esse. En igitur in medio Euclides: res hîc Pythagorea & mathematica agitur: Rhetorica vel Demosthenis, vel Ciceronis hîc nihil opus est: radio & pulvere res est demonstranda, si potes hîc vel unam propositionem legere & explicare, tuus sum futurus. Quamobrem P.C. peto á vobis, ut vestrum S. C. ut Regis mandatum, id est, Academiæ statum confirmetis.

PETRI RAMI ACTIO SECUNDA,

PRO REGIA MATHEMATICÆ PROFESSIONIS *cathedra, habita in Senatu 3. Id Mart. anno* 1566.

QUOD á Deo Opt. Max. in suscipiẽdis rebus & obeundis deprecandũ & obsecrandum est, P. C. id in primis hoc tempore deprecor & obsecro, ut lumina menti meæ præferat ad ea dicendum, quæ causſæ, quæque auribus vestris consentanea videantur. Deinde á vobis peto, ut si in hac contentione homini é scholasticis umbraculis in tam splendidam, tam illustris Senatus lucem prodeunti, deque scholasticis rebus differenti, verbum aliquod alienũ, atque in tanto conseſſu insolens exciderit, veniam pro vestra

æquitate & ſapientia tribuatis. Meminiſtis quid nudiuſtertius á nobis propoſitũ ſit, & quid contrá reſponſum. Morte Paſchaſii Hamelii, alter é duobus regiis diſciplinæ mathematicæ profeſſoribus deſideratur: Hamelio, Dampeſtra Coſellus Siculus ſucceſſerat: ſed excitatus á nobis pro tribunali regiorum patronorum, cúm palám demonſtraſſet, quám ea profeſſione indignus eſſet, S. C. factum eſt, ut homo examinaretur. Homo itaque Siculus, examen tanquam in freto Siculo Charybdin aut Scyllam refugiens, ſucceſſorem ſibi quæſivit, mathematica quidem longé inferiorem, ſed audacia & factione ſuperiorem: qui quamvis αὐθαίρετος & ἀγωμέτρητος ſua ipſius confeſſione palám teneatur: tamen audet etiam aperté in regiam mathematicæ, imó etiam philoſophiæ, quanvis nulla vacua ſit, profeſſionis cathedram invadere, & examen recuſare. Quapropter ut quæſtio clariús & intelligentiús explicetur, dicam de mathematicis artibus primúm, ut inde mathematicus profeſſor nobis definiatur: tum ad Dampeſtræ ſucceſſorem veniam. Matheſis igitur græcum verbum, diſciplina Latinis appellatur: nomenque artium omnium commune, generis unius in Arithmetica, Geometria, Aſtrologia, Muſica, proprium certo quodam laudis privilegio factum eſt: non ſolúm quia præ cæteris artibus ingenüis, doctoris lumen requirerent, ſed quia antiquiſſimæ diutiſſimæque ſolæ artes hominum ad humanæ vitæ proprium cultum uſumque fuerint. Etenim P. C. veterum patriarcharum Adami, Noëi contemplationes illæ, ut

Joſe-

Josephus in antiquitate judaïca author est, primó fuerunt, cúm vita illis esset & longissima, & ab omni avaritia atque ambitione remotissima. Itaque ut idem author affirmat, cúm mathematicis observationibus futuram inundationem prævidissent, qua peritura in terris essent omnia, soliciti de tanto ingeniorum patrimonio ad posteritatem traducendo & propagando, inscripserunt mathemata duabus ingentibus columnis, quarum altera ad Vespasiani usque imperium superfuit. Assyria igitur prima disciplinarum mathematicarum schola, sanctos illos & divinos professores ac magistros habuit. Abraham deinde (ut Eusebius scriptum reliquit) post diluvium, cúm in Ægyptum venisset, Ægyptios sacerdotes mathematicam scientiam docuit. hic secundus mathematum ludus, hæc schola altera fuit, Pharaonibus tam chara jucundaque, ut publicus ager in stipendium mathematicæ professionis sacerdotibus assignaretur, id Moses, id Aristoteles testati sunt. Tum veró in Græciam Thales & Pythagoras ex Ægypto mathematicas artes mare traduxerunt, primiq; Græcos ad ea studia incenderunt. Sed Platonis ante omnia in Italiam Ægyptumque navigatio, mathematicas artes excitavit & illustravit: Etenim cúm pestilentia Delum vastaret, consultusque Apollo, duplicandum altaris sui cubum respondisset, neque cubis duobus in unum compositis, lues cessaret: quæsitus est Delii de duplicádo cubo problematis interpres. Plato universæ Græciæ judicio vates hic fuit, lętusque oraculo, Græcos respondit ab Apolline coargui,

quód Geometriam ignorarent: Eſt enim in ſolidis ſummum problema de duplicando cubo : ut in planis, de quadrando circulo. Itaque Platonis epiſtolæ ex hoc argumento volare non in Italiam ſolúm & Ægyptum, ſed in univerſam Græciam, ad omnes mortales mathematicis ſtudiis inflammandum. Tertius igitur mathematicæ profeſſionis ludus in Græcia Italiaque fuit, Academiaque Platonis mathematicas artes, ſi quid Eudemo ac Proclo credimus, perfecit atque abſolvit. Verumenimveró mathematica in Aſſyria, Ægypto, Græcia, Italia honore iſto culta ſit: patriarchas Hebræos, ſacerdotes Ægyptios, philoſophos Græcos magiſtros, Apollinem denique tãquam profeſſorem habuerit: utilitas fortaſſe potiús, quám quælibet ingenii nobilitas requiretur : agedum, ex infinito flumine rivulum aliquem derivemus, deque Arithmetica & Geometria, quibus verior puriorque matheſis continetur, paucula de plurimis commodis proferamus. Mathemata valent ad contemplandum & omnia intelligendum : oculos ideo mentis Plato nominavit: quibus multó plura, quám decem millibus oculorum, perſpiciantur. Sine his oculis in Platonis ipſius, in Ariſtotelis philoſophia interpres nihilo plus viſurus ſit, quám in ſpelunca Polyphemus ab Ulyſſe occæcatus. Verúm, ne ſemper Academiam meditemur, agite, egredior é ſchola: ampliſſimam populi Pariſienſis Lutetiam, mathematicarum utilitatum teſtem proferamus : ingrediamur in urbem via Dionyſiaca : via eſt urbis illa regalis, ditiſſimis mercatoribus frequentiſſima: hoc hominum genus non modó cum provinciis

ampliſſimi

ampliſſimi regni omnibus, ſed cum mercatoribus Italis, Hiſpanis, Germanis, Flandris, Britannis, quotidiana commercia exercet, varietate magna prorſus & diſſimilitudine numiſmatum, ponderum, menſurarum. Interroga igitur quánam arte freti, difficultates iſtas explicent: reperies Arithmeticæ primas & ſummas ſubtilitates in commutationibus & comparationibus illis adhiberi & exerceri, mercaturamque Arithmeticam totam eſſe: quo in genere, Trapezitarum nummatio gazaque penitus occupatur. Progredere veró á regali illa via Palatium verſus: occurret pons aurificum, non tam tignis & trabibus ſolidus, quám auri atque argenti pondere gravis. Interroga alterũ hoc hominum divitum genus, qua ſcientia aurum cum argento, utrumque cum ære metallove alio miſceat ac temperet, aut jam miſtum & temperatum exploret ac ſeparet: Archimedis diſcipulos in coronis aureis eſſe dices: ſic alligationis proportio ab illis ſubtiliter & acuté tractatur. Jam propiús in ipſam Palatii arcem aſcendito, & honoratum illud fortunatumque regiarum rationum collegium conſiderato, Curiæque abacos & calculos introſpicito. nil niſi Arithmeticam quandam in toto illo ſplendore, nil niſi Arithmeticos magiſtros recognoſces. Verúm ſi in Regis ærarium penitus introieris, in eoque diviſores, quæſtores, judices attenté animadverteris, in conſtituendis per provincias æqua ratione vectigalibus, in colligẽdis & comparandis, in æſtimandis generibus rationum omnium & dijudicandis, mirabere Arithmeticæ artificio tantas utilitates & commoditates in ho-

minum vita comprehendi. quid vis amplius? Ingredere in hoc inauratum ſupremæ Curiæ templum, regali quadam majeſtate ſuſpiciendum & admirandum: quid in iſto ſolio judex ſine proportione modó arithmetica numeri, modó geometrica dignitatis efficiet? hoc enim examine lanx utraque juſtitiæ in æquamento & libramento partiũ, tanquam radiorum æqualium, & æquitate juris æquiponderantium conquieſcit. Quid in controverſiis herciſcundæ familiæ, dirimendi lucri, damni, conſimiliúmque litium, ubi partes ſæpe toto dividuo ſunt majores: quid (inquam) in hiſce judiciis judex, ſine aurea compoſitæ proportionis regula judicet? ſi exactam verborum ſcripturam potiús, quám ſententiæ analogiam ſequatur, quam é ſummo quod putabit jure, ſummam injuriam faciet? Ergo in ſummo civitatis gradu, Arithmetica velut Aſtræa, erit non modó extremi juris magiſtra, ſed æqui bonique arbitra. Quamobrem ſi utilitas tot tantiſque opibus æſtimanda eſt, quot & quantas Arithmeticæ utilitates æſtimabimus? Adeſdum, Geometriæ utilitas jam requiratur: hæc enim matheſis præcipué inutilitatis crimine appetitur: Agedum, & Geometriæ uſum vindicemus. Geometria, dicet Ariſtoteles, motus & quietis in tota rerum natura inſtrumentum continet: Omnia quieſcunt rectis angulis, moventur obtuſis vel acutis: rotunda ad motum volubilitate prõptiſſima ſunt: ad ſecandum autem acuta: quadrata ad quietem & ſtatum ſolidiora. Itaque idem ille ingenii & doctrinæ magiſter Plato, non ſine magna inſignique cauſſa ſcriptum reliquit, τὸν θεὸν μάλιστα

παν-

παντων γεωμετρειν. sed illa naturæ divinioris geometria fuit: noſtra hæc humana ars, ſpatia longitudinum, latitudinum, altitudinum, in terris primúm dimenſa eſt: deinde relictis terris, aſcendit in cœlum, corporumque cæleſtium terminos Orientis, Occidentis, Meridiei, Septẽtrionis, punctis terminavit: ſtellis ſingulis domicilia definivit, indeque rurſus in terras converſa, Europam, Africam, Aſiã, Americam, omniaque imperia, regna, oppida, montes, flumina, circulis tum parallelis, tum concurrentibus meridianis deſignavit. Sed Lutetiam redeamus, & propoſitum exemplum ſequamur. Dixi antea mathemata duo, duos humanæ mentis oculos eſſe: dico Geometriam, hominis utranque manum eſſe. Circunſpice igitur in hac urbe urbiũ maxima celeberrimaque, templa ſacerdotum, palatia regum, privatas ædes ſingulorum civium: & quære, quibus tandem manibus iſta omnia conſtructa ſint: geometricis invenies: Architectura enim nil niſi in lapidibus & lignis Geometria eſt. Excute pictores, ſtatuarios, atque uno nomine, mechanici generis opifices omnes: nil niſi geometras invenies, & mechanicam, doctore Ariſtotele, Geometriæ praxin eſſe deprehendes. Sed pacis ornamenta hæc ſunto: belli ſubſidia nullane geometricis hiſce manibus comparantur? Imo veró converte oculos ad armamentarium illud regium, ad ripam introeuntis Sequanæ collocatum: omnes illos Vulcani Brontes Steropeſque & Pyracmonas, Geometrię miniſtros invenies. Imo veró Geometria caſtrametatur, ordines inſtruit, prælíatur, victoriis ſuis Reges & Imperatores conſtituit.

Quapropter Arithmeticæ utilitates magnæ illæ quidem ſunt, ſed Geometriæ utilitatibus nihilo majores. Prætereo commoditates Aſtrologiæ innumerabiles, cúm in omni natura, omnium rerum ſemina inde oriantur. Non commemoro Muſicæ fructum pluribus, cúm Homerus ille philoſophorum Plato dixerit, mutatis muſicis concentibus, civitates quoque & Reſp. commutari. Quamobrem P. C. intelligitis quanta de re, quâque antiqua & inſigni, quám commoda & utili hoc tempore contendimus, ut inde mathematici profeſſoris ideam ac ſpeciem metiamur, definiamus animo doctorem tantæ doctrinæ, Latinis, ſed Græcis præcipué literis eruditum, verſatum in Euclide, Archimede, Theodoſio, Apollonio, Pappó, Ptolemæo, Ariſtoxeno: uſu aſſiduo & longo confirmatum: qui non ſolúm ex eorum fontibus mathematicam haurire, ſed emendare, corrigere, meliorem denique facere commodiorémque poſſit: Etenim nulla ſeges tam fertilis ac fœcunda unquâ fuit, quin vitioſas herbas quibuſdâ locis haberet. Una veterum omnium ſapientum ſapientia fuit, é mundi quinque partibus tres inhabitabiles eſſe, duas extremas frigore eſſe rigidas, mediam æſtu torridam. At mercatorum & nautarum literas ignorantium experientia, ſapientiam illam refutavit. Cui errori, ſexcenti in qualibet doctrina ſimiles ſunt. Enimveró vetus illa veraque philoſophia fuit, nihil temere cuiquam quantumlibet excellenti philoſopho credere, nihil aſſentiri. ſed hominum vitæ magis apta, magiſque congrua quærere: Et illa per annos quinque & viginti contentio no-

ſtra adhuc eſt, inſtitutionem liberalium artiũ uſu, uſu(inquam) metiendam,corrigendam,ſtabiliendam eſſe:vanoſque latratus imperitorum hominũ contra eſſe, clamantium á nobis antiqua omnia alienari, nova confingi: hunc ſiquidem in philoſophando modum Socrates, Plato, Ariſtoteles tenuere.Novi interpretes neſcio qui,non ipſi vel judicio, vel uſu ullo philoſophi, ſed philoſophicæ cujuſpiam ſectæ ſervi, magnam ſibi philoſophiæ laudem propoſuerunt, ſi modó vix milleſimam partem intelligerent eorum, quæ ab uno aliquo philoſopho eſſent relicta. Hæc veró philoſophia, vel ignavia potiús & inertia nova eſt, imó veró etiam barbaria inſignis, cui vel literarum accurata pronunciatio barbara videtur. Quapropter mathematicus profeſſor, præſertim regius, literas Latinas & Græcas, Rhetoricam, Logicam, non inanem & ſophiſticam, ſed ſolidam & pòpulari uſui congruentem præcipué didicerit & exercuerit:tum in hoc noſtro pulvere mathematico ita præſtet atque excellat mathematicarum rerum cognitione,experientia, uſu, aſſiduitate, ut Euclidem,Archimedem,Ptolemæum, & reliquos illos mathematicæ ſcientiæ principes heroaſque, non interpretari ſolúm, ſed corrigere & emendare per ſe, arteſque ipſas ordine commodiore tradere & inſtituere poſſit: Hunc enim profeſſorem Academiæ tantæ dignitas, eruditiſſimi ſeculi nobilitas, Regis pręſtantiſſimi majeſtas in primis requirunt. Hactenus P. C. profeſſor mathematicus adumbratus nobis eſto: ad Dampeſtræ ſucceſſorem venio,& conſiderare incipio, quibus tandem vecti-

bus,& machinis,& quarum virtutum inſtrumentis tantum pondus onuſque ſuſtinere poſſit. Sic enim primum ſtatuo, Dampeſtram præ Dampeſtræ ſucceſſore in mathematicis rebus Archimedem quendam eſſe: ut ſi anteceſſor veſtro judicio juſtè ſit ad examen appellatus: ſucceſſor, quamvis modis omnibus recuſans ac reſiſtens, tamen multó juſtiús appellari debeat. Agedum mathematice, attende quid contra te pro regio collegio dicam: Dico & affirmo, te regia & philoſophiæ & mathematicæ cathedra indigniſſimum eſſe: & ſi digniſſimus eſſes, tamen publicum tibi examen eſſe ſubeundum. Etenim ut de primo primúm dicam, peto á vobis, P. C. ut recordemini, quid profeſſor noſter reſponderit, cúm ἀνάγραφον ἀγεωμέτρητον eũ eſſe affirmarem, Euclidemque Græcum, ad ejus affirmationis fidem, proferrem: Teſtes igitur eſtis, ut Ariſtotelem Latinum poſtularit, coactuſque ſit confiteri, ſe in mathematicis adhuc verſatum non eſſe: ſed pro dexteritate ingenii, trimeſtri ſtudio ſe mathematicæ profeſſioni ſatisfacturũ: imó etiã addidit, ſe mathematicos omnes ſuperaturum. Habemus igitur, quod impenſiús nobis agendum ac demonſtrandum fuiſſet, confitentem candidatum de græcæ literaturæ, deque mathematicæ ſcientiæ ignorantia. Ac ne mira cuiquam iſta ſit tam contraria in hac quæſtione confeſſio, ſic exiſtimate, P. C. homini jactationem in iſta ignorantia etiam popularem videri: tanquam ſtudia rerum minimé neceſſariarum, ſingulari aliquo judicio deſpexerit. Quare maneat in cauſſa, philoſophicæ & mathematicæ profeſſionis candidatum, ipſius clariſſima

confeſſione

confessione & voce, nominatim mathematum ipsorum & græcarum literarum imperitum & ignarum esse: unde concludo, non solúm á mathematica,, sed etiam á philosophica professione procul amandandum esse. Etenim definitionis illius platonicæ & Aristoteleæ lumina repetantur: mathemata, oculos animi esse, sine quibus in philosophia nemo plus videat, quám occæcatus ille Polyphemus in spelunca. Itaque tantum abest, ut hunc nostrum Plato doctorem Academiæ præfecturus sit, ut ne auditorem quidem sit admissurus: Scitum enim illud, Οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω, Nemo geometriæ ignarus huc ingrediatur. Aristoteles veró non solúm mathematicis exemplis philosophiam totam referst, sed mathematicis fundamentis præcipuas philosophiæ suæ partes stabilivit: ut hic philosophus intelligi nullo modo possit, nisi ab eo, qui in omnibus mathematicæ scientiæ partibus versatus sit. De græcis autem literis plura hîc non disputo, cúm omnes sciant, philosophiam nullam esse admodum nisi græcam, neque eam ab ignaro græcæ linguæ magistro pro dignitate tractari atque explicari posse. Quæ cúm ita sint P.C. concludo, Dampestræ successorem philosophica & mathematica professione indignissimum esse. At pro dexteritate ingenii tui, tribus mensibus tantum in mathematicis progressum facies, ut mathematicos omnes longissimé superes? Quid audio? Homo humanitatis expers, nihilne te commovet vox illa Baptistæ Menilii oratoris Regii? hujus enim singularis eloquentia cum pari prudẽtiæ laude conjuncta, cúm in cæteris actionibus

publicis,tum in duabus Academiæ cauſſis, Jeſuitana nuper illa,& hac modó mathematica,præcipué enituit, beneficioque ſempiterno univerſam Academiam ſibi devinxit atque obligavit. Nihil ne te (inquam) vox illa commovet? Etiámne Tullianum illud contra te á tanto oratore joco uſurpatum, ſerió tamen uſurpabis? triduo mathematici juris conſultus fies? Cavete vobis P.C. ſi quis Senator deceſſerit, homo quamvis legum omnium prorſus ignarus, Senatoris tamen locum iſta dexteritate ingenii ſibi arrogabit: ſeque trimeſtri ludo,jura,leges, formulaſque veſtras omnes percepturum jactabit. O confidentiam incredibilem! ô temeritatem præcipitem atque audacem! At per duos & viginti annos, per quos Protagoram & Thraſimachũ potiús, quám Platonem & Ariſtotelem imitandum tibi propoſuiſti, dexteritas tanti ingenii conſequi non potuit, ut in ampliſſimo Græcarum literarum mathematicarumque omnium mercatu, græcé quicquam aut mathematicé comparares. Facite (inquit) trimeſtre periculum: tum ejicite ſi diſpliceam. At Deum immortalem, cujuſnam Protagoræ vocem audio? *Qui ſcis ergo iſtuc*, ait Terentianus ille Simo, *niſi periculum feceris?* huic reſpondet paulo conſideratior Chremes: *At iſtuc periculum in filia fieri grave eſt.* Ita tibi amore iſto regiæ profeſſionis inſanienti reſpõdeo, iſtud dexteritatis tuæ periculum valdé inſolens, valdeque Academiæ periculoſum eſſe. Ergo tu diſpendio juventutis,infamia Gallici nominis, dedecore Chriſtianiſſimi Regis, mathematicas artes in cathedra ipſa primúm diſcere incipies? Tu vix in re-

gio collegio, postremi ordinis in literarum græcarum grammatica, auditor idoneus sis: & tamen principem ordinem ducendum postulabis? Tu vix dum duorum scalmorum naviculam in portu regeres: in Euxino ponto Argonautarum navim gubernandam suscipies? O hominem nimiúm ingenii dexteritati confidentem! At nequaquam Regii professores rudem mathematicæ discipulũ, sed confirmatum doctorem postulant. Neque veró candidate noster, apud Cardinalem dexteritas tua, opinor, ita per tuos testes ac laudatores celebrata est. Quare P. C. revocate discipulum istum, & in infima mathematicæ scholæ subsellia amandate: neque tres menses, sed tres annos, imó totum quinquennium, é mathematicis Pythagoræ legibus, ad mathemata perdiscendum præscribite: si tamen possit ullum quinquennium satisfacere. Quamobrem cúm mathematicarum scientiarum, & græcarum literarum ignorantiam jactes, jactato quantum voles, istam ingenii dexteritatem: nunquam ingenio cuiquam dextero persuadebis, te regiam philosophiæ & mathematicæ professionem tueri posse. Hæc P. C. nostra sunt contra candidatum nostrum argumenta, quibus indignum regia cathedra esse convincimus. Jam, si placet, quæ ipse pro seipso attulerit, considerabimus. Recita igitur, philosophe idem & mathematice, recita nobis, quæ nudiustertius ausus es, audiente Senatu, dicere: quamobrem te duplici professione, philosophiæ altera, altera mathematicæ dignum crederemus. Hæc partim é tuis laudibus, partim é contumeliis in nos effusis tibi de-

prompta esse video: Tuas igitur laudes á te ipso primúm, & ex tuo ore audiamus. tametsi gymnicorum ludorum præcones (ut ait Tullius) multó verecundiores esse solent, qui cúm cæteris coronas imposuerunt victoribus, eorúmque nomina, magna voce pronuntiarunt, cúm ipsi ante ludorum missionem corona donentur, alium præconem adhibent, ne sua voce ipsi se victores prædicent. Quapropter tuarum laudum laus ista primúm fuerit: Verúm perge, recita, laudum tuarum præco, primo loco primam. Dampestra Cosellus Siculus, facto professionis mathematicæ naufragio, in doctrinæ & eruditionis tuæ portum, singulari quodam vento, delatus est: tibique (ut ais) cathedra mathematica cessit. Hîc non inquiro, P. C. severiús, quanti mercator Siculus reliquam é tempestate tabulam homini Gallo ante illum diem ignoto, Siculæ præsertim linguæ ignaro, mathematicas etiam merces ignoranti: non quæro (inquam) quanti tabulam istam addixerit. tantúm dico, exemplum novum & ante hunc diem in collegio regio inauditum, cessione regios professores fieri. Multó veró insolentius, ut qui cederet, veredariis & dispositis equis, tanquam Pegasis, Lutetia Bojos usque, quadringenta pené millia, magno labore, magna pecuniæ temporisque jactura, volarit & revolarit: ut homini ignoto, mathematum ignaro, regium mathematicæ professionis stipendium gratis donaret. Sed tamen ista cessio, monstri quidnam alit? Dampestra philosophiam nunquam professus est, Dampestræ successor mathematicam scholam nunquam ingressus est:

sus est: & tamen ille cedit philosophiæ: hic succedit mathematicæ. Etenim P. C. ingenium candidati nostri diligenter hîc attendite. Philosophica professio vacua nulla est: mathematica cathedra sola professorem desiderat. candidatus noster æstuabat immodico regiæ professionis desiderio: in mathematicis nihil didicerat: neque mathematico nomine mathematicam professionem tueri poterat: Itaque cum mercatore illo Siculo, de nescio qua philosophiæ & mathematicæ permiscenda purpura pactum videlicet intervenit, ut philosophiæ colore, mathematica induceretur: atque hac pactione, clarissima lux Academiæ extingueretur. At moneo, & contenta voce, quod jam monui, iterumque iterumque monebo, in regio collegio philosophiæ cathedram nullam vacuam esse, sed mathematicam solúm. At (inquis) Regis liberalitas restringenda nobis nequaquam est, quin possit & veteres professiones abolere, & novas instituere. Enimveró regiæ voluntatis interpres, quid ais? quis dubitat de summa Regis & potestate & magnificentia? Equidem valdé spero brevi futurum, ut ejus immortali gloria professiones non solúm á majoribus ipsius institutæ retineantur & ornentur, sed reliquarum etiam disciplinarum novæ constituantur: tota denique Academia Regiæ majestatis beneficentia omnibus partibus splendescat. Verúm Rex ipse voluntatem suam rescripto suo testatam & consignatam tibi tradidit? cúm nominatim Dampestræ cessionem eo ipso incluserit. Quare cúm jus ambitionis tuæ ex ista cessione nascatur, eaque nomine

philoſophiæ falſa ſit, neque potuerit Dampeſtra cedere quod non habuerit: quid aliud ceſſione iſta arguitur, quám Regi Chriſtianiſſimo fraudē per te factā eſſe? neque te Regis volūtate, ſed dolo tuo malo, philoſophiæ profeſſorem nominatum eſſe? Hoc igitur meditare, vel menſem ſi voles integrum, ut poſtea glorioſé mentiri poſſis, te ex tempore ineptias iſtas reſpondiſſe: hoc (inquam) meditare, ut probes regia voluntate mathematicám profeſſionem extingui, ut ſophiſticæ magiſter conſtituare. Quapropter P. C. conſiderate notas ceſſionis Dampeſtrinæ, & quod inde argumentum ſit, ut mathematicus noſter vobis perſuadeat, ſe philoſophicam & mathematicam profeſſionem meruiſſe. Sed quid eſt, quod hic tam philoſophus, quám mathematicus, cupiditatis explendæ cauſſâ non comminiſcatur? P. Ramus factus eſt profeſſor in locum Calignii profeſſoris Hebræi. Falſum (inquam) & impudens commentum eſt: Nam cúm P. Ramus contenderet artium liberalium veritatem cum uſu & utilitate conjungendam eſſe, imó definiendam metiendamque: profeſſor ordinarius delectus eſt: hujus enim profeſſionis gratiâ profeſſor á Lotharingo Cardinale Henrico Regi nominatus eſt. Valdéque adhuc omnibus modis contendit in omnium artium ingenuarum cognitione & uſu, ut utrumque præſtaret. Atque iſta quidē profeſſio noſtra nova quidem illa fuit, ſed voluntate judicioque Regis inſtituta, & Regiis literis ampliſſimé & clariſſimé teſtata, ne impudentia mathematici noſtri fraudem ſuam hoc bello tectorio tectam

eſſe

esse arbitretur. Sed Dampestrinam cessionem missam facio, ad laudes alias venio. Fuit candidatus noster, Procurator nationis Picardicæ, Rector Academiæ, primus in Licentiatu doctor Medicinæ. Verúm (inquam) ista Dampestrinæ cessioni congruunt, & argumenta sunt dispendii cujusdam comitialis, non regia cathedra digni candidati. quanti enim merces istæ in Academiæ nundinis væneant, nundinatores ipsi reputanto. Quare successor es Dampestræ, Procurator, Rector, primus doctor: singula hæc sunto. Ergo regia mathematicæ cathedra tibi debetur: id veró valdé vehementerque pernego. Tertium caput laudum tuarum fuit in summo quæstu, quem docenda juventute duos & viginti annos majorem privatus, & majore discipulorum frequẽtia feciſti, quám si regius professor fuisses. Verum est: Gorgias nempe Platonicus factus es. Gorgias enim, P. C. ut cõstat é Platone & Cicerone, infatuanda Græciæ juventute tantum auri collegerat, ut statuam sibi in Apollinis templo non inauratam, sed auream poneret. Expectemus igitur propediem Gorgiæ mathematici statuam, fateamurque ejus unius philosophia & mathematica victos esse Gorgias, Thrasymachos, Protagoras. Sed præclaris virtutibus tuis veluti palmariũ accessit Lotharingi Cardinalis approbatio. Hic testis (ut ais) hic elector, & author singularis doctrinæ tuæ, regiamque duplicis professionis cathedrã meritæ. Itaque hunc nobis iratum facis, quia regii collegii Decanum me nomino, cúm Cardinalis sese Decanum collegii solum esse prædicet, molesteq; ferat, novos profes-

sores á nobis in examen publicum vocari. Ehodũ, vir frugi ac modeste, Cardinalis, regius professor fiet? P. Rami canos in regia professione & annos sibi sumet? Hoc enim diuturnissimo regiæ professionis labore, Decanus regii collegii adhuc definitus est. Sic Orontius primus, sic Strazelius secundus, sic Gallandius tertius, sic Hamelius quartus Decani fuerunt. Siccine veró summi viri auribus insidiari, siccine dignitati illudere impune licuerit? Etenim (Procurator Picardiæ) laus est é Cardinalis laudibus una singularis, examen publicum de professione mathematica instituere, eique prę-esse, & é candidatis præstantissimum regi nominare: Jo. Pæna hac de re testis sempiternus erit. Quæ cúm ita sint: tu ad examen publicum recusandum, id est, ad tuam in mathematicis ignorantiam demonstrandum, Cardinalem authorem appellabis? Equidem prævaricationem istam spero tibi eo pretio futuram, quo merita sit: Scripsi enim ad Cardinalem: ut intelligas, quid sit tam nequiter summorum virorum nominibus abuti. At per Deum immortalem, animadverte atque attende, quæ de tuo isto fuco dicam. Cardinales, Reges, Imperatores, &, si quid majus hîc esse arbitraris, Pontifices, te variis beneficiorum titulis exornare possunt: At istorum nemo, regia philosophiæ & mathematicæ professionis cathedra te dignum potest efficere. De Equitibus & Comitibus bullatis nunquámne inaudisti? Aristotelem & Archimedem fictum nunquámne vidisti? Cogita igitur te isto argumento bullatum philosophum, te fictum mathematicum Parisiensis Academiæ

demiæ futurum. Sed adhuc de tuis laudibus Logica fuit persuasionis tuæ, ad docendum, te regiũ & philosophiæ & mathematicę professorem idoneum esse: reliqua persuasio versata est in maledictis in Pelerinum & Ramum conjectis. Pelerinũ in philosophia peregrinum esse dixisti: hoc sale videlicet condire mathematicam tuam voluisti. At si philosophiam, sophisticam nominas: id tibi fortasse cõcedam: homo enim est probus & modestus, & ab impudentia longé semotus. Si philosophiam Aristotelis græcam intelligis, Pelerinus eam ipsam græcé interpretatur: tu veró Aristotelem, nisi in Latium peregrinatus esset, omnino non agnosceres: Itaque revera peregrinus es in Aristotelis philosophia. De me autem, prime Licentiate, quid tibi ad maledicendum reliquisti: Sinite P. C. perpetuam animi nostri adversus omnia maledicta constantiam, in isto procaculo Gorgiola retineri. Adversus contumelias doctorum quamlibet & eruditorum hominum, perpetuum tamen silentium juravi: nil Goveano, Gallandio, Perionio, Turnebo respondi: nil ingenii & doctrinæ per universam Germaniam principi Melanchthoni respondi, nil aliis Germanis, nil Italis nonnullis respondi: tantum abest, ut huic ardelioni quicquam respondere cupiam. Unum tamen est, quod præterire ab amicis prohibeor: Habeo (inquit) domi adjutorem mathematici studii: id enim singulare maledictum primus medicinæ Licentiatus existimavit. Ego veró contumeliam accipiam, & agnoscam, & quantum potero, voce contendam, ut omnes exaudiant:

Fateor P. C. vel potiús profiteor, adjutores tanti laboris mihi & adfuiſſe & adeſſe. ſed longé alia lege atque conditione, quám convitiator noſter exiſtimat. E doctis latineque & græcé eruditis, Jo. Pæna in primis mathematici ſtudii nobis adjutor fuit: & adjumento noſtro in regiam cathedram aſcendit. Nobis deinde adjutor mathematici ſtudii fuit adoleſcens Fredericus Reiſnerus Germanus, in mathematicis ita verſatus, ut ſi candidatis de mathematica eruditione certantibus, victori præmium proponeretur: hic meo judicio, metam priús attingeret, quám é carceribus Dampeſtræ ſucceſſor egreſſus eſſet. Arnaldus Oſſatus in philoſophicis & mathematicis ſtudiis adjutor nobis ſæpe fuit: & hic te ſuperiore æſtate docuit, quid eſſet methodus: ſi tamen tantúm boni diſcere potuiſti. hic tibi in philoſophia & mathematica non ſolúm adjutor, ſed præceptor eſſe poſſit: valdeque contendam, ut uterque ingenio ſuo debitum fructum conſequatur. Sed tamen ut adjumenti mathematici calumniam augeam, dico atque confirmo, nullum eſſe in Academia Pariſ. mathematicis artibus eruditũ, quem non familiarem charumque habeam: imó opificem in urbe nullum paulo ingenioſiorem, cujus officinam mechanicamque totam non ſæpe perſcruter atque excutiam. Sed quid Pariſienſes adjutores commemoro? Nemo eſt in Britannia, Germania, Italia, mathematico ſtudio excellens, quem non animo & literarum ſermone adierim. Scripſi in Britanniam ad Acontium & Dium, in Germaniam ad Geſnerum & Camerarium, ad

Hiero-

Hieronymum Wolfium Augustanæ bibliothecæ præfectum: in Poloniam ad Rheticum: in Italiã Romam ad Commandinum Ferneſiæ bibliothecæ præfectum: Bononiam ad Angelum Pappium clariſſimum juris civilis doctorem: Venetias ad Arnaldum Ferrerium curiæ Pariſ. Præſidem, & regium apud Venetos Legatum, ad hos (inquam) omnes de mathematicis libris, id eſt, de adjutoribus perſcripſi. Sed in hoc maledicto, Dãpeſtrine mathematice, valdé te humanitatis & hiſtoriæ veteris expertẽ eſſe demõſtraſti: quid enim? homo doctiſſime, nunquámne audieras Ciceroni in deſcribẽda philoſophia Poſidoniũ, Panætium, Diodorũ, Zenonẽ, omnes denique omniũ ſectarum principes adfuiſſe? nũquámne audieras Ariſtoteli (cujus pro mathematicodoctore, latinus interpres eſſe vis) millia neſcio quot adjutorum fuiſſe? Hæc gloria fuit Alexãdri Magni, imperare ut piſcatores, venatores, aucupes, omnes deniq; mortales, qui ullã naturalis hiſtoriæ partẽ noſſent, ad Ariſtotelẽ magiſtrum deferrent. Quare contumelia iſta nobis glorioſa eſt. Veruntamen de tot ac tãtis á te cõtumeliis, nulla mihi atrocior viſa eſt, quám quód contra te agerem: collegii tamen regii dignitas, quam evertere, extincta mathematum luce, contendis, actionis hujus perſonam neceſſarió nobis impoſuit. Tu contrá præcipuum defenſionis tuæ propugnaculum, in P. Rami nomine conſtituis: teque ſperas apud ſimplices & idiotas propterea aliquid futurum, quia tibi P. Ramus oppoſitus eſt. Sed tamen pro illa mathematici adjumenti contumelia, magnam tibi gratiam debeo

habeoque, ideoque referre cupio. Quapropter laudem P. C. convitiator noſter á nobis pro contumelia audiet. Mathematicus noſter judicio quanvis nullo, acri tamen eſt paratoque ingenio, ut videtis, fingendi quidlibet & comminiſcendi confidentia atque audacia velut armatus: verbis in ſuo artificio tam redundans, ut cúm de re nihil dicat, plurima idiotis tamen dicere videatur: vereque illud dicam, ſi tantum operæ in Græcis literis, in artibus mathematicis poſuiſſet, quantum temporis in Mathurinenſibus comitiis perdidit, hodie doctrina & judicio ſolidiore obfirmatus, inter primos mathematicæ profeſſionis candidatos haberetur. Hæc igitur Geometra noſter, tibi laus pro contumelia fuerit. Quamobrem profeſſor philoſophiæ per tot annos tam celebris, tam quæſtuoſæ, recognoſce tandem aliquando, philoſophiam tuam valde ſophiſticam eſſe, quæ philoſophum ſuum tam fatuis & alienis argumentis in tanto fortunæ famæque judicio tueatur. Meruiſti philoſophicam & mathematicam cathedrá, quia ſucceſſor es Dampeſtræ. At Dampeſtra expulſus eſt, quia latiné neſciret, nec mathematicis ſatis inſtructus eſſet. Et tamen Siculus homo, popularis Archimedis fuit, & Græci ſermonis vernacula conſuetudine non ignarus. Mitto Dampeſtræ ceſſionem: tuam confeſſionem ſequor. Palám gloriaris te αὐτοφάβητον & ἀγεωμέτρητον eſſe, id eſt, aperté teipſum accuſas, & in te tuis armis incurris. Procuratio, Rectoratus, Doctoratus, in mathematica petitione argumenta ſunt Gorgianę Logicæ, aliena, inepta, fatua. At oblivioſum me

atque

atque immemorem, P. C. ſummũ candidati noſtri præcipuumque firmamentum præterierã: Regiumque collegium, quoddã velut Athenis Prytaneum eſſe, ubi regio ſumptu bene de re literaria meriti alantur: ad eamque rem, merita illa ſua commemoravit. Scilicet profeſſores regii, canonici regii erunt: & iſta requietis atque otii ſpe (ut hic palam prædicas) profeſſionem regiam tam cupidé appetiviſti. Sic Dampeſtra ſacerdotii cujuſdam decimas ſibi deſponderat. At (inquam) non ſolúm canonicus, ſed ſi lubet, in beato aliquo monaſterio monachus eſto: dummodó profeſſor mathematicus regio collegio reſtituatur. Quamobrem P. C. alterã diſtributionis noſtræ partem ſubduco contrahoque. Hactenus docuimus, hominem iſtum á philoſophica & mathematica profeſſione alieniſſimum & remotiſſimum, quia ſua confeſſione ſit ἀνόμφαδος & ἀγεωμέτρητος: nec ulla dexteritas ingenii tantam doctrinæ inopiam, tamque ſiniſtram ſupplere poſſit. Reſpondi ſingularibus ejus argumẽtis, quæ nil niſi cæcam animi præcipitemque ambitionẽ demonſtrant: pars diſtributionis altera reliqua eſt, de examine: ut doceam, etiamſi Græcam tum philoſophiam, tum mathematicam luculenter & copioſé didiciſſet, tamen publico examine diſciplinam ipſius probandam atque examinandam eſſe. At quoniam vereor, ne in ſuperioribus ineptiis refellendis paulo prolixior fuerim, brevior & contractior hic ero: quid enim multis verbis opus eſt, vt doceam, in quæſtione de doctrina & virtute, doctrinæ & virtutis probatione opus eſſe? Hi ſunt mores Acade-

miarum, hæ leges ſcholarum rectè & ex ordine conditarum: imó veró & leges hujus ampliſſimi nobiliſſimique Senatus: in quem ſi quis á Rege ſenator, vel Solone ac Lycurgo prudentior, Servio ac Scævola juriſperitior nominatus eſſet, tamen non priús á vobis admitteretur, quám Senatus examine ſanctè ſevereq; probatus eſſet atque exploratus. Herculea iſta eſt virtutis via, doctis & probis facilis & jucunda, ignaris & improbis horribilis ac pertimeſcenda. At (inquiet candidatus noſter) iſta examinis ſeveritas in nullo adhuc regio profeſſore vſurpata eſt. Verúm (inquam) nulla talis exempli indignitas adhuc in regio collegio contigerat, qualis in Dampeſtra & in Dampeſtræ ſucceſſore apparuit. Itaque Senatus, iſta Pariſienſis Academiæ infamia permotus, in Dampeſtram S. C. decrevit: Recita igitur S. C. de examinando Dampeſtra.

Hoc igitur judicium veſtrum eſt, P. C. æterna laude & commendatione celebrandum ac prædicandum. Quæ veró cauſſa vos in Dampeſtram cõmovit, eadem multó juſtius in Dampeſtræ ſucceſſorem, modis omnibus in mathematica indoctiorem, commovere debeat. Dampeſtra nunquam confeſſus aut gloriatus eſt ſe ἀγεωμέτρητον eſſe. Sed quid ego veſtram ſapientiã vobis commemoro? Audiamus Chriſtianiſſimum Regem veſtræ ſapientiæ vindicem atque aſſertorem: qui non ſolúm veſtrum S. C. de Dampeſtra comprobavit, ſed etiam mandavit, ut Dampeſtræ ſucceſſor, & quilibet deinde regius, quacunque in lingua aut ſcientia profeſſor, anté ab omnibus reliquis profeſſori-

fessoribus examinaretur, quám docendi caussa in regiam cathedram ascenderet. Recita igitur regis mandatum de examinando Dampestra & quolibet alio professore.

Quapropter P. C. animadvertite regium mandatum vestro S. C. expressum atque informatũ: ut vestrum judicium Regis judicio probatum laudatumque sit: quám sancté, quám severé Rex de Dampestra, deque post Dampestram futuris omnibus professoribus sanciat jubeatque, ne quisquam profiteri priús incipiat, quám publico examine probatus á reliquis professoribus & examinatus sit. Quare cúm publici civitatum & Academiarum mores, cúm S. C. cúm Regis mandatum de publico examine ita consentiant, quid potes, philosophiæ & mathematicæ professor, tergiversari, quid afferre, quid caussari, quamobrem sine examine in regiam cathedrã ascendas? Quid veró? utrũ de te etiam tam magnificé senties, quám Athenienses de Xenocrate, aut Romani de Numidico Metello? Xenocratem enim testimoniũ dicentem Athenienses jurare prohibuerunt: Metelli autem tabulas, judices Romani aspicere noluerunt. An igitur admirabili Philosophiæ & Mathematicæ tuæ præstantia attonitus, sic te admiraris, ut duos singulares viros sui cives sunt admirati? Ideoque examinis quæstionem, tanquam in re manifestissima minimé necessariam, tam vehementer aversaris ac detestaris? Minimé veró, minimé (inquam) gentium, ista hominis de se tam incredibilis opinio est: ἀνδιφάβητον autem & ἀγεωμέτρητον se confitetur esse: Quid ergo? quid habes

argumenti, quamobrem examinari non debeas? P. Rami nomen antea tibi fuit magnæ perſuaſionis loco, ut te idoneum profeſſorem probares: nunc ais P. Ramum tibi capitalem inimicũ eſſe, ab eoque ſolo hoc examen in te primúm atque unum flagitari, á quo in cæteros antea profeſſores nullo modo flagitatum ſit. Hæc igitur ſingula ſuis examinibus ponderemus. P. Ramus tibi inimicus eſt, ais. Quid igitur? tu confictarũ inimicitiárum ſpecie Capitolium incendas: ego ad reſtinguendum incendium non accurram? Tametſi unde tibi á me inimicitias iſtas comminiſci potuiſti? Nec enim ullum unquam detrimentum á me accepiſti: imó, etiam in hac cauſſa privatim ac fraterné, iterum atque iterum á me admonitus es, ut accederes ad profeſſionem regiam regia via & regiis legibus definita. Sed tamen quæ confidentia tua eſt, dicere á me ſolo hoc primum examen comparari? Erras ſi me in collegio unum virum bonum conſtantemque arbitraris. Octo pari virtute profeſſores, hoc examen poſtulant, eandemque actionem obſignatis tabulis perſequuntur: ſupplex libellus ſenatui propoſitus, obſignata nomina continet. Et tamen ferreo ore affirmare audes, me ſolum adverſarium eſſe. Profer igitur manus & ſigna collegarum meorum: ego falſitatem in tuis, veritatem in meis tabulis eſſe convincam. Sed fingendi quidlibet & comminiſcendi, laus tuæ philoſophiæ propria eſt. Non igitur é profeſſoribus regiis tibi ſolus adverſarius ſum, ſed octo tibi ſunt adverſarii. adverſarii tibi ſunt Euclides, Archimedes, Ptolemæus, & mathema-

thematici omnes, qui tibi una voce adverſantur, clamantque ne literam quidem de ſuis monimentis ac ſcriptis tibi notam eſſe. adverſarius eſt tibi Senatus, qui decrevit examen publicum in Dampeſtram, præ ſuo tamen ſucceſſore in mathematicis eximium: adverſarius eſt Rex Chriſtianiſſimus, qui literis ad regios profeſſores perſcriptis, ſeveré mandavit, ut Dampeſtra & Dampeſtræ ſucceſſor, omneſque in perpetuum profeſſores examinarentur. Neq; veró iſta de examine quæſtio, á me nunc primúm excitata eſt: Etenim decimo abhinc anno in Pænam meum diſcipulum, examen iſtud á Carolo Lotharingo Cardinale poſtulavi, & impetravi. Deinde protinus poſt obitum Paſchaſii Hamelii, antequam Dampeſtra nominatus eſſet, precibus meis adductus Jo. Mõlucius Valentinorum Epiſcopus, pro ſua in liberales artes liberalitate, ad Regem de publico examine perſcripſerat: conſecutæ eodem tempore ad Cardinalem Caſtellonium, & Cancellarium eadem de re noſtræ etiam literæ. Dampeſtra interim ſic intromiſſus in cathedram, & ſic ejectus ut dixi, Regi regii mandati cauſſam dedit. Sed ais alios á me ad examen appellatos non eſſe, fateor: quia nunc primum Decanus ſum: neque Rex antea examen imperaverat, neque dum quicquam ſimile tantæ, tamque impudentis inſolentiæ in quoquam profeſſore contigerat. Dampeſtræ & Dampeſtrini ſucceſſoris incredibilis amẽtia ſempiternam, ut ſpes eſt, examinis legem faciet. Quapropter nulla de examine contra te ſingularis controverſia tibi per me modó creata eſt.

Itaque P. C. omnia candidati noſtri fundamenta, veritatis inania, falſitatis plena cernitis. Sed tamẽ á nobis paulo liberiús velut objurgatus, qua frõte examinis immunitatem ſibi tam inſolenter arrogaret, pudore neſcio quo, licet inſolito, tamen leviter aſperſus eſt. Theſes phyſicas é latino Ariſtotele ſe poſiturum eſſe dixit, de quibus in utrãque partem diſputaretur. O conditionem æquã, & á profeſſoribus regiis minimé repudiandam! Theſes tu phyſicas de latino peregrinoque Ariſtotele, in mathematicæ profeſſionis argumentũ ſtatues, nobiſque invitis ac reclamantibus pro Euclide Ariſtotelem obtrudes? imó veró theſes in utrãque partem diſputabiles afferes? At Geometra noſter, hic veró te tandem non verbo, ſed reipſa ac veritate, ἀγεωμέτρητον videri voluiſti. Meditaris hoc tempore ſcholas in vico Straminis, ubi argumentando ſophiſtice, & clamando, ſtrepitu pedum, plauſu manuum, Platoni & Ariſtoteli, ſi contra te diſſererent, pudorem incuteres. At miſerum te, qui mathematicam ſcholam nunquam es ingreſſus: omnia in Pythagoreo iſto examine diſſimilia ſunt, Euclides, Archimedes, cæterique mathematici, deinde abacus & creta tibi proponentur ad numerorũ logiſmos concludendũ: regula & circinus ad figuras in planis aliás, aliás in ſolidis deſcribendum. Examinatores tui hic animos duntaxat oculatos habebunt: linguæ omnes mutæ erunt. Nihil hic eſt in utramque partem diſputabile: omnia ſunt in unam & neceſſariam veritatem docenda, agenda, demonſtranda. Tuũ illud é vico Straminum, tuum (inquam) regnum

illud

illud hîc perierit: nihil hîc, Sic argumẽtor, Sic argumẽtaminì; personabit: nullus erit manuũ plausus, nullus strepitus pedum: Pythagoreum deniq; silentiũ erit. At quis me (inquit) examinabit? iniquũ est ab adversariis examinari. Imó veró ab amicis suspectũ & insidiosum. Sed erras, discipule matheseos, multi præter regios professores (á quibus Rex nominatim te examinari jubet) multi (inquã) in mathematicis eruditi te examinabunt: imó veró vel indocti opifices examinabunt. Etenim quoniam sentio novum tibi videri & inauditum, quomodo ab indoctis de doctrina judicium fieri possit, docebo te, quod nunquam didicisti, de bonis artificibus idem esse doctorum & indoctorum judicium. Quomodo populus magistratum eliget, cúm sit imperitus legum? quomodo populus oratorem discernet, cúm sit ignarus rerum? Imó veró, respondet Aristoteles in Politicis, & Tullius in Claris oratoribus, doctorum & indoctorum hîc erit idem judicium. Doctus ex caussis, indoctus ex effectis & expetimentis: ille sapientiús, hic certiús judicabit. Scit pacem domi civibus & justitiam administrare, hostes bello propellere á finibus & reprimere: itaq; dignus est magistratu & imperio. Hæc vox est imperiti populi de bono principe. Docet, delectat, movet: ergo bonus orator est. hæc vox est ignari populi de bono oratore. Alia autem ex intimis caussis eruditorum & sapientum hominum oratio est. Ita cúm tibi calculus aliquis, aut diagramma proponetur, imperiti demonstrationes lineares nescient: at paralogismum mercator de-

prehendet: triangulum pro quadrato, aut cubum pro cono, cylindrum pro sphæra nullus mechanicus accipiet. Quapropter illi omnes examinatores tui futuri sunt: sed in primis severi graveſque judices erunt selecti, á Senatu Senatores, patronique regii, pro summa in omnibus doctrinis facultate ac scientia. Noli igitur dubitare, quin tu plurimos & justissimos mathematicæ tuæ testes, examinatores, judices sis habiturus. Quæ cúm ita sint, amice mi, cogita jam animo æquo pacatoque, quos in scopulos irrueris, quas in syrtes dissectus sis. Duos & viginti annos Aristotelis philosophiam professus es: & tam longo tempore nihil á tanto philosopho discere potuisti, quod verum, quod solidum, quod causſæ tuæ consentaneum esset? Philosophus ille, oceanus est omnium artium, ab adjutoribus illis plerumque potiús collectarũ, quám philosophico judicio æstimatarum.

Sunt bona, sunt mala, sunt mediocria quædam,
Quæ legis hic: aliter non fit Avite, liber.

In tanta rerum varietate, sophisticã præcipué ingenio tuo congruentem adamasti. Atqui sophistica, est magistra fallaciæ, mendacii, impudentiæ, temeritatis, arrogantiæ, levitatis, nequitiæ. Huic magistræ cúm te in disciplinam tradidisses, ab ea didicisti magnificentiús de te sentire, laudes tuas intemperantiús extollere, fastidire majores tuos atque contemnere, falsa & absurda pro veris & congruentibus cõminisci, auribus hominũ quantumlibet magnorum ad quæstum insidiari. nullã curationem, nullam provinciam, nullam administratio-

ſtrationem, quæ modó lucri ſpeciẽ præ ſe ferret, non tentare atque aggredi: utrúm rectè atque ex ordine, conſilio providere, induſtria obire, eventu ſuſtinere poſſes, nihil unquã laboraſti: Quidlibet in ſpecie quadam inani atque pompa fallaci ſitum arbitraris: denique ſophiſticæ omnia ſubjecta eſſe. At jam potes, vel periculi præſentis exẽplo, talis Logicæ fallaciam atque impoſturã percipere. Redi igitur ad te tandem aliquando, & deſerta illa bonorum ingeniorum pernicie, confer te in ſcholam græcarum literarum, ſolidioris Logicæ, mathematicarum diſciplinarum: tum verum veræ doctrinæ guſtum habebis: teque antea ſophiſticis nebulis miſeré turpiterque deceptum fuiſſe ſenties. Poſtremó conſcientiam teſtem adhibe, ſi modó rectæ conſcientiæ ſcintillam ullam cum tali ſophiſtica retinere potes, quám gravis, quamque acerba accuſatio tibi abs te ipſo futura ſit. Ego mathematicam ſcientiam, id eſt, clariſſimam liberalium artium lucem extinguere contendo, ut ſophiſticam, id eſt, caliginem omnis eruditionis ac doctrinæ publicis ſtudiis offundam? in regiam ſcholam ſic ingredi cogito, ut adventu meo fundamẽta diruam? in regiæ profeſſionis collegium ita cooptari cupio, ut primariam profeſſionem é medio tollam? pernicies denique peſtiſque ampliſſimo collegio adveniam? Hic, inquam, conſcientiam teſtem adhibe, & tacitum illud mentis ſecretum conſule, deſines cæca cupiditate regio collegio inſidiari, exitium mathematicis diſciplinis machinari. Audies igitur hæc ab adverſatio (ut ais) tuo: ut autem res eſt, amico, &

salutaria consulenti. Sed enim, ut é vultu hominis conjicio.

Impatiens animus, nec adhuc tractabilis arte,
Respuit, atque odio verba monentis habet.

Quamobrem P. C. ad vos convertor, & dicẽdi finem facio. Repetite igitur animis, obsecro, ac recolligite summa rerum capita. Disserui hominem istũ á regia philosophiæ & mathematicæ professionis cathedra alienissimũ esse, quia græcas literas, quia mathematicas artes ignorare se confitetur: cúm utraque cognitio in philosopho requiratur: & tamen philosophicam cathedram nullam esse vacuam: solum mathematicum professorem hoc tempore desiderari. neque sophisticæ ullius ingenii jactantiæ tantam professionẽ prostituendam atque objiciendam esse: neque veró contrá quicquam facere, quód Dampestræ successor fuerit Procurator, Rector, primus Licentiatus, cæteraque sophismata his affinia. Repetite deinde ac recolligite, quæ de examine tractata sunt, virtutis viam esse, vestigiis Academiarum tritam, exemplis Senatus illustratam, S. C. in regium collegium patefactam, Regis mandato munitam atque obfirmatam. falsam esse recusandi examinis calumniam, quód nunc primúm á me solo in istum comparetur, cúm decem anté annis, in discipulos meos sit á me comparatum, postulatum: deinde generaliter in omnes ante Dampestram nominatum, posteaque in Dampestram usurpatũ. Denique defensionis universæ argumenta á philosopho & mathematico nostro ejusmodi omnia fuerunt, eruntque in poste-

rum:

rum: neque aliud, si diligenter attenderitis, ab homine audietis, quàm contumelias in P. Ramũ é veteribus maledictorum commẽtariis undique collectas: De re, nihil nisi falsum aut alienum audietis. Hic, inquam, de futura candidati nostri responsione vaticinari vobis possum. Hodierno die nugabitur vobis easdem nugas, quas nudiustertius nugatus est: id enim solum didicit, ac per duos & viginti annos exercuit: quid autem mathematica sit, quas partes, quos usus habeat, qua denique de causſa mathematicus professor esse debeat, nullum verbum faciet: tantum de Regis potestate, de Cardinalis authoritate, de professionum confusione, de P. Ramo quidlibet audacissimé mentietur: hæ siquidem nebulonis insolentissimi nebulæ futuræ sunt: nullum, inquam, mathematicæ professionis specimen, nullam problematis cujusquam fabricam, nullam Geometricæ demonstrationis speciem á mathematicæ professionis petitore audietis. At mathematicus professor esse vis. Quid ita? Causſam igitur istam per Deum immortalem nobis dicito: mitte nugas, mitte nebulas, quibus mortales omnes superas, quibusque regius non mathematicus, sed nugator & nebulo jure meritissimo potes esse: mitte mendacia quæ nimium pro illa dexteritate ingenii adhuc adamasti: mathemata, quorum sector esse potes, non doctor, aliquando cogitato: diem si voles in mathematica demonstranda, agenda, exornanda consumito. Hic tot annorum (quos tam sæpe nominasti) studium jactato & ostẽtato. Hoc enim instituti judicii so-

lum proprium eſt, Euclides tibi prima actione á nobis propoſitus eſt, en iterum proponitur, eſto in hoc authore, vel potius in hujus authoris elemento unico demonſtrando confidens & audax. Hic mores tuos veritati & utilitati profeſſionis mathematicæ conjunctos probabo & laudabo. At Euclidem recuſaſti, & recuſabis, neque quicquam ad regiæ profeſſionis cauſſam reſpondebis. Hæc vaticinatio noſtra de te deque tua mathematica verax erit. Quapropter P. C. conſiderate animis Academiam ſedibus ſuis avulſam, in Senatū veniſſe: mathematicas muſas, Arithmeticā, Geometriam, & cæteras illas ſapientiæ comites & ſocias ſupplices vobis eſſe: ne patiamini extingui clariſſimū Academiæ lumen: quod futurum ſit, ſi mathematica profeſſio homini mathematum imperito permittatur, vel in alienam philoſophiæ neſcio cujus ſpeciem malitioſé alteretur, ponite ante oculos Pariſienſis Academię amplitudinem: qui concurſus undique in eam ex omnibus nationibus & populis fiant, ad excellentes profeſſores auſcultandum: tot igitur voces, tot linguas (ſi per vos mathematicæ profeſſionis dignitas ſarta tectaque ſervetur) veſtræ æquitatis ac ſapientiæ præcones exiſtimate: examen de mathematico doctore decernite: veſtrum de Dampeſtra S.C. in Dampeſtræ ſucceſſorem retinete: ad Regis mandatum de utroque & quolibet in poſterum profeſſore examinando, veſtrum judicium adjungite: regii denique collegii ſtatum confirmate & conſtituite.

AUDO-

AVDOMARI TALÆI ADMONITIO AD ADRIANUM TURNEBUM, *Regium Græcæ linguæ professorem.*

LEGI hesterno die duabus horis (tot enim perdidi) disputationem tuam maledicentissimā omnium, quas unquam legerim, & contumeliosissimā, adversus quendam, qui non solúm logicus esse, sed dialecticus haberi vult: in qua disputatione folio 33. pag. 2. nominatim testificaris te neque logicum esse, neque dialecticum haberi velle: Itaque certamen legitimum adversus eum suscipis, qui & voluntate & existimatione tibi tam cōtrarius esse videatur. Ego veró tanquam per ludum una hora, si potero, partes & illius & tuas breviter subducam, ut te familiariter moneam, pauló secus quæstiones ejusmodi tractari & disceptari posse. Vestigia disputationis tuæ persequar, quó facilius tota res intelligatur. Tertio folio Logicum tuum furti accusas, quód tibi & Diodorum & motus atomorū surripuerit: Verúm Logicus ille tibi non Logico multó veriús objiceret, qui multis anté annis prælectiones suas in Fatum Ciceronis ediderat, quám tu in illum, á nescio quo impulsus, ut videri vis, invehi jam cœpisses: & si tam modestus esses animo, quám vultus ille propé virgi-

nali verecundia demissus simulat, judicare sané de bueras hominem quem nunquam negligentem, ne in his quidem infinitis tuis calumniis putasti, aliquid observare potuisse, quod tu idem observasses. Sed fidem præclari illius & tibi sacrosancti fœderis præstare voluisti: jurasti enim abhinc annos nescio quot domino tuo (scis & sciunt omnes quem dicam) odium in ejus adversarios sempiternum: & nominatim te omnia Logici tui monimenta, quæcũque edidisset, afflicturum ac perditurum: & cúm dominus ille fieri non posse diceret, quin Logicus tuus multa calumniæ expertia scriberet, respondisti, te tibi omnia illa vendicaturum, quia libros etiam haberes, unde ea sumerentur. Itaque hac æquitate, Logici tui messes in agrum tuum traductæ sunt. Verúm de Diodoro isto, qui te tantopere commovit, quémque tuum esse vis, quid habes quod tãtopere querare? Nam cúm tam multi fuerint, alius Megareus, alius Peripateticus, alius Stoicus, nec á Cicerone ullus definiatur, quid ad propositæ quæstionis veritatẽ attinet, de nomine personæ, præsertim incertæ, tam multis verbis contendere? At motus atomorum tibi Logicus surripuit: audi amice ne graviter hic expostula: Interroga typographum tuum hunc postremum, cognosces antequam vel Logicus tuus, vel tu non Logicus de Fato scripsisses, fuisse apud illum docti cujusdam hominis commentarium, in quo motus atomorum á Plutarcho citabatur: Logicus tamen tuus modestior paulò fuit: Plutarchi locum non citavit, Lucretio contẽtus fuit. Tu, cujus omnia propria sunt, tuo jure in

commenta-

commentarium tuum trāſtuliſti: ſicut omnia quæ Logici tui prælectiones habuerant. Atque in hac diſputatione jure neſcio quo (quo tibi proprium ſit affirmare & negare idem) omnes tuos facis. Sed de his atomorum furtis, quoniam cogis, iterum poſtea dicam: Statue itaque modó, vtrúm velis hic adverſarium tuum & Logicum eſſe, & Dialecticum haberi, te neque Logicum eſſe, neque Dialecticum haberi, qui in iis furtis tam probabilem cauſſam diſſerueris. Quarto folio tuo, Logicus negat quæſtionem de Fato moralem eſſe: Hic Logicæ non eſt inopia, ſed copia malitiæ: Logicus enim tuus prælectionum ſuarum folio quinto ait cum Cicerone, quæſtionem de Fato moralem eſſe: Et hic Logicum tuum clamitas impudẽtem, ſine ingenio, ſine judicio, eloquentiæ & philoſophiæ profeſſione indignũ. Tu bona fide qualis es? quo ingenio? quo judicio? cujus artis profeſſione dignus? monere enim te tantúm cupio. Agé: Logicus, ut fingis, iterum tuo folio quinto negat in quæſtione de Fato quicquam eſſe, niſi Logicam: ipſe autem ait folio ſuo quinto quæſtionem de contingentibus eſſe logicam, & ſic ab Ariſtotele in Logica diſceptari: Hîc gladiatorem te facis, narras irridẽs pugnas tui Logici, & argutiolas in ficto themate vix ſané pueriles effutis? exclamas Logicum in ſalebra hærere: Plutarchũ, Laërtium, Origenem, Ciceronem collectos advocas: Logicum denique tuum ſtultum valdé & ridiculum tribus totis paginis efficis: imó Græcæ interea cõſuetudinis ignarũ, qui τῆς εἱμαρμένης dixerit, cúm ſine articulo dicere debuerit: Attamen eo ipſo lo-

co (tam singularis est tua intelligentia) á Plutarcho citas τὸν τῆς εἱμαρμένης λόγον. Næ tu hic in salebra hæres, nec jam miror si te nec logicũ esse, nec dialecticum haberi velis. Tertio continuo simili commento, folio tuo sexto extremo & deinceps Logicus significat in astris tantúm á Posidonio Fatum positum esse, in aliis rebus præterea nullis: At Logicus prælectionum folio secundo & septimo, quod hoc in Fato Ciceronis argumentum Posidonii est, ait á Posidonio Fatum positum in affectione siderum: tantúm illud, quod illi falsò attribuis, nusquam dicit. Sed tu variam lectionem accumulandis undique testibus commẽtitiæ tuæ refutationis authoribus venditare pagina iterum integra voluisti. Adeóne adversarius tuus tibi Logicus videbatur, ut nisi falsum crimen fingeres, contrá maledicere nihil posses? Istam sané licentiam nimiam in te esse dicerem, nisi te neque logicum esse, neque dialecticum haberi velle diceres. Ecquid? si pari libidine vellem in te falsis criminibus declamare, quid diceres? Nõne Deûm hominúm que fidẽ implorares, te iniqué vexari & opprimi. Moneo te igitur, ut si voles stylum aliquem (quoniam nullum esse tibi fastidioso nescio qui adolescentes homines dictitant) declamatione aliqua parare, aliam thesim deligas. Aristoteles interrogatus quid mendaces lucrarentur, ut cúm vera dicãt respondit, illis non credatur, His igitur tribus continuis mendaciis non solúm non logicis, sed etiam verecundiæ tuæ imprimis consentaneis, Aristoteleum illud lucrum reportato: Sed ab hac falsa vel falsaria disputatione discedamus. Quid deinde

de?definitor videri vis ſententiæ Diodoreæ, & quidem oratione verboſa & inepta :quód omnia futura neceſſaria: omnia non futura impoſsibilia cenſeret: medium contingens nil relinqueret:Ariſtotelem laudas,Boëtium citas:Mane, inquam, heus mane:hic enim multa conturbas:credo ne tua definitio intelligatur: Iſtam ſententiã Diodori, aut cuius voles deliri philoſophi,Ariſtoteles ut impiam,ut fatalis neceſsitatis authorem condemnat in capite de futuris contingentibus, Logicus tuus idem ſentit, non quia Ariſtoteleus, ſed quia Logicus. Laudas Diodori familiam & filias: Quorſum inquam,

—*Cannas Mithridaticúmque bellum?*
Iam dic Poſthume de tribus capellis.

Non eſt impium,ais,ab Ariſtotele diſcedere:concedo: quid tum? At ais,Diodorus cauſſas voluntarias & fortuitas retinebat,ideóque contingens:& hoc Cicero confirmat. verbo (reſpondebit Ariſtoteles)voluntarias & fortuitas cauſſas Diodorus retinebat,reipſa tamen tollebat, ut Epicurus deos Athenienſibus.Itaque Cicero cum Diodoro labitur. Pergis tamen & argutam neceſſitatis diſtinctionem adhibes, quód Diodorus loquatur de neceſſitate non abſoluta, ſed ex conditione. Id etiam repudiabit Ariſtoteles,& contingenti ſublato nullum in futuro neceſſarium ex conditione ſtatui dicet.Sentiſne jam in quas te anguſtias animi præcipites?non urgebo te,ſed ſi potero,conſolabor. Rogas ut te á Diodori cauſſa removeam: cupio equidem, & te ſané ab hac impietate longiſſimé ſejunctum eſſe ſentio: Imó veró moneo

te, ut ab ea disputatione te omnino removeas, neque opinionem tam desperatam, támque damnatam, quávis non probes, ut ais, ullo modo defendi posse statuas. Nam si quis ita diceret, Epicuri sententiam de mortalitate animorum defendo, quamvis eam non probem, quis bonus eum ferre posset? Sunt enim quæstiones quædam (ut scholæ nostræ loquuntur) problematicæ: in quo genere si Diodoream istam impietatem pertinaciús retineas, non metuis, ne tibi de tanta re periculum subeundum sit? Amice, amice, considera iterum atque iterum, ne dum odio Logici tui, impiam Diodori sententiam tueri vis, boni & pii hominis famam non satis diligenter tueare. Veruntamen interea in adversarium totis tribus paginis quám contumelioſus es? Immanis, intemperans, captus oculis Tiresiæ modo, fanaticus, temulentus: cavillatione etiam nescio qua novus pontifex abs te appellatur: His probris si in vera & justa causa usus esses, attamen boni viri nomen retinere non posses: nunc in causa perdita & misera, cogita tecum, qualis apud viros bonos & graves habeare, qui in famam alienam probris iniquissimis tam petulanter invaseris: Ista quæstio est grammatico homine, qui non modó Logicam nesciat, sed irrideat, & scriptis aspernetur, longé superior. Quam quisque norit artem, in hac se exerceat. Quæstio est ista logica: Tu nec Logicus esse, nec Dialecticus haberi vis. Sed agé, pergamus. Folio nono extremo Cicero á te defenditur pari Logica: Confiteris Chrysippum levem & inconstantem, qui modó Fatum ex causis necessariis constitueret,

modó

modó tamen animi libertatem se relinquere diceret: Et tamen Ciceronem, quo judice Chrysippus liberatur, constantem prædicas: ob eam opinor, rationem, quód Diodorus tuus eodem judice de simillima levitate absolvitur. Hîc deum immortalem! te valdé perturbatum video, qui tuum Logicum sine ingenio, sine judicio, nugas loqui vociferaris & ignorantię condēnas. At redi ad te, considera quid contra quem, apud quos ita loquare: Nam dum eum ista iniquitate condemnas, metuendum tibi est, ne ab infinitis judicibus, qui hæc audient, æquitate summa condemnere. Irritare vis Logicum tuum, sed homo est animo altiore quã putes: veteres illos tuos laniſtas, in quorum ludo istam maledicentiam exercuisti, semper contempsit, & ira sua indignos judicavit. Itaque si gloriolam, ut tu in proœmio significas, hinc aliquam speras, quód lacessitus tibi non respondeat, falleris: docebit te, si modestus esse voles, ut in libro de Legibus fecit: in quo sine contumelia, imó sine tui nominis mentione aut significatione ulla perpetuos errores tuos, productis é Platone & Aristotele contra sententiam tuam certissimis locis coarguit, nec ad sententiam suam confirmandum, quicquam aptius responsione tua reperire potuit: ne tu mireris, quod in proœmio tuo pueriliter objicis, contra te nihil esse rescriptũ, cúm teipsum satis supérque refutaveris. Docuit etiam te secundis prælectionibus in Fatum, cúm tu in illum simili reprehensionis sapientia invasisses, atque nũc iterum invasisti: contra te autem nunquam certabit. Tu illi maledices quantum voles, tibi non res-

pondebit, téque ut cæteros antea philoſophiæ calumniatores, conſtantiæ ſuæ præconem habebit. Nec ſané ſic hominis eloquentiæ & philoſophiæ profeſſionem ſuſtinentis, adverſus eum contendere, qui neutram ſe habere, non modó verbo fateatur, ſed reipſa & publico teſtimonio profiteatur. Sed paululúm reſpiremus. Tu novendecim paginis proœmium Logici multis, & quidem bono & docto viro indigniſſimis contumeliis oneraſti: Vellem pauló remiſſiora eſſent conſequentia. Agedúm, Vis initio libri de Fato verba hæc addere, De Fato diſſerendum eſt: Logicus homini non Logico nihil credit: & ex antiquis libris, quos ſine ratione, ſine Logica nimis arroganter tibi ſoli vendicas, nihiló veriorem putat eum, quî exeſus á tineis tibi venerit in manus, quám qui á diligentibus typographis editus ſit: tu aliter judicas: quid facias? Tot capita, tot ſenſus. Sed quænã bilis & quám atra hîc loquitur? Repetis his verbis rem antea diſputatam, ſed occaſione prorſus nulla: Et quæſtio de Fato (id enim etiam atque etiam hîc iterabo, ut tu dolore inſcitiæ tuæ conficiaris) ad moralem philoſophiam pertinet: diſputatio περὶ δυνατῶν ad Logicen. O ſingularem & incredibilem iracundiam! quam enim animi impotentiã & quám plané muliebrem gemitus hic oſtendit? nec veró dubito quin Logicum lapidaturus tum fueris, ſi tibi occurriſſet: tantus ſpiritus hîc expromitur. Sed repenté tamen ridere hîc incipis, & deum immortalem geſtiens ad illum Ciceronis locum exclamas, Explicanda vis eſt enunciationum, quæ de re futura cúm aliquid dicunt, déque

eo quod possit fieri aut non possit, quam vim habeant, obscura quæstio est, quam περὶ δυνατῶν philosophi appellant. Locus hic (ut tu in commentario primo, folio quinto sentis) intelligendus est de iis enunciationibus, quæ de futuro aliquid, cujus necessarius eventus esse non videtur, pronunciãt: Hæc tua verba sunt: Et homo non Logicus errorem in Logica valdé manifestum, tibi etiam monstratum á Logico tuo tamen non vides? Quid est, ais? Hæc definitio inquam, convenit necessariis & impossibilibus: Possunt enim fieri aut nõ possunt necessaria & impossibilia: Ergo non est ista definitio contingentium propria: Postea admonitus es hoc esse vitiosum: secundo tamen commentario maluisti priorem damnare: quám culpam Ciceronis confiteri: Ais enim verba illa. Quod fieri possit, ad δυνατὸν, hæc autem (aut non possit) ad ἀδύνατον pertinere: Quamvis Cicero præsens περὶ δυνατῶν illud appellet, quamvis tu de futuro contingenti explicaveris. O musæ Logicæ! ô Charites Dialecticæ! hoc demum est λογίζεσθαι & διαλέγεσθαι. Ideóque victor exultas & in adversario tuo miseram ac perditam ignorantíam meritó deploras, & apud exteras nationes indecorum huic Academiæ & turpe esse dicis, quód talem professorem habeat, qui tuo judicio in disciplinam alicui magistro erudiendus locari debeat: Hæc verba sunt triumphi tui, hic Pæan, qui tibi ipsi, ô amice, á pueris modó veré cantabitur, quia petivisti, quia meruisti. Nimiúm diu in hac non Logica moramur: Perge: Plutarchus ait á Cicerone τὸ ἄτομον & τὸ κενὸν, id est (opinor) individuum & inane, pri-

mûm latiné nominata esse. Hic author, quamvis in hoc tuo commentario & ensis & clypeus tibi sit, attamen hîc non placet? Sed displiceat, quia dicta á Cicerone sene hæc ficta esse, cúm mortuus esset Lucretius, ideóque Lucretium facis Ciceronis magistrum: Homo veré jam manifestó tam chronologus, quám logicus: Tullius enim annis decem Lucretio major fuit, quamvis in epistolis Ciceronis de Lucretio quod Crinitus citat, & quod ignorasti, legatur. Itaque Lucretium adolescentem á Cicerone, tum eloquentiæ laudibus excellenti didicisse verisimilius sit, quám á Lucretio Ciceronem. Logicam dein doces, quamvis Logicus esse nolis, quód πρόπασις apud Aristotelem nusquam sit idem quod ἀπόφανσις: At in isto prælio sané nimis audax es, qui tam nudus & inermis adversus armatum contendas. Interroga Logicum aliquem novitium quid sit πρόπασις, respondebit ex Aristotelis Analytico, Πρόπασις μὲν οὖν ἐστι λόγος καταφατικὸς ἢ ἀποφατικός τινος κατά τινος. Quid ergo non Logice noster, quid ista definitione differunt πρόπασις & ἀπόφανσις, Interpretémne aliquem hîc potiús, quám magistrum istum Aristotelem audies? Miseret me profectó tui, & valdé doleo quód te tantopere deridendum & propinandum populo dederis. Possibile non vis, possibile vis: Hoc etiam ab aliis anté notatum, quasi tuum facis. Dixeras in priore commentario quæstionem de futuris contingentibus non esse Logicæ, sed Logicen, quia quæstionis ejus explicatio esset quædam Dialectica. Admonitus á tuo Logico, id posteriore commentario corrigis, & substantivum

ſtantivum Logice, tibi jam eſt pro adjectivo, Logica, ut ſcelus pro ſceleſto dicitur, ais: & tamen cum ita errorem tuum corrigas, videri vis in ſententia permanere: Hîc rebus alienis paginas duas exples, Lucretium corrigis, vetera tua exemplaria venditas: & tamen ex his eruditis correctionibus tuis, nullus liber correctior exit in lucem, ſed correctionum veluti theſaurum aliquem domi reconditum ſervas, ut tuas rudi popello quiſquilias alio tempore revendas, & incautis videlicet convivis eundem cibum ſæpiús apponas: Et tamen quot & quæ ſunt iſtæ correctiones tuæ? vix in tribus authoribus tres nobis eo loco oſtentare potuiſti, ubi jactantia tua tam ſuperba & arrogans expromitur: locum unum in Lucretio corrigere tibi videris, alterum in Gellio, tertium in Ciceronis Fato: Quo animi magno & inveterato errore, quia præclaram quandam laudem tibi hinc eſſe exiſtimas, liberabo te, ſi me audies. Equidem iſtã correctionis diligentiam in typographo laudo, in Regio Græcæ linguæ profeſſore, Græcæ linguæ profeſſionem requiro, qui typographis libros emẽdatos tradat, nec diſcipulis ſuis iſtam correctionis opellam tam cupidé, ut tu ſemper facis, & ambitioſé venditet. Nam ſi quis liber ab Italia aut Germania duobus aut tribus locis correctus venerit, huc protinus advolas, & ſolus codices omnes emis: Pauló póſt magno faſtu audimus á Turnebo reſtitutos locos, cúm tu nõ illos libros emẽdatos, ſed corruptiſſimos alios diſcipulis tuis propoſueris. Tu viro docto, & Academiæ Pariſienſi, ſi quis unquam fuit, commodo ſucceſſiſti Jacobo

Tuſano, qui iſta correctionis religione & fide, quam tu valdé glorioſé prædicas, infinitis partibus te ſuperabat: ſed emendatos libros typographis dabat, nec ſibi inde tanto faſtu gloriolã hanc affectabat. Tuſanus Grammaticam Græcam quotannis explicabat: Turnebus, ſive quia non poterat, ſive quia ſui faſtus alienum putabat, Grammaticæ Græcæ præceptum nullum unquam in cathedra regia docuit: Tuſanus ſingulorum verborum vim propriorum aut modificatorum latiné, ſingulis item propriis aut modificatis, & quidem Ciceronianis maximé reddebat: ſi verba ſingula deeſſent, aut his totidem reddi non poſſent, conjunctis definiebat, & græcam phraſim latina explebat. Turnebus adhuc intelligere non potuit grãmatici partes eſſe, verborum ſingulorum originem, vim, proprietatem, modificationem, conjunctorum uſum & conſuetudinem explicare: ſed ſi quæ verba ſunt inaudita & obſoleta in Plauto, in grammaticorum commentariis de vetuſtiore aliquo citata, ea velut aurea venditat, & ſententiam authoris, eorum paraphraſi qualicunque percurrit. Tuſanus honeſtum ſibi putavit quotidianis prælectionibus partes expoſitæ orationis & Syntaxim, immó palám á pueris audientibus, quemadmodum id percepiſſent, exigere: Turnebus id ſemper deriſit: Timæum Platonis aut eiuſmodi aliquid ſibi propoſuit, in quo diſcipulis eſſet admirabilis, ſed inutilis: Quid enim faceret in mathematico illo opere, qui neſcit lineam, perpẽdiculum, normã, ut mox ipſe confitebitur, mathematicorum eſſe? Tuſanus domũ reverſus themata

latino

latino aut vernaculo ſermone proponebat, quæ græcé redderentur: Denique quia græca Grãmatica, eſt ars bene græcé loquendi & ſcribendi, non ſolúm artem, ſed artis uſum docebat. Turnebus uſum artis, quam nunquam docuiſſet, qua ratione ſibi tractandum judicaret? ſed pro rebus illis puerilibus, ut loquitur, vetera exemplaria conquirit. Tuſanus in authoribus explicandis, quos quidem varios & omnis generis tractabat, ſententiam diligenter & ſtudioſé declarabat, nec ab artificio tamen ſuo diſcedebat: præcipuum ſtudiũ ponebat in etymologia & ſyntaxi verborum: Turnebus id ſuæ profeſſionis eſſe nunquam meminit. Tuſani auditorium celebritate & frequentia diſcentium, ſi uſquam in terris, clariſſimum fuit, eiúſque ideo apud omnes diſcipulos ſanctiſſima memoria vivit: & veré de tali doctore dici poteſt, quod de Fabio dixit Ennius,

Unus homo nobis cunctando reſtituit rem:
Non ponebat enim rumores ante ſalutem:
Ergo póſtque magíſque viri nunc gloria claret.

O fortunatam Pariſienſem Academiã, quæ Tuſanum profeſſorem Regium habueris, miſerã quę tali ptæſertim ſucceſſore, amiſeris. Quare Turnebe, mitte iſtũ animi neſcio quẽ faſtum profeſſioni tuæ tam alienum, Reip. tam calamitoſum: Doce artem cujus profeſſor es: uſum exerce: fac te diſcipuli tui græcæ orationis exemplũ & loquendo & ſcribendo habeant: loquere græcé, ſcribe græcé quotidie, & in utroq; genere tuos exerce: id magna tua laude, magna Academię commoditate facies: Denique profeſſorem Græcæ linguæ Turne-

bum esse ostendes: nec enim, deum immortalem! hîc satis est, quód publicé multis audientibus gloriaris, te epistolam unam græcé, & quidem testem usitati tibi & insiti pudoris scripsisse: etenim tam diuturnæ professionis tuæ, quam nobis exercitationem una epistola á te scripta ostendis? præclarum, ita me Deus amet, græcæ professionis argumentũ. Regius græcæ linguæ professor octo annis epistolam unam græcé cõscripsit, ne quis jam conqueratur, ab eo græcé nihil scribi. At studiose & laboriose juventutis formator, cedó quot singulis non dico annis aut mẽsibus, sed diebus exẽpla grecé loquendi aut scribẽdi discipulis tuis proposuisti? id enim est, quód publicé abs te postulatur. Hoc igitur te moneo, & per Deum optimum maximum oro, ne diutiús negligas. Sed hora nobis hîc effluit: Agedúm, reliqua videamus. In nomine Hirtii, literam T surreptã tibi esse quereris. Ecquid inquam? etiámne literæ cujusque dictionis tuæ sunt? Gallis igitur, Germanis, Italis, nationibúsque exteris omnibus denuncies, ne litera T, in posterum utantur, quia tua sit: Quid si librum totum Logicus tibi surripuisset, ut tu illi, quid faceres? qui de una litera querimoniã istam moveas? Negas in Officiis Ciceronẽ Academicũ esse, quia Stoicum aliquid sequatur: hoc hominis est non Logici: Quid tum postea? Delaberis ab ingenii tui morbo ad morbum corporis, quem mihi sané inhumaniter exprobras. Jã pené defluxit, ais de me, & morbum juravit: ac in ea causa est, ut si servus vendatur, redhiberi possit. At ego pro tam scurrili tamque barbaro & immani maledicto valetudinẽ

prosperam

prosperā tibi, uxori tuæ, liberis tuis & optabo, & á Deo optimo maximo perpetuam precabor, ne quis in te aut tuos unquam contumeliis istis uti possit. Verūtamen adhuc, opinor, intelligis istud morbidum mancipium, quod appellas, nondum animo prorsus defluxisse, & mēte longé valentius esse, quam tu sis corpore: ut si vendatur uterque nostrūm, ego propter vitia valetudinis redhibendus sim, tu propter vitia mentis etiam á venditore cōstringendus sis. Biennio anté cúm aggressus es istam disputationē, tantus æstus animi tui fuit, ut febris corporis indé gravissima consequeretur: Et meministi te vulgi fabulam aliquandiu propterea fuisse, quód animi morbo morbū etiam corporis acquireres: & febris ista licet é corpore excesserit nimiúm diu tamen miserum animum excruciat, ut sudores ejus etiam biennio posteá videamus. Sed tamen morbus meus quia palam est, venditorem nō obligaret, sed si vitium corporis ad animū usque penetrat, ut venalitii propter febrem aliena loquantur, vel per vicos deridenda insanorū more loquātur, ut in hac disputatione perpetuó facis, in quo simile animi vitium ex corporis vitio acciderit, hunc redhiberi posse magister ille juris ait, unde salem istum tam omnis non dico lepōris, sed venustatis, sed humanitatis expertē quæsisti. Sed heus, cętera videamus. Academicas quæstiones vis in Arpino aut Tusculano scriptas, tibi non Logico, præsertim febricitāti non credetur: Liber ipse ostēdit in Cumano Ciceronis, aut certé Varronis, ubi tum eclogarii illi consedērūt. Occasionis verbum pro caussa rides: & rideas sané ut rideatis.

Somniū appellas, Dialecticæ & Rhetoricę distinctionem: ſomnia febricitantibus conveniunt. Logicum tuum, ſuem, rabulam, impudentē, ignorantē vocas: & in his maledictis paginam totā oſtentas. Quid veró eſt febricitare, niſi hoc eſt? Brutinis quæſtionibus minitaris: Eho, etiā huc febris erūpit? Logicum vocas furunculū Vallæ, & Vallam, ejus vervecem ſectariū appellas: ſtatuam Mediuſfidius, te verveceam facies apud eos, qui hæc audient. Syllogiſmorum artem in Germanis & Gallis derides: hoc etiam non febricitans, tamen non Logicus tuo jure facis. Syllogiſmorum veró artem vituperas? at ut in homine nihil excellentius eſt judicio, ſic omnium artium humanarum nulla eſt arte judicandi præſtantior & divinior: & nimirum hac una ſyllogiſmi & judicii vituperatione probare nobis ampliſſimé voluiſti, te in quæſtione de Fato nihil omnino vidiſſe, quæ tota ſyllogiſmorū inconſtantium tendiculis illaqueata & irretita ſit. Prædo tibi piratā proprié ſignificat: at Grammaticis omnibus eum qui prædatur ſive terra, ſive mari: & in iſto verbo paginam totam conſumis, ſicuti quatuor ſequētes in nomine quadrigarum, quas homo non dico nón Logicus, ſed nō grammaticus, negas unquam pro quatuor equis accipi ſine curru junctis? Non te Romam dimittam, ut in veteribus monimentis quadrigas ſine curru videas: apud Typographum aliquem, ſimulachrum urbis Romæ ſpectato, videbis in extremo circū & metas & quadrigas, quod adhuc ignoraſti, ſine curru. Bucolica tanto indoctorū, ut loqueris, concurſu á Logico tuo prælecta vehemen-

ter indignaris: si quis est indoctus in illo numero, vide num græcé sit indoctus tua culpa. Equidem jam de te sic statuo, si benedicendi tam peritus esses, quám maledicendi, Logicum tuum eloquẽtia longissimé vinceres: Maledicentia tibi perpetua est, mentem illius effascinatam, ambiguam, & incerto errore vagantẽ, in mendacio deprehẽsam æstuans ista febre clamitas. Pro quo tantę maledicentiæ morbo, Charitum numini linguæ tuæ effigies cerea tibi vovẽda est, ut tibi gratię & humanitatis aliquid sua bonitate largiãtur: Condono tibi & ignosco omnia: moneo tantúm, ut te colligas, atque hîc etiam Logicus tuus tibi nõ minús niger est quám Terentianus ille Phormio, his enim verbis comparas: ita nihil neque animi neq; corporis omisisti, in quo histrioniã tuã exerceres: Sed tamẽ

O formose puer, nimiúm ne crede colori:
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

ideóne superbis, quia

Fastus inest pulchris, sequitúrque superbia formam.

At amice, moneo te ut in verum speculũ (fortassis enim falsa quædã imago te decipit) inspicias, quo colore sis, imó potiús quo vultu, qua figura, quo corporis universi gestu, non solũ ut colorem tuũ tibi tam venustum retineas, sed ut frontis abjectionẽ, ut manuum in incessu rusticam agitationẽ denique ut reliqua corporis vitia, de quibus nunquam cogitasti, quoniam eloquentiæ professores reprehendere vis, ad exemplũ scilicet Demosthenis corrigas, & in Logico tuo, præsertim jã canescente, colorem virilem tuíque dissimilẽ ne scurriliter irrideas: & quamvis tibi tantopere placeas,

Parciús ista viris tamen objectare memento.

Verúm perge pulchelle. Folio decimo sexto Chrysippi sententiam repetis, de qua jam tibi responsum est: Vitia tua, si potero, non imitabor. Sed interea á Logico tuo irasci & maledicere nunquá desinis, quem dictitas nil in literis videre, talpam esse, & Dialecticam ejus velut é cælo missam cachinnaris: deinde ut monstrosam detestaris. Veruntamen heus, quænam ista libido linguæ, quæ intemperantia, quæ maledicendi licentia fuerit? nunquámne te respicies? nunquámne tui miserebere? nũquámne febricitare te senties? Sed (opinor) sequentia te excusant: miser & infortunatus semper es: furibus tua doctrina nimiúm patet. Logicus, ut ais, contagionis etymologiam tibi fúratus est. Vigila igitur acriús, ne tibi omnia tandem surripiantur. At istam contagionis etymologiam Logicus in prælectionibus primis habuit: & tu ab eo posteá in commentarium tuum transtulisti. An quia prior accusas, te jure superiorem futurum speraſti? Fallor equidem: Synesiũ & Alexandrum disputationis hujus gratiâ biennio legeras, duásq; idcirco paginas nobis vendi oportuit. O te hominẽ, ut gloriaris minimé logicum, miniméque dialecticum! Age, hinc celeriter effugiamus, ne forte nobis maledicentiæ tuæ febris contagiosa sit: Prætereo permulta, in quibus Logici tui prælectiones, satis errores tuos refellũt: Neq; hîc quicquam video præter convitiorum plaustra in tuum Logicum, cui letheam oblivionem objicis: quem Psitaci more verba non intellecta fundere scribis: quem insciũm, pertinacem, fœ-

dum

dum Ciceronis depravatorem, oculorum glaucomate laborãtem, magna voce tonas: Denique ad Augiæ ſtabulum, tanquam impuram pecudem aliquam alligas. O febris æſtum miſerum & miſerandum! quid enim hîc ad te monendum potiús tibi proponam, quám tua iſta bene & præclaré dicta? Neque enim adduci poſſum ut credam, extra febris ardorem res tam alienas unquam te animo cõcepiſſe. Sed in tot & tantis tuis probris, locum tuæ gloriæ proprium pené præterieram, & de quo tibi reſponſum nil eſſe, meritó conqueri potuiſſes. Bone Deus! cui ex obſoletis omnium authorum vocabulis, ſartago neſcio quæ Perſiana in buccam perpetuó veniat, repenté vno verbo Ciceronianus hîc factus es, & é libro Ciceronis tollis clauſulam (& operatur aliquid) quia (ais) in Cicerone verbum, operor, non reperitur. At inquam, Ciceroniane noſter, iſto loco reperitur, & in Aldinis libris, ne te ſolum diligentem typographum ſentias: Reperitur etiam in epiſtolis ad Atticum, ſicut etiam operatio: & alia ſunt in Cicerone permulta, quæ ſemel in eo leguntur: quæ ſi propterea tollas, violentus videare. Quid ſi verbum nullo apud Ciceronem loco reperiretur, an Ciceronianum propterea negaveris? Quám multa Cicero ſcripſit, quæ non reperiuntur in ejus libris? quám multa dixit, quæ non ſcripſit? quám multa ſcripſit, quæ non edidit? quám multa edidit, quæ vetuſtas abolevit? quám multa dicturus vel ſcripturus fuit oblata materia, quæ tamen nũquam dixit, nunquam ſcripſit? Quare iſta inficiatio propria eſt tuæ prudentiæ, propria eſt tuæ Lo-

gicæ. In hoc autem tuo in Ciceronem commentario duplici, de multis paucula judicio tuo Ciceroniana recognoſce, ut in poſterum Ciceroniani, qui dici volunt, te judicem Ciceronianæ puritatis habeant, Percrebruerat & increbruerat, opinor, in Cicerone non leguntur, aſperitas caninæ literæ nimis eſſet odioſa tam religioſis auribus: & tamẽ te non ſolúm authore, verumetiam typographo, commentarius ille primus excuſus eſt, ubi hæc á te dicuntur. Quãvis enim crebreſcere apud Virgilium legeris, tamen nec apud eum (ut opinor) nec apud ullum authorẽ probatum præterita illa legiſti (percrebruit & increbruit) quæ tu publicé ac palam, quamvis admonitus, attamen defendis. Secundo commẽtario cauſſas alias dicis externas, alias internas. Qui Ciceronianos ſe nominant, internum pro interiore, ut barbarum, é civitate Ciceronis ejiciunt: adoleſcentiam pro multitudine adoleſcentium, ut juventus uſurpari ſolet, in tuis ardentibus jurgiis poſuiſti: ſi locum in Cicerone ſignificationis hujus notaveris, nos etiam uno verbo inſtructiores efficies. Nam cúm Cicero adoleſcentiam procliviorem dicit, ætatem notat, non adoleſcentium multitudinem: Aliás ejuſmodi Ciceronianũ lexicon é libello tuo colligemus, cúm pauló plus erit otii. Sed me miſerum, quid ago, qui Ciceronis elegantiã in te requiro? Agé, doce in authore latino aliquo hæc reperiri, liberabo te: Sed tamen te perpetuó monebo, ut conſideres non ſolúm quid & de quo, ſed apud quos loquare: Vix enim loci unius reſtitutione, ut tu perſæpe loqui ſoles, ut ego, depravatione, probabis La-

bis Logicum tuum in Ciceronis lectione non esse versatum, ut tu jactas: qui tot annos Ciceronem publicé exposuit, qui tot in Ciceronē libros magna sui nominis commendatione (quod te solum dies & noctes remordet) jam publicavit. Hæc sané, si Logicam adversarii tui discere, quám ardorem & iracūdiam febris tuæ nobis ostentare maluisses, nunquam tam inconsideraté scripsisses. Multa (ut dixi) prudens omitto, quæ sine libro Ciceronis intelligere non possis, aliás cognosces, & febris inflammandæ, si voles, novam materiá capies. Diodorum tuum sæpe repetis, neque sententiam ejus temeré semel abs te defensam, oblivisci potes. Diligo te propter bonos & simplices mores tuos, ideoque cibū, quem semel non concoxeris, tibi sæpiús non reponam. Hîc nimiúm temporis consumimus: quid deinceps erit? Θεώρημα Cicero præceptum vertit, tu ex Victorii lectione perceptum reposueras: neque tamen licet admonitus, ab errore recedis, sed tribus paginis jactationem hîc valde ineptam habes: At percipere, discentis verbum est, ut præcipere, docentis: & doctrinæ atque artis præcepta dicuntur, nō percepta. Et Galenus in libro de optima secta, cúm quid Θεώρημα sit, explicat, ait non solúm verū & commodum, sed antecedentibus principiis consequens esse oportere: quod percepti non est, sed præcepti. Est veró valde ἄξιον, & te homine non Logico dignissimum, quód Euclidem primo commentario huc advocas, apud quem Θεωρήματα dicuntur: vnde Θεώρημα verbum vis esse mathematicum: Longé enim, ô mathematice noster, alia

sententia θεώρημα illic appellatur: quod tum disces, cùm mathematicas artes gustare incipies. Hîc generaliter accipitur pro quovis præcepto, ut apud Ciceronem ad Atticum: Accipe á me, mi Attice, καθολικὸν θεώρημα. Quare Ciceronis usitatam lectionem temeré tuo more Logicus tuus non mutat. Neque hîc solito quicquam modestior es: Logicus tuus ad nugandum & juventutem fallendum, Dialecticam didicit: in veris caligat: ignominiá & culpam depravatione redimit: literam Ciceronis adulterat: Quæ tibi verissimé nunc possum reponere, sed monere te malo ut resipiscas, ut febrem non accendas. Etenim si tibi glorioſum ducis, verba quædam in Ciceronis libris corrigere, cur Logicum sceleratum, impium, parricidá, clamitas, si quasdam sententias in Ciceronis scriptis impias emendet & corrigat? Quód si tuo isto judicio sceleratus sit Logicus tuus, sceleratus eodé judicio erit Divus Augustinus, qui nominatim istam Ciceronis impietatem acerbissimis verbis notavit ac damnavit, sceleratus Divus Hieronymus, sceleratus Divus Chrysostomus, sceleratus Divus Basilius, scelerati denique reliqui christianæ religionis Doctores, qui Ethnicorum philosophorum impias sententias acerrimé reprehendunt. Est veró operæpretium audire ab hoc homine non Logico, præceptum logicum, quid sit cõtorté dicere: Est, ait, in repugnantia per negationem argumentari, ut, Non sunt dii, nec significant futura. O Logicum admirabilem! Furti te libenter accusarem, ut hîc tam sæpe Logicum tuú accusas: A quo igitur definitionem hanc sumpsisti? Non

sti? Non enim Plato, non Aristoteles, non Chrysyppus aut Diodorus tuus istam te definitionem docuit: & tamen quisquis fuit, Logicæ tuæ similsimam habuit, qui in una sola enunciatione, sine assumptione, sine conclusione argumentationem statuit: longé enim alia res est Ciceronis illa conclusio, Non igitur sunt dii, nec significant futura: & tuum hoc enunciatum pro argumẽtatione positum, Non sunt dii, nec significant futura. Sequitur folio vicesimo quarto de Chaldæis, in quibus Logicus nomen etiam artis, non gentis tantúm interpretari potuisset. Esto, nihil enim tibi negabo in ista admonitione, quód justé concedi possit: Sed hoc solum in paginis tuis centum comperi, quod tu Logicus esse volueris, nequid præterea expectes: omnia sunt non Logici, omnia irati hominis, omnia denique febricitantis. Et tamen hoc ipsum artis, non gentis nomen Logicus tuus tibi indicavit, ut tu ipse, qui tam acutus Logicus es, furtum tuũ hîc nobis confiteare. Agé verò, hora nostra præterit, Diodoreæ febris intervalla sentis: quam Alexander Aphrodiseus anté jam medicus adhibitus sanare non potest, imó non vult: Aristoteleus enim (quod non animadvertis) hic homo est: unà cum magistro, Diodori impietatem condemnat: Cicero medicus alter adhibetur: At hic eodem morbo laborat, nihil proficis: ergo ad probra delaberis: Logicum appellas Tragœdum, Sycophantam, parricidam, qui sexagenarium patrem de ponte dejecerit, id est, ut tu antiquitatis Antistes sapientissime, interpretaris, de collegio. Vide quãti sit sapere! Erasmus,

ad hoc proverbium explicandum advocat Festũ, Marcellum, Varronem, Macrobium, Ovidium, Platonem: At si Turnebum tam scitæ interpretationis authorem forté fortuna audisset, sine dubio authores omnes illos, præ tam docto interprete contempsisset. Veruntamen novæ non sententiæ, sed calumniæ inventor, Varro proverbii tui honestam causſam (quam ignorasti) religiosamque patefecit: Cúm senes in quintum gradũ pervenerant, atque habebãt quinquaginta annos: tum denique erant publicis negotiis liberi atque expediti & otiosi. Ergo Logicus tuus, si vis, eum quem patrem appellarit, de ponte, ista honestate & religione dejecerit, quem tot annos summa liberalitate & pietate ad extremum vitæ diem aluit & coluit. Enimveró tu mihi prævaricator hîc appositus, judicio omnium, qui Logicum tuum norunt, videbere, cúm de collegio, ut tu loqueris, de gymnasio, ut hi qui latiné loqui cupiunt, mentionem facias: quód cúm desertum & solum ante ejus adventum fuerit, nullum tamen est hodie de tam multis Academiæ gymnasiis, quod celebritatis & frequentiæ, imó religionis & doctrinæ, vera fama, possit anteferri. Reditus dissipatos & abalienatos pené omnes comperit: diligẽtia, pecunia, omni denique ratione honesta restituit: imó (quod exemplum Paterfamiliâs liberûm tuorum causſa observare debuisti) duplicavit. Bursariis, id est, domesticis alumnis singulis fundator annonam in singulas hebdomadas solidos nostrates quinque dũtaxat instituit: Logicus tuus suo sumptu alit, vestit, & tanquam liberos instituit: qui

tibi ne aliquādo molesti sint, valdé verendum est. Ædificia propé lateritia, ut vera gloria gloriatus est ille de sua Roma, accepit: vides pro facultatibus non gymnasii, sed gymnasiarchi, quám pené marmorea pelluceant? Et tamen homo bonorū & modestorū hominum in ista febri dissimillime, gymnasium probri loco commemorare ausus es? O te, vt omnes mihi obstrepent, prævaricatorem nimis apertum! Neque enim hæc quamvis verissima, quamvis notissima dixissem, nisi maledicētiæ importunitate coëgisses. Tu veró quid simile tanti splendoris habes, quod in te vel impudentissimé mentiri audeas? Sed maledictis, & quidē incredibilibus abundas, Logicum tuum atheæ & impiæ Academiæ renovatorem clamitas. Quæ (malum) ista febris est? aut quorsum tandem eruptura? satísne sanus es? qui tantæ, tamque manifestæ impietatis capitalem hostem, tamen ut impium accuses? Diodorus dicit omnia futura necessaria, non futura, impossibilia: contingens quod possit & fieri & non fieri, nihil esse. Aristoteles inquam, ait istam sententiam impietatis plenam esse: negas, & ais Diodorum loqui de necessitate conditionali: Aristoteles inquam, respōsionem istam ineptam & ridiculam judicat, nec ista tua distinctione fucum sibi fieri patitur, quo pueros & non Logicos tui similes fortasse possis fallere: Cujusmodi & ille alter tuus fucus est, quód Diodorus vim enuntiationum interpretetur: Ridiculum enim est de contingentibus futuris id dicere, quæ Diodorus penitus tollat: Denique bone vir, quæ tu profers é Plutarcho &

Alexandro, Diodorũ imprimis condemnant: Et tamen iratus, parricidas & impios esse clamitas, qui huic damnatæ impietati non assentiantur. Calumniatores acriores & infestiores nemo unquá opinor, habuit, quám Logicus tuus: & tamẽ quoties publicé caussa acta est, morum integritatẽ & religionem sartam tectámque, vel prædicatione eorum, á quibus accusabatur, habuit. Et quidem te licet frementẽ & frẽdentẽ, verissimé tamen dicam, Logicum tuum, quem ista calumnia atheum describis, honestissimum Christianæ religionis & pietatis exemplum discipulis & domesticis suis esse: talem esse denique, non specie & simulatione, sed vita & moribus, quales qui patrum, majorumque nostrorũ religionem & disciplinam eximia observantia prosequuntur, esse maximé cupiunt. Et tamen hæc cúm ita sint, tu jam tertio opere impium & atheum vociferaris: Tua enim est illa, quæ nescio quot cõvitiatorum dicebatur, calumnia: tua eadem á recentiore calumniatore repetita calumnia: Et quia magnam laudem eos inde cõsecutos putasti, tandẽ tibi tuo libello vendicasti: ut te omnium maledictorum, quæ in Logicum tuum unquam conjecta sunt, architectum unum & solũ esse populus intelligeret. Enimveró vix jam reliqui quicquam facis, quod de te sperare debeamus: Ais tamen interdum in tanto febris ardore, tibi sententiã Diodori non probari: Quod equidem credere cupio: sed non vereris, ne iis qui te nõ perinde amãt, persuadeas, te tui Diodori more callidiús agere, qui verbo Fatum tollebat, reipsa tamen constituebat. Amo te, & amicos ac

fami-

familiares tuos monui & monebo, ut te á cauſſa tam nomini, imó animo tuo periculoſa abducant, præſertim cúm imprudens ejus patrociniũ ſuſceperis. Quare horulæ noſtræ rationem habeamus, ad alia pergamus. Non deſinis de furibus cõqueri: Hîc indicaſti tuo Logico locum Ciceronis in Epiſtolis, eumq; tibi furatus eſt. Malé veró ſit malis furibus, qui te tam ſæpe ſpoliãt. Ecquid? ſi Logicus eundem locum á ſe tibi priús indicatum eſſe dixerit, quid facies? quomodo te defendes? Prior ſummas rerũ totas expoſuit, unde facile fuit partes deducere: & tamen (quod ſciam) te furẽ nunquam appellavit, quamvis omnes hiſtorias, cæteraque omnia, quæ habes, ab eo nominatim ſumpſeris. An tibi, ut reſpõdiſti adverſus illum, libri cõmunes erunt, illi cõtra te nihil erit permiſſum? Cavillaris, ſophiſtã, oculeum totum, velut Argũ appellas: extremé etiam ſtultũ, quod cõcoquere, pro perſuadere & probare expoſuerit. Pauló póſt etiã hiſtrioniam Palatinã, tanquã Domitiani Latinus agis, cúm perfugia Logico tuo, latebras, ſermonẽ etiam venuſtatis tuæ exercẽdæ gratiâ affingis: imó veró, ut opinor, id totum commẽtus es, ut uſuarii verbũ in oratione tua poneres: ideoq; te leguleium verbo uno faceres. Sed quám tota hæc hiſtrionia Patrem familiâs non decebat? quãtó minús Regium profeſſorem? Pergis tamen ridere tuũ Logicum: Ruſticum, impudẽtem, incertum, hebetẽ dicis, quód Fortunam in cauſſis numeret: Et neſcis ab Ariſtotele, á Platone numerari: obliviſceris etiam á te ipſo idem anté dici. Verba phyſicorum valdé inſcienter uſurpas, cúm

fortiter diſputas de nihilo aliquid fieri ab Epicuro, quód declinationis efficientem cauſſam non certam, ſed fortuitam faciat. Etenim, Phyſice noſter, de aliquo fieri dicitur, quod de ſubjecta materia fit: ab aliquo, quod ab efficiente oritur: hîc tu quod materiæ eſt, ad efficientem transfers, & te in hac doctrina planè plumbeum eſſe doces: Quid deinde? Ecquid inquam, niſi probra & cõtumeliæ ab iſto probrorum & contumeliarũ magiſtro? Quiritando vocas Logicum tuum falſi approbatorem, vecordem, elephantis corio tectum, cæcum, ſtupidũ, nuſcitioſum, oblivioſum, perridiculum: ad ſtivam etiam amandas: & ſimilibus (quæ colligere omnia vix poſſum) iracundiæ tuæ flagellis verberas: ut jam tibi nomẽ non modó non Logici, ſed maledici meritó vendicare poſſis, qui utroque genere ſic excellas. Fures perpetuó moleſtos habes, & hîc clamas motus Epicuri tibi ſurripi: De iis jam reſpondi, te furem in furto ipſo deprehendi: In commẽtario enim illo, quem apud typographum tuum fuiſſe dixi, motus iſte modó tuus Epicuri triplex, á Plutarcho citatur, κατὰ πάθμλιν, κατὰ παρέγκλισιν, κατὰ πληγὴν quæ verba convertis, ad lineam, per declinationem, ex plaga. Redde autem mihi rationem, græcæ linguæ profeſſor, cur illud κατὰ in eadem re & ſententia tam diſſimiliter convertas. Niſi talis phyſicus eſſes, qualem te Logicum profiteris, dixiſſem motus illas ſpecies ponderis, declinationis, plagæ, ut Cicero loquitur: ut autem verba ſingula redderes, dixiſſes ſecundum pondus, ſecundum declinationem, ſecundum plagam. Sed homo ſapiens

&

& in physicis summo studio versate, quia στάθμη & pondus & lineam significabat, judicare non potuisti, utra significatio convenientior esset, quia Logicus tuus vertebat στάθμιον, pōdus, inscitia sententiā ab eo inquinari scripsisti, lineam maluisti, tanquam declinationis & plagæ motus ad lineam aliquam rectam vel obliquam non fieret. Perge, graviora nobis reliqua sunt, & angustia præscripti temporis urgemur: Diodorus febrem ardentiorem hîc inflammat: Logicus tuus necessariorum eventorum necessarias causas esse dicit: At tuus Diodorus omnia futura necessaria esse confirmat. Quid hîc respondes? conditionalem necessitatem reponis, jam toties ab Aristotele repudiatam: Et speras molestia & importunitate probari cuiquam judici posse, quod omni ratione jam damnatum sit? Et tamen ais pagina sexagesima: Quod in futuro verum dicetur, eveniet necessario. « Heus optime & amicissime, heus inquam « optime, id falsum, id impium esse, jam toties tibi dictum est: Multa enim in futuro vera dicentur, quæ non evenient necessario: Tu contrà scribis, Eveniet necessario: & tamen non est ne- « cessarium, ais. Mitte oro te, ista consectaria nimiùm Diodorea: omnino & omnino & prorsus ac prorsus quæ conturbas á Theologis, quos non plus intelligis quám Logicos, Mathematicos, Physicos: Diodoream impietatem nihil adjuvāt: sicuti neque Plutarchus, Alexander, Cicero: Et nescio quo modo á febre tua vexatus, sceleratissimum, impurissimum, impietatis magistrum clamitas, si quis affirmat verorum necessariorum ne-

ceſſarias eſſe cauſſas: Deus omnipotens miſereatur tui, & tantum tibi morbum adimat: humanus ſiquidem medicus vix adimet: Furor hic animi eſt, non ardor febris. De Archonte furatus ea es, quæ dicis, é prælectionibus tui Logici, & tamen videri vis eum reprehendere. Prętereo hîc quædam, quibus in prælectionibus ſatis refutatus es: Diodorum tamen omittere non potes: hæc perpetua tui morbi cauſſa eſt: Chryſippi Logicam diſceptas, ut omnia alia: De hoc etiam ſatis in prælectionibus tibi factum eſt. Interea modeſtiam tuam perpetuó retines, cúm Logicum inſanire, Cæſarem neſcio quem, mente captum, ventilatorem agere pronuncias. Rides quód Logicus tuus dicat lineam, perpendiculum, normam mathematicorum vocabula: At Mathematicè noſter, qui in theorematis verbo mathematum poſſeſſiones augebas, qua tandem invidia nunc imminuis? Hoc peccatum Grammatico condonandum poſtulabis: Intelligo, & ignoſco, & ſi quando mathematicas, ſicuti Logicas artes deſpicere deſieris, tum diſces ab Euclide quid ſit linea, quid perpendiculum, quid norma. Sed tamen Logicus tuus ad mathematicas artes magno ſtudio aggreditur, & hîc tu domino tuo fidem ſancti illius fœderis præſtare non poteris: Logicum enim qua ratione in mathematicis homo minimé omnium mathematicus reprehenderes? aut qua tandem fronte opera illius & monimenta (ut in hoc libro feciſti) tibi vendicares? plorabis, opinor: & ut Tigris ereptis catulis á venatore in navem regreſſo irrita feritate

fævit

ſævit in litore : ſic tu Logicum in altum longiſſimé invehentem erepta tibi juratæ reprehenſionis facultate in litore deſertus fruſtra ad ravim clamando, ut tu ais, & tanquam runcando inſectabere. Cupiebam te & doctum & eruditum hominem admonere, ſed video mihi adverſarium de induſtria δόγμα, qua autem de cauſſa, neſcio, mathematicarum etiam artium prorſus imperitum, qui neſciat lineæ & perpendiculi definitionem in elementis mathematicis doceri, qui neſciat normæ faciendæ etiam rationem illic inſtitui : & tamen qui in Timæo Platonis explicando velit omnibus artibus inſtructus videri, dum é Procli commentario ſapit, & quæ non intelligit, diſcipulis ſuis exponit. O profeſſorem veré Regium, vel potiús divinum! Redeamus : Diodorus nimiúm diu te cruciat: excute quæſo ex animo hunc philoſophum, qui fortaſſis ideo tibi moleſtior eſt, quód indignetur philoſophus Logica clariſſimus, á patrono Logicæ non modó ignaro, ſed contemptore, tam inconſtanter defendi : Nullum in Academia Pariſienſi puerum eſſe arbitror, qui ſex menſes Logicis operam dederit, quin te facultate judicii facilé modis omnibus vincat, quin prudentiús judicet & concludat : In Cicerone ſyllogiſmus ille, in quo Fatum aſſumitur, & te inſciente confirmatur, in oculos tibi incurrebat, niſi de induſtria non Logicus eſſes:

Si fatum tibi eſt ex hoc morbo convaleſcere, ſive tu medicum adhibueris, ſive non, convaleſces;

Item: *Si fatum tibi est ex hoc morbo non convalescere, sive medicũ adhibueris, sive non, nõ convalesces:*
Et alterum Fatum est,
Medicum ergo adhibere nihil attinet.

Hoc etiam ut nunc demum videas in suas partes distinctum, ante oculos posui: homo opinione tua acutissime, in tanta luce syllogismum nullum vides: ἀργὸν λόγον á Cicerone concluſum hîc etiam
» non intelligis, sed ais, Hac autem puto formula
» syllogismus connectebatur: Si est Fatum, nihil
» est agendum: quis enim actioni locus relinqui-
» tur? Agendum autem est: Non est igitur Fatum.
» Hic syllogismus tuus est, heus amice non Logice, non autem Ciceronis. Jam verò qui superiorem illum syllogismum esse nescis, quomodo tandem hunc agnoscis? deinde quomodo syllogismum hîc nobis exponis, qui antea omnem syllogismorum artem in Germanis & Gallis irriseris? O me ipsum simplicem, qui de syllogismo adversus hominem sponte tam asyllogistum disputo! λόγος παρὰ τὴν εἱμαρμένην ὀνομαζόμενος, ratio præter Fatum abs te vertitur: ad Fatum si dixisses, melius reddidisses: Sed Plutarchus contra te faceret, ut facit, ut etiam Seneca & Origenes totis paginis duabus á te citati, te ipsum imprudentem oppugnant, ex quorum testimoniis constat, per ignavam illam rationem Fatum cõstitui: Illud verò cùm ais (Logico tuo mẽtem malo carmine ademptam) quàm miserè totam judicii tui egestatẽ & inopiam traducit? Cicero sic loquitur, Si ex æternitate falsum hoc fuit, Ex isto morbo non convalesces, sive adhi-

adhibueris medicum, ſive non adhibueris, non convaleſces: Logicus tuus id veré reprehẽdit, negationem é poſtremo enunciato tollit: Nam ſi illa negatio ab æterno falſa fuit, Ex hoc morbo non convaleſces, certé quæ cõtradicit affirmatio, Ex hoc morbo convaleſces, vera fuit: Hîc homo ſimpliciſſime, aliis mentem adimis, qui nullam prorſus habeas? Heus inquam amice, quamvis neque logicus eſſe, neque dialecticus haberi velis, attamen ad punctum temporis, logici & dialectici hominis mentem ſuſcipe: Cõtradictionis pars utraque ſimul eſſe vera non poteſt, ſed altera tantúm. Hoc principium, Ariſtoteli eſt principiũ principiorum: Tu non convaleſces, Tu convaleſces, contradictio eſt: Ergo ſi vnum verum, reliquum falſum. Ergo ſi falſum eſt, Non convaleſces, verum eſt, Convaleſces. Hîc ego ſi clariſſima pręconis tuba liceret, omnes logicos, omnes dialecticos contra te excitarem, ut te tenerẽt, qui contradictionis negatione poſita, neges affirmationem veram eſſe: imó qui dialecticæ hujus veritatis aſſertores appelles inſanos & furioſos, fuſtibus etiam ſervilem in modum multandos (verba enim hæc ſunt choleræ tuæ) atque hunc errorem, ut audio, tam ſtolidum palam ac publicé non modó defendis, ſed tanquam in Logicum, criminoſum magnificis verbis extollis: Tibi igitur quid mitius vis faciam? refero tantúm petulãtiam convitiorum tuorũ, & ante oculos tibi propono, ut te colligas, ut reſipiſcas, ut contumelias tuas tam iniquas & perditas agnoſcas. Deus tibi det rectam mentem, ut velis tandem logicus

esse, etiamsi dialecticus haberi nolis. Sed antea cúm illum, parricidam, sceleratum, impium desperata oratione nescio qua diceres, valdé ac vehementer morbum animi tui declarasti: hîc autem Cardinali amplissimo labem & maculam á Logico tuo aspergi, non majore mentis sanitate contendis: Ista pervicacia & protervia nimia est, quæ antea tuis commilitonibus (sic enim maledicentiæ tuæ socios appellemus) nihil aliud profuit, nisi ut quales essent, tales agnoscerentur: Attamen per mihi molestum fuerit, si fructum hujus orationis aliquando percipias. Persuadebis tandem aliquando te omnium turbarum quæ antecesserunt, non modó adjutorem, ut omnes intelligunt, sed authorem extitisse: Nulla enim maledicta, nullæ contumeliæ, nulla convitia in Logicum tuum conjecta sunt, quæ jam non satis constet é tua officina prodiisse. Et certé cúm omnia in hanc disputationem congregaris, testificaris tua esse. Orbis terrarum intelligit qualis Logicus tuus sit: & quidem argumẽtis (quod tibi stultæ hujus invidiæ argumentum unicum est) longé gratioribus & illustrioribus, quám velles: Libri Logici tui, tota Gallia, Germania, Italia, Hispania, Anglia, laudantur & celebrantur: tu nitedula é vepreculis extracta, si illum arroseris, te putas clariorem futurum? Ista veró neque virtutis, neque laudis via est. Sed Diodorus te requiescere non sinit, nullum Fatum tibi constituit: Negat Aristoteles, & toties jam magno tuo dolore tuum Diodorum condemnat, ut nisi jam idem dicendi & repetendi finem facias, ego tamen respondendi

finem

finem ſim facturus: Iraſceris etiam aſſidué Logico, calumniam objicis, quæ contra legem Lectoriam ad circunſcribendam, fallendam, inducendam adoleſcentiam (hoc enim verbum é Ciceronianis tuis unum eſt) tota comparata ſit. Vecordiam exprobras, tarditate & inſcitia Epicuro comparas: Hæc tua bene & modeſté dicta non refellendi cauſſa tibi reponam, ſed ut recorderis in ſtultiſſima & falſiſſima cauſſa quid dicas. Nam de re, prælectiones Logici te ſatis admonent: Ariſtotelem non credis dicere futuri contingentis enunciationes nondum veras aut falſas: Quid mirum, ſi non credas? Ariſtotelem enim tantum Logicum homo non Logicus nunquam legiſti, aut ſi legeris, intelligere non potuiſti. Si quando legeris & intellexeris, locus de futuro contingenti id te docebit, ubi dicitur contradictionis in futuro contingenti partem neutram eſſe ἢ ἀλήθη, ἢ ψευδῆ. Hoc peccatum tibi condonandum eſt, & condono, quia non logicus Logicam ſcire non potuiſti: Sed moneo te jam perpetuó, ut adverſarium Logicum ne laceſſas. Diodorus perpetuus tibi in mente atque in ore eſt. Fac (ais) hanc enunciationem veram eſſe, Cras ambulabis: cras igitur ambules oportet: Iterum (ais) Si verum eſt, cras ambulabis, cras ambulare te neceſſe eſt. Falſum inquam, impium inquam, heus quoties id dico adverſus hos tuæ febris æſtus perpetuos? nihil hîc oportet, nihil neceſſe eſt, quia liberum & voluntarium eſt, homo ſimpliciſſime (nec enim poſſum in re tam gravi non paululúm commoveri) Homo inquam, non dico ſolúm Logica

(quoniam id glorioſum ducis) ſed communi ſenſu prorſus deſtitute, quid hîc agis? præſcientiam Dei allegas, ut verorum futurorum neceſſitatem comprobes: At Logicus tuus Divum Auguſtinũ contra iſtam impietatem in Carneade tibi allegavit, qui conſequentiam ut impiam condemnat: Verum, ergo neceſſarium. Deus præſcivit: Ergo certum: ergo exploratum: concedit Auguſtinus. Ergo neceſſarium: Id veró pernegat. Tu Logico tuo furatus es omnia alia quę de Divo Auguſtino citaverat, id unum oblitus es, aut potiús veritus es: Diodorus enim tuus Logica illa prorſus & omnino afflictus jacebat. Sed neceſſitatem diſtinguis: audio inquam, & ſæpius quám te, ſi ſaperes, dignum fuit. Per mihi mirum eſt theologum te videri velle, qui Logicus eſſe nolis, cúm moribus & inſtitutis Academiæ noſtræ nullus ad theologiam admittatur, qui non ſit in logicis diligenter & accuraté verſatus. Perge, febris excuſetur. Eloqui, non eſt tibi oratorium verbum: quid mirum homini non logico? Defendis in Chryſippo Tullium: de hac inconſtantia, jam dixi, ne me tui ſimilem facias. Sed Plutarchus hîc nobis audiendus erat: & inde perridiculum nobis Lexicon duabus paginis accumulas, quid ſit ferire medium: Item quid honorarium: quid arbitrium. Sed interea Logicum non deſinis laudibus ſolitis ornare: hebeti mẽte & obtuſa, vecordi, inſana, facis. Revolvitur orbis Diodoreæ febris, cujus ſententiam Logicus tuus nunquam, ut ais, intelligit, quia nullum authorem, nullum teſtem profert: Cum de Grammatica agitur, ô amice, iſta teſtium & authorum

rum valent argumenta, ut cúm dixiſti in præterito (percrebruit, internum, adoleſcentiam, pro multitudine adoleſcentium) ſi Ciceronem, Tetētium, aut probatum authorem teſtem produceres, obtineres ſané: Logicorum aliæ ſunt leges, alia Reſpublica: teſtimonia omnium argumentorum poſtrema judicant, imó vocant ἄτεχνα, id eſt, ſine arte: Tuus ergo Logicus Diodoream ſententiam urget & premit cauſſis, & validorum argumentorum ponderibus & momentis, iſtas authoritates, inanes præſertim & contra te, quas laboribus & vigiliis integri biennii quæſiſti, deſpicit: Adducis poſtremum teſtem Epictetum, qui tamen neſcire ſe dicit utrúm Diodorus tuus rectè ſentiat, necne. Quid igitur miſer & miſerande non Logice facis? quid nobis perſuadere vis? Nam ſententiam Diodori, teſtimonia omnia quę comparaſti, refellunt, potiús quàm confirmant: Quid igitur? Adrianum Turnebum variæ lectionis eſſe, locus iſte teſtificari ſcilicet voluit, qui tot authores legerit. Eſto, id habeas: ſed ad eulogium tuæ laudis adde, qui ſine judicio, ſine Logica, ſine ulla ſalis aut prudentiæ mica legerit. Et inflatus hac ſtulta doctrinæ opinione vociferaris tuum Logicum omnium doctrinæ profeſſorum poſtremum. Tibi teſti inimico, irato, febricitanti non credetur: alias rationes conquire, ut vincas, iſtis victus es. Ploras & ingemiſcis tandem, & totus ad maledicta confugis: Logico impietatem, impudentiam, calumniatoris conſcelerati opinionem objicis, qui os impudens & maledicum rabie quadam effreni in bonos omnes & doctos efferveſcens, ſemper furioſè ſolve-

rit: omnium post homines natos audaciſſimum & indoctiſſimum facis: Verba tui pudoris iſta ſunt, homo omnium hominum tuo judicio modeſtiſſime & doctiſſime: Quæ ſi per intervalla quædam febris dilucida liceat, meditabere, & choleræ tuæ tam horribiles vomitus intuens aliquando perhorreſces. Verumenimverò Euclidem etiam defendis, qui antea tamen confeſſus es te neſcire, quid ab eo diceretur, cùm lineam, perpendiculum, normam, mathematicorum eſſe negaveris: Hîc Logico infamiæ, quam tua ſententia meretur, propter mathematum illuſtrationem, mercedem perſolvis: & animi febricitantis impetu de ſuggeſtu præcipitem exturbas. Seditioſi verò animi hoc indicium magnum eſt, ut ſi tantùm poſſes, quantùm velles, certé reipſa perficeres, quod verbis modò ſignificaſti. De methodo etiã quamvis non logicus, attamen præcipis: Agedum Logice non Logice, materies iſta clara & nobilis eſt, in qua Logicæ tuæ nervos intendas. Scripſit Logicus tuus libro nono Animadverſionum, adverſus Galenum, ſed quem pluribus laudibus, ſicuti totum medicorum ordinem affecerit, quàm tu tuum Logicum contumeliis tota diſputatione affeciſti: Quare moneo te, ut de ordine artium (quia profeſſor ordinarius es) Galenum defendas, & in artibus vias una plures eſſe convincas: majus ſanè id tibi futurum eſt, quàm Diodori pietatem Logico tuo probare. Tandem flammas ardoris
» tui videris concludere, cùm ais: Quæ eſt hæc li-
» centia, homo omnium quos unquam noverim,
» indoctiſſime? arrogantia intolerabili & faſtidio

ſuperbo

ſuperbo elatus, ſic per authores, ut vaſtitas, peſtis, «
calamitas graſſabitur? His enim honorificis lau- «
dum titulis Logicum tuum celebras: & quamvis ſine pudore, imó ſine ulla tui commiſeratione febricitans effuderis, referre tamen puderet, niſi te monendum de tam projecta licentia ſuſcepiſſem. Sed rurſus, ut antea, Logico ingenium & judiciũ detrahis. Defatigatus ſum ſanè monendo: Sed heus Turnebe, an quia iratus es, an quia, ut videris, atrociter invides, ideo qui hæc audient, iram & invidentiam tuam ſecuturos putas, non potiús de te, quid ſentiant, judicaturos? Illis judicibus, non tuis affectibus ſervire te oportuit. Ad ſcopulos Diodoreos neſcio quo infeſto vento ſemper ejiceris, & religioſam illam ſententiam, quamvis non probes, tamen defendis, & logicum παράδοξα ſchola tuæ Logicæ novum facis: Impoſſibili (ais) omnia ſunt conſequentia: opinor, Si homo eſt animal non logicum, homo eſt profeſſor Regius: Illud enim impoſſibile eſt, quamvis tu de te neges, & ideo ſecundum eſt ei conſequens. Amice, amice, amice, ſi pueri Pariſienſium ſcholarum iſtud audiant, ilicet, actum eſt, periiſti: Si homo beſtia eſt, homo ſapit, conſectarium ex tua Logica eſt: at quám ἄτοπον, quám ſcholis omnibus Logicis irridendum? Iſta Logica didicimus antea ex te quid eſſet contorté dicere: Docuiſti nos eadem Logica contradictionis utramque partem ſimul eſſe veram: tertia doctrinę acceſſio nunc facta eſt, impoſſibili omnia eſſe conſequentia. O magiſtrum Regia Logicæ profeſſionis cathedra digniſſimum! I nunc, & plaudentibus diis atque ho-

minibus prædicato te neque logicum esse, neque dialecticum haberi velle: Hic sané titulus tibi omnium consensu tribuetur: omnibúsque probris Logicum tuum afficito: non modó æquo & facili, sed lubenti tidentíque animo audiet. Sed perpetuó Diodorea febre vexaris: Quæris quid Diodorus habeat cum impia fraude conjunctum: Respondit jam tibi toties Aristoteles, heus, heus inquam: dormitare enim te, non febricitare solúm suspicor, qui nihil adhuc audieris: & verendum est, ne frustra tam surdo respondeatur. Diodorus tollit futura contingentia: ergo Fatum constituit: Hoc tibi respondet Aristoteles: Tu contra Aristotelem dicis, á Diodoro verborum vim explicari, voluntates liberas relinqui, At Aristoteles hunc fucum deridet, quo tuam orationem perpetuó adhuc fucasti. Diodorus re tollit arbitrium hominibus, verbo relinquit: Falleris mi Turnebe, Aristoteles Logicus est: nunquam his tam ineptis præsertim & insulsis verborum nugis & fallaciis se decipi sinet: Sed iracundia tua tibi pro Logica perpetua est: Logicum tuum, simiam appellas: mox pro tua summa lenitate, multa remittis & condonas: furiosum tamen in ista lenitate Logicum nominas. μώλωπα, vibicem vertis: Logicus stimulum mavult: ἀποῤῥιννήματα, scobem dicis, ille facem: & in ista interpretatione verborum, te grammaticum, non Logicum, non judicantem quid conveniat, irridet: Fortunam hîc etiam é caussis tollis: Quoties inquam, quoties ista morbi accessio repetitur? Logicum tibi non assentiente, magum esse clamitas: Verum dicis, Plato magus est,

est, Aristoteles magus est, omnes Logici magi sunt, qui fortuitam aliquam causſam esſe dicunt: Imó nun Logice noster, magus etiam es, qui antea tam sæpe fortuitas causſas dixisti. De iracundia tam atroci nil remittis: Logico tuo nullus hostis veritatis capitalior unquam, neque juratior fuit, nullus ignorantior, impudentior: Denique quinque paginis extremis perpetua maledicentia tua est: Infamiam judiciorum, damnationes, procacitatem, intemperantiam, ignorantiam recitas: sacrilegia, parricidia, monstra nescio quæ in eo obtrectas: Et opinor, nisi ravis tot convitiis contracta, vel fatigata potiús & fessa tibi spiritum intercluſisſet, Logicum tuum his telis tam venenatis præsertim necaviſſes. Superis igitur habeo gratiã, ravim istam Logico tuo tam salutarem fuiſſe. Verumenimveró non Logice noster, qui tam acutus es in Posidonii, Chrysippi, Diodori maximé, aliquando etiam Epicuri sententiis disceptandis, cur in Carneadis impietate magis, quam piscis mutus es? Scio: Divus Augustinus á Logico tuo citatus, & Carneadis, & unâ Ciceronis impietatem veriſsimé & constantiſſimé damnavit: Nec tamen, opinor, Logica sanctiſſimi viri te commovit, sed authoritas: Et tamen in Chrysippo & Diodoro, mutato tantúm nomine, Ciceronem impium non esſe fortiter defendis: Ecquid autem, si Divus Augustinus etiam in Chrysippo & Diodoro tuo eandem impietatem damnaverit, quo tandem cõfugies? quid te misero fiet? Verúm non terrere, sed consolari & monere te statui. Hora mea jam penè præteriit, & hîc etiam admonitionem meam

concludam. Adriane Turnebe, Audomarum Talæum, ut ſcurra valdé agreſtis, tanquam morbidũ mancipium cachinnatus es: Pro eo perpetuam valetudinis proſperitatem tibi & familiæ tuæ deprecatus ſum & deprecor: Sed adhuc niſi animo non ægrotus, ſed mortuus es, intelligere potuiſti, quorum & quám ſtultorum animi morborum, & quám miſerabilis ſervus es. In tota diſputatione omnino nihil habes, quod quiſquam etiam tui ſtudioſus ſaltem excuſare poſſit. Et ſi ſine contumelia reprehendiſſes, utcumque ferendus eſſes: Veruntamen (Deum immortalem!) libellus tuus non eſt famoſus, non probroſus: ſed infamia perpetua, ſed perpetuum probrum. Logicum tuum clamitas eſſe furem, ſuperbiſſimum, arrogantiſſimum, indoctiſſimum, contemptorem Regiorum mandatorum, Senatuſconſultorum violatorem, hebetem, tardum, inertem, ſine ingenio, ſine literis, ſine judicio, imperitum linguæ græcæ, immanem, intemperantem, Tireſiam captum oculis, nugatorem, fœdum depravatorem authorum, miſeré & perdité ignarum in temporibus & rebus omnibus, Pſittacum, pertinacem, Augiæ ſtabulũ, vecordem, elephantis corio tectum, ſtupidum, aratorem, tragœdum, ſycophantam, ſophiſtam, Argum, ruſticum, impudentem, inſanum, ventilatorem, ſceleratum, fanaticum, lynceum, inſolentem, fuſtibus ſerviliter multandum, calumniatorem, importunum & conſceleratum, noctuam, ſuem, vanum, infantem, ſui Mecænatis labem & maculam, tarditate & inſcitia Epicuro ſimilem, audaciſſimum, rabie efferveſcentem, vaſtitatem, peſtem,

calamitatem,

calamitatem, ſimiam tragicam, magum, capitalem veritatis hoſtem, ambitioſum, procacem, ſacrilegum, parricidam: Denique extra te poſitus, odio flagrans, etiam é cathedra præcipitem exturbas: Et ne infinita perſequar, quæ nova ſemper habes, ut atheum accuſas. Hi ſunt modeſtæ & verecundæ diſputationis tuæ terribiles (ut jam dixi) & horribiles vomitus: ut tandem aliquando ægrotare te ſentias.

Ira, furor brevis eſt, animum rege: qui niſi paret,
Imperat: hunc frænis, hunc tu compeſce catena.

Verúm hic morbus biennium, imó ſi prima origo repetatur, decennium durat. Conſidera quænã bilis iſta ſit, flaváne an atra: quæ cholera, qui peccantes humores, & ex iis morbi genus agnoſce: Sanabo te, ſi monitionem meam audies, quamvis ſis valdé κακοστόμαχος, κακόχυμος, imó etiam κακόψυχος. Cauſſa & origo tui mali eſt á neſcio qua tui de te nimis ampla & magnifica opinione. Meminiſti jam tum, cúm ego in Dormano gymnaſio, primo ordini præeſſem, tu in Barbarano, qualis fueris: Succeſſeras induſtriis & in exercenda juventute diligentibus doctoribus Jacobo Strebæo, Joanni Pino toto anno illo variam authorum correctionem & lectionem oſtentaſti: Epiſtolæ, orationis, poëmatis thema nullum omnino dictaſti, nullum emendaſti: & tum faſtus ille tuus curtæ ſupellectilis mihi ſuſpicionem neſcio quam attulit, non nolle te, ſed non poſſe: Atque ut conjectutæ meæ periculum facerem, cúm diſcipuli mei cum tuis diſputarent, monui de meis unum, ut poëma ſuũ tibi corrigendum recitaret: in quo de induſtria, ut

doctrinam tuam experiretur, multa peccaverat: Tu, pro ista singulari pudentis & quodammodo incorruptæ virginis verecundia, omnia probasti & laudasti: Morbus hic in aliis postea gymnasiis te nunquam dimisit: Imó, ut antea jam monere cœpi, in Regiam usque cathedram comitatur: Grammaticam Græcæ linguæ nullam adhuc explicasti, nullum nomen declinasti, nullum verbum conjugasti, nullam Syntaxim declarasti: thema discipulis tuis nullum proposuisti: nullum græcé vel loquendi vel scribendi exemplum dedisti, qui tamen Græcæ linguæ professor es: Neque enim hîc de versu aliquo, ut in Logico tuo facis, imó neque de scena aut actu, sed de tota professionis tuæ fabula te moneo. Academia multos sapientes & bene moratos gymnasiarchos habet, qui in gymnasiis doctorem, vel gratis hoc modo prælegentem, ferre tamen nullo modo possent: Te quomodo putas diutius tantam mercedem impuné percepturum? Academia, vivo Tusano, Græcos duos professores habere dicebatur, Grámaticum unum, Oratorē alterum: Habere nunc dicitur, qui Grammatici stipendio successerit: qui autem grammaticæ professioni successerit, eam non habere publica cōquestio & expostulatio est: Logicus autem tuus (quem eloquentiæ & philosophiæ professorem tot locis & tam vehementer livore misero ringeris) juventutis exercitatorem in utraque muneris sui parte se perpetuó præbuit: & eum usuarium ideo magnæ laudis probro appellas. Quamobrem ut admonitionis meæ remedium concludam, á Diodorea impietate,

quoniam

quoniam rogas, te libentissimé removeo: Absit enim ut Logicus tuus de te quicquam tale suspicetur: Amat enim te, quamvis te illius odio flagrare clamites. Sed per Deum immortalem, per Academiæ (in qua Regius professor es) dignitatem, te hortor & moneo: imó si pateris, te oro & obsecro, ne verum iter gloriæ putes esse, bonis & doctis, & Reip. commodis viris tam insolenter obtrectare. Horæ diei omnes tibi sunt cum Logico tuo communes, vigila, contende, labora, ut officio docendi præstes & excellas: Grammaticam abs te diutius efflagitari non sinas: græcé quotidie loquere & scribe, discipulis tuis græcé & loquendi & scribendi materiam propone, corrige ubi peccaverint: excita, incende. Logicus tuus á multis amatur & colitur, quia multos ad eloquẽtiæ & philosophiæ studium incendit, quia formát, quia fingit, quia docet denique & exercet. Jucunda (mihi crede) & veré popularis est de doctoribus ista discipulorum oratio. Hic doctor me ad virtutis amorem excitavit, mihi doctrinam suam liberaliter impertivit: nunquam laboris in meditando, ediscendo, agendo, quicquam nobis imposuit, quin exemplo præiret & tanquam lumina præferret: ipse cúm in docendo diligens, tum in exercendo nunquam fatigatus. Hoc quanti putas esse ad hominum famam atque voluntatem? Tu de te nihil adhuc ejusmodi sperare potuisti, ut discipulorum tuorum sermones audires. Quod græcé loquimur, quod græcé scribimus, Adriani Turnebi magisterio debemus, cujus ex ore, cujus é scriptis, cujus é dictis & exemplis græ-

cæ orationis elegantiam hauſimus: Hanc inquam, laudis vocem audire nondum potuiſti. Perficito igitur ut quamprimùm audias: ſimulatque cœperis, mutatos hominum animos repentè ſenties: famam verò nominis & gloriam maledicendo nunquam parabis: Grammaticam græcam doceto, uſum in græcis oratoribus & poëtis exerceto, exemplum boni illius, & nunquam ſatis pro tanto merito laudati Tuſani revocato: benevolentiã, charitatem, obſervantiam omnium mortalium in te mirabilem inſolita animi lætitia percipies. Sed clepſydra exhauſta eſt.

Valeas igitur in Domino mi Adriane Turnebe, & requieſcas in pace.

Amen.

PETRI RAMI ET AUDORI TALÆI, PRÆfationum, Epistolarum, & Orationum, hoc volumine contentarum, Elenchus.

GRAMMATICÆ præfationes Petri Rami v. folio 1.

RHETORICÆ præfationes ejusdem P. Rami, & Audomari Talæi VI. fol. 19.

DIALECTICÆ præfationes P. Rami VIII. fol. 36. quarum octava est Talæi.

PHYSICÆ præfationes P. Rami III. fol. 69

Totidemque philosophiæ. fol. 86

MORALIS philosophiæ præfationes III. nempe.

1 Talæi in primum Arist. Ethicorum. fol. 86

2 Rami de moribus veterum gallorum. 87

3 Ejusdem de Cæsaris militia. 89

ORATORIÆ & philosophicæ præfationes XIII. scilicet.

1 Rami de conjungenda eloquentia cum philosophia. fol. 90

2 Ejusdem in epistolas Platonis. 98

3 Talæi in tres libros de Oratore. 101

4 Ejusdem in Topica. 105

5 Ejusdem Academia. 107

6 Ejusdem in Lucullum 135

7 Ejusdem in Paradoxa. 138

8 Rami pro Caio Rabirio. 140
9 Ejusdem in Agrarias. 143
10 Ejusdem in Catilinarias. 149
11 Ejusdem in librum de Fato. 152
12 Ejusdem in Somnium Scipionis. 158
13 Ejusdem in Ciceronem de Legibus. 161
MATHEMATICÆ præfationes Petri Rami IIII. fol. 166

Petri Rami, eloquentiæ & philosophiæ professoris Regii, Epistolæ XVI.

1 Petrus Ramus Senatui Bononiẽsi. S. fol. 193
2 Ejusdẽ ad Papiũ Bononiẽsem responsio. 196
3 Jo. Monlucio Valentinorũ Episcopo. S. 199
4 Jacobo Acontio Tridentino S. 203
5 Joanni Dio Londinensi S. 204
6 Rectori, & Academiæ Parisiensi. 206
7 Jacobo Schecio, Tubingensis Academiæ philosopho. 207
8 Eidem Jacobo Schecio. 211
9 Jacobus Schecius Petro Ramo S. 220
10 Petrus Ramus Jacobo Schecio. 231
11 Eidem Jacobo Schecio. 234
12 Petrus Ramus T. B. V. S. 249
13 Jo. Thomæ Freigio S. 252
14 Eidem Jo. Thomæ Freigio. 253
15 Carolo Lotharingo Cardinali S. 254
16 Eidem Carolo Lotharingo Cardinali S. 255

Orationum hoc Volumine contentarum Elenchus.

Tres orationes, á tribus liberalium disciplinarum professoribus, Petro Ramo, Audomaro Talæo & Bartholomæo Alexandro, Lutetiæ in gymnasio Mariano habitæ, anno salutis 1544. Prid. Nonas Novemb. nempe.

1 Audomari Talæi Oratio fol. 259
2 Bartholomei Alexandri oratio. 266
3 Petri Rami oratio. 272
4 Ejusdem oratio habita Lutetiæ in gymnasio Præleorum Cal. Decemb. 1545. 287
5 Ejusdem oratio de studiis philosophiæ & eloquentiæ conjungēdis, Lutetiæ habita, anno 1546. 295
6 Ejusdem pro philosophica Parisiensis Academiæ disciplina, oratio. 309
7 Ejusdem oratio initio suæ professionis habita. 402
8 Ejusdem de Legatione oratio 1. 428
9 Ejusdem de Legatione oratio 2. 453
10 Ejusdem procœmium reformandæ Parisiensis Academiæ, ad Carolum Regem. 457
11 Ejusdem de sua professione oratio. 512
12 Ejusdem duæ actiones Mathematicæ. 532, & 533
13 Audomari Talæi admonitio ad Turnebum. 567

FINIS.

VCR 6= 6513

1156523121